


58

S.a. 7
8-



2 400 40
MADE IN SPAIN

del colegio de la compañía de jesu de Granada. Be. 1.9534

DE CLAVE DAVID

S E V

REGNO CHRISTI

LIBRI SEX

*CONTRA CALVMNIAS ACLERI
pro visibili Ecclesia Monarchia.*

AVCTORE NICOLAO SANDERO
Anglo, sacrae Theologiae professore.



R O M Æ, In Aedibus Populi Romani,
Apud Georgium Ferrarium, M D LXXXVIII.

S V P E R I O R V M P E R M I S S V.

SANCTISSIMO
DOMINO NOSTRO
SIXTO QUINTO
PONTIFICI MAXIMO

PHILIPPVS SEGA EPISCOPVS PLACENTINVS.



VMante aliquot annos Nuntium Apostolicum agerem apud Serenissimum Regem Catholicum, intercessit mihi cum Nicolao Sandero Theologo et Sacerdote Anglo pietate atque doctrina præstantissimo viro, qui in exilio tum Madriti degebat, arctissima ac sanè dulcissima consuetudo. Qui postea publici cuiusdam pijq; negotij procurandi causa ex Hispanijs discedens, & de varijs viæ ac vitæ suæ periculis, deq; morte religiosè cogitans, sicuti de ceteris rebus & rationibus suis sanctè & sapienter antea disposuerat; ita apud me signatum scriptorū & chartarum fasciculum, in quo Clauem quandam aiebat esse repositam, ad reditum, vel ad obitum vsque suum (de quo aliquid fortè præfagiebat animus) custodiendum deposuit. Quod ipse

apud me cum fiducia reliquit, licet quid rei esset, prorsus ignorarem, accepi lubenter in fide meam, nec certe ante tristissimum mortis suae nuntium aperui. Tum vero cum scripta ipsa explico, non Clauem, quam putaueram alicuius forte scrinij, sed thesaurum ipsum, opus nempe Theologicum, cui auctor, De Clauē Dauid, titulum dederat, idque etiam mihi dicatum praeter omnem expectationem reperio. Quam lucubrationem, licet mox tum propter tituli, ac argumenti dignitatem & raritatem, tum propter auctoris doctrinam, tum vero propter ipsius posthumi foetus mihi sancte commendata tutelam auidissime legere coeperim, alijsque communicare statim cogitauerim; erat tamen adeo obscura & rudis characterum forma, litterarumque multitudo, ac tam incompressa schedularum congeries (quippe ipsius Sanderi erat illud exemplar primum, ac autographum) ut ego difficultate & labore deterritus, nec statim publicare potuerim, nec sane a me nisi magno tædio & temporis dispendio intellecta omnia & perlecta denique fuerint: charissimum enim charissimi amici pignus mecum semper habui, atque inter cetera, quae plura a me estimabantur, ex Hispania Romam, atque deinde in Germaniam quoque & Bohemiam, cum vestrae Beatitudinis nomine apud Caesarem Maiestatem Nuntij mune

re fungebar, mecum comportaui, vbi tandem in mundum & ordinem redactum, & dilucidè scriptum tanta cum voluptate non tam perlegi, quam deuorauī, ut nesciam, an quidquam in hoc genere degustauerim suauius: facile quidem ex meo in auctorem amore, & in adoptatum mihi foetus studiosa cura falli possum, nec sane in re theologica tantum mihi arrogo, ut vel ipse quidquam scribere soleam, vel de aliorum lucubrationibus facile iudicare. hoc tamen Sanderi opus, Pater Beatissime, si non erro, dignum est maiori ac meliori patrocinio quam meo, nec alio certe quam Sanctitatis vestrae, sub cuius felici nomine ut prodire possit, quemadmodum pridem ex Germania cum illud mitterem supplicauī, sic nunc rursus obnixè & humiliter precor. Cui enim siue auctoris in Sedem Apostolicam fidem & constantiam incredibilem, siue meam in Sanctitatem vestram debitam humillimamque obseruantiam, siue verò eandem argumenti rationem, quae tota est in Monarchiae, & potestatis Ecclesiasticae propugnatione, siue ipsius tractationis grauem, doctum, elegantemque modum, ac praclarum methodum spectemus, æquius quam supremo in terris Hierarchae, caeli Clauigero, domus Dei sub Christo patrefamilias, hanc (ut ego aestimo) verè auream Dauidis Clauem apud me depositam committerem, ac

consecrarem? Atque id facio equidem libentius, ac confidentius, quòd iam pridem ex Domini Gulielmi Alani Cardinalis Amplissimi litteris (qui Sanderum viuum, mortuumq; vnicè semper dilexit, eiusq; cū cetera scripta, tum hoc in primis ipsum laudat vehementer) non improbare Sanctitatem vestrā operis editionē intellexi, imò verò benignè etiam interpretaturā, si hos alienæ industriæ lectissimos fructus ipsi offeram. Prostratus igitur ad sanctissimos Beatitudinis vestræ pedes, illisq; omni cum reuerentia osculatis, Clauem hanc, artificiosum sanè opus & operosum, humillimus offero & depono, supplexq; oro, vt ex hoc, quantum quidem à me proficiscitur, exiguo argumento longè ardentius meum in diuina gloria procuranda, & in Apostolica auctoritate tuenda studium & desiderium agnoscat, atque meam pro Sanctitatis vestræ singulari benignitate nimiam fortè hac in re confidentiam habere velit excusatam. Deum omnipotentem deprecabor ego assidue, vt & Sanctitati vestræ longam prosperamque vitam, & toto Christiano orbi, ipsa Ecclesiasticam Monarchiam sapienter iusteque regente, tranquillitatem, pacem, felicitatemq; omnè concedere pergat. Placentiæ, Calendis Maij, M. D. LXXXVIII.

REVERENDISSIMO
D. PHILIPPO SEGA
EPISCOPO PLACENTINO
ET IN HISPANIARVM
PROVINCIIIS NVNTIO
APOSTOLICO

NICOLAUS Sanderus eternam precatur felicitatē.



INSIBILEM Ecclesie Monarchiam octo ferè ab hinc annis à me publicatā plures postea conuellere conati, suppressis nominibus suis, tamquam tenebrarum & non lucis filij, potius infames quosdam libellos, quàm iustum aliquod opus ediderunt, polliciti se breuè totum Monarchiæ volumen confuturos. Cum autem fidem suam liberare hætenus prætermiserint, ego verò in alia loca transiturus essem, nec tantam vim chartarum ubique circumferendam ducerem; id consilij necessariò cepi, vt quæ per occasionem calumnijs eorum respondendi pluribus ab hinc annis conscripseram, ea in commune bonum proferrem, ne alioqui & meus labor periret, & aliquid saltem utilitatis, quod inde percipi fortè posset, Ecclesie Dei subtraheretur. Quicquid autem huius generis erat, id cupiebam sub tua

Reueren-

Reuerendissime Dominationis vmbra in lucem exi-
 re, ut & ego pro tanta humanitate, qua me profecuta
 est, gratias ex parte aliqua referrem, tum contra amu-
 lorum inuidiam patronum mihi non modò propitium,
 sed etiam potentem, nimirum prudentia, pietate, om-
 niq; re litteraria instructum compararem. Suscipe
 igitur Reuerendissime Domine libri huius, quem in
 honorem Christi Clauem David inscripsi, tutelam, ut
 is qui habet potestatem mortis & inferni, calum nobis
 aperiat. sicut scriptum est, Qui honorificauerit me, glori-
 ficabo eum: qui autem contemnunt me, ignobiles erunt.
 Sicut autem Protestantes supra modum contemnunt
 Christum Saluatorem nostrum, quem vsque eò in ordi-
 nem redigunt, ut quod Cesari concedunt, Dei & homi-
 num mediatori negent; sic ille Christum honorificat, qui
 clauem eius credit adeo potentem esse, ut non modò Sa-
 tanae, sed etiam quacunq; politica potestate maior sit
 & fortior. Quare cum & illa clauis, quam Petri
 successor in terris portat, non alterius quàm Christi
 sit; beati erimus si Christum etiam in ministris suis
 loquentem & operantem, quo par est honore affeceri-
 mus. Qui enim ministrum Christi audit, Christum ip-
 sum audit, qui tuam Reuerèdissimam Dominationem
 nostrae tenuitatis in sacrificijs & orationibus suis me-
 morem in omnem aeternitatem tueatur, & conseruet.
 Madriti.

CLA-

CLAVIS DAVID ELENCHVS CAPITVM SVB VNOQVOQ. LIBRO COMPREENSORVM.



Argumentum operis.

pagina

Visibilis Monarchiæ nomen ac titulum ei libro,
 qui de visibili Ecclesiæ primatu agit, rectè præ-
 fixum esse.

3

Liber Primus.



Domus in scripturis Ecclesiam, clavis verò summā
 potestatem Ecclesiasticā significat, cuius ut ius
 penès Christum, ita & ministerium penès Pe-
 trum & successores Petri est. Cap. I.

13

Quanto præclarior potestas Ecclesiæ per clavis, quàm per gla-
 dij vocem exprimitur. Cap. II.

17

Clavis potestatem & antiquiorem & sublimiorem esse, ac
 gladium materiale sub se comprehendere. Cap. III.

18

Quid sit clavis David, & unde nomen hoc desumptum vi-
 deatur. Cap. IIII.

20

Gladium Davidis eiusdem clavi subiectum fuisse. Cap. V.

24

Blasphema illa Magdeburgensium doctrina confutatur, qua
 negant Christo demandatum esse, ut regna tunc constituat,
 cum id electorum saluti expedit. Cap. VI.

26

Quomodo intelligenda sint ea Christi verba: Regnum meū
 non est de hoc mundo. Cap. VII.

38

Quomodo intelligantur ea Christi verba: Quis me constituit
 iudicem aut diuisorem super vos? Cap. VIII.

43

Spiritualis potestatis Christi excellentiam non solum in eo con-
 sistere, quòd spiritualibus instrumentis (cuiusmodi sunt ver-
 bum Dei, & Christi sacramenta) sed etiam in eo quòd alijs
 quibuscumque modis, qui spiritum ad æternam salutem
 prouehunt, ex auctoritate sua, etiam cum aliorum tempo-
 rali damno, & corporea læsione vtatur, sicuti sæpe vñs fuis-
 se legitur. Cap. IX.

48

di

161

**

IV

Liber

Liber Secundus.



Christum militantis Ecclesie sue militans fundamentum & ab initio fuisse, & vsque ad finem seculi manere. Cap. I.

Quomodo Christus adhuc sit militans fundamentum Ecclesie sue. Cap. II.

Petrum loco visibilis presentie Christi visibile ac militans Ecclesie fundamentum fuisse. Cap. III.

Quomodo superior ceteris Apostolis vnus Petrus sit tam in iure quam in vsu clauium. Cap. I III.

Summa prerogatiuarum Petri supra omnes alios Apostolos. Cap. V.

Cum vna sit Dauidis & Christi clavis, cur plures claves Petro sint date. Cap. VI.

Quanta sit vis, potestas, & efficacia clauium regni caelorum. Cap. VII.

Quomodo imperite Protestantes negant peccata re ipsa per claves Ecclesie remitti, & auferri. Cap. VIII.

Verbis ligandi & soluendi amplissimam legem condendi, ac de criminalibus tum iudicandi, tum poenam statuendi, auctoritatem Christi ministris dari. Cap. IX.

Petrum in clauium regni caelorum & gladii sui spiritualis, qui est verbum Dei, secundum omnia quas pascere iubebatur conditionem, etiam politici gladii non ciuile aut politicum, sed caeleste ius a Christo accepisse. Cap. X.

Christum iussisse Apostolos (quamquam Magdeburgenses frustra id oppugnent) etiam corporalem gladium habere & portare. Cap. XI.

Quod Petrus post Ascensionem Domini legitime sit vsus gladio suo, non manu sed ore illum vibrans. Cap. XII.

Cur Apostoli Neronem aut Domitianum iure imperij non priuarint. Cap. XIII.

Cur Apostoli cum haberent auctoritatem constituendi regis politici, tamen Christianum aliquem in regem non euerunt, qui gladios persecutorum a fidelium ceruicibus arceret. Cap. XIII.

Fidem Christianam debuisse tandem etiam armis defendi, regesque & fideles constitui, & haereticos priuari. Cap. XV.

Apostolos priuasse Imperatores adhuc infideles omni spontanea Christianorum obedientia etiam in secularibus causis. Cap. XVI.

59

61

62

64

67

82

83

86

89

95

102

109

111

112

114

116

Liber

Liber Tertius.



Offita ipsorum Protestantium etiam falsa Euangelij interpretatione; tamen inde conuinci vnquam aliquem Petro in primatu succedere debere. Cap. I.

Quomodo parum docti sunt, qui Petrum negant Romanam sedisse. Cap. II.

De institutione Romanae cathedrae. Cap. III.

Primum Dei opus in admirabiliter praeparando Romanae cathedrae loco versatur.

Secundum Dei opus circa instituendum Ecclesiae Romanae primatum.

Tertium Dei opus circa instituendum Ecclesiae Romanae primatum.

Quartum Dei opus circa instituendum Ecclesiae Romanae primatum.

Quintum Dei opus circa instituendum Ecclesiae Romanae primatum.

Sextum Dei opus circa instituendum Ecclesiae Romanae primatum.

Septimum Dei opus circa Ecclesiae Romanae primatum confirmandum.

Octauum Dei opus circa Ecclesiae Romanae primatum confirmandum.

Nonum opus, quo Deus Ecclesiam Romanam abundantius adhuc alijs omnibus Ecclesijs pretulit.

Decimum Dei opus circa eundem Ecclesiae Romanae primatum comprobandum.

Vndecimum Dei opus circa primatum Ecclesiae Romanae adhuc etiam abundantius comprobandum.

Verum Apostolicum Ecclesiae Romanae primatum in fide propaganda, in docendo, & baptizando omnes gentes, admirabiliter elucere. Cap. XIII.

Duodecimum Dei opus, quo tum illustrior fit prior ille de quo iam egi Ecclesiae Romanae primatus, tum si nullus antea fuisset, nouus constitui iure optimo posset.

De Alexandrinae Ecclesiae institutione, & ordine Patriarchalium Ecclesiarum.

De Ecclesijs Italiae, Siciliae, Sardiniae, &c. per Ecclesiam Romanam institutis.

118

121

125

126

129

130

132

133

134

136

137

140

141

142

144

ibid.

145

148

** 2 De

De Corinthiorum Ecclesia per Pontifices Romanos edocta; & instituta.	149
De Galliarum, & Hispaniarum Ecclesijs per Pontifices Romanos institutis.	ibid.
De Britanorum Ecclesijs per Pontifices Romanos institutis, & in fide conseruatis.	150
De visibili Ecclesie catholice vnitate, cuius & prima parens propter Petri cathedram, & precipua nutrix Ecclesia Roma na est. Cap. V.	151
Decimum tertium Dei opus, Non minus visibilem quan- dam, & externam vnitatem in Ecclesia esse, quam inter- nam.	ibid.
Cum vnitas Ecclesie per Christi ministros alijs conferatur, ip- sos multo magis inter se vnitos esse.	153
Sacerdotalis vnitatis vinculum esse vnum primum visibilem pastorem.	154
Visibilis vnitas tam Episcopatus quam Ecclesie ex institutio- ne Christi oritur ab vno Petro.	157
Quod Moyse Iudejs, Christus dum in carne ambularet, suis discipulis, Petrus Apostolis fuit, hoc iam esse Romanam Ecclesiam omnibus Christianis.	160
Romana Ecclesia origo vnitatis, quae inter Episcopos exi- stit.	162
Ecclesiam Romanam esse fastigium sacerdotij, locum Petri, vinculum fidei, honorem collegij, concordiae glutinum.	ibid.
Ecclesiam Romanam esse Ecclesie catholice vnitatem, radi- cem, & matricem.	165
Petra super quam edificatur Ecclesia.	167
Pater Episcoporum.	ibid.
Principatus Apostolice cathedrae.	168
Principatus Apostolici sacerdotij & Episcopatus.	ibid.
Primus omnium Sacerdotum.	169
Summus Pontifex & Sacerdos.	ibid.
Primas Ecclesie.	ibid.
Caput Episcoporum.	ibid.
Caput fidei.	170
Caput omnium Ecclesiarum.	170
Caput vniuersalis Ecclesie.	ibid.
Potentior principalitas.	171
Potior auctoritas.	ibid.
Prior locus.	ibid.

Altior

Altior Praesidentia, & praelatura.	172
Qui praeceteris debeat Religioni prospicere.	ibid.
Prima sedes omnium.	ibid.
Cura omnium ad Ecclesiam Romanam pertinebat.	173
Tutissimus Catholicae communionis portus.	174
Fiducia & securitas eorum, qui communicabant cum Ro- mana Ecclesia.	175
Formatae literae Pontificis Romani communionem profite- bantur & praese ferebant.	176
Quos Romana Ecclesia in communionem recepisset, eo ipso etiam si alijs suspecti, a Catholicis omnibus in commu- nionem recipiebantur.	177
Quos Pontifex Romanus vitabat, cum illis neque ceteri Catho- lici communicabant.	178
Quisquis alibi quam cum Romana Ecclesia communicasset, schismaticus semper habebatur.	179
Antichristi membrum esse, qui non communicat cum Ec- clesia Romana.	180
Eadem est Catholica & Romana Ecclesia.	180
Nihil est aliud vnitas Ecclesie Catholicae, quam commu- nio Romanae Ecclesie.	181
Quam testata semper, & nota fuerit Ecclesie Romanae fides & potestas tum doctis, tum indoctis, tum paganis, tum haereticis, vt pote miraculo Christi confirmata. Cap. VII.	182
Decimum quartum Dei opus.	ibid.
Etiam Plebi Christianae notissimam semper fuisse fidem, & auctoritatem Romanae Ecclesie.	185
Graecicae Plebis fidem de Romani Pontificis auctoritate Deum etiam miraculo confirmasse.	187
Etiam Paganis notum fuisse Romani Pontificis Primatum.	188
Etiam Haereticos Primatum Romani Pontificis agnouisse.	189
Ex Donati & Caeciliani vera historia, quae vna cum statu que- stionum inde ortarum discutitur, Primatus Papae vehe- menter confirmatur.	191
Constantini Augusti ad Melchiam Episcopum Romanum & Marcum Epistola.	193
Constantini Augusti ad Chrestum Syracusanorum Episco- pum Epistola.	197

Indi 2 Pontificis Romani auctoritate

-omni

Liber

Liber Quartus.

X cellentem Synodorum Oecumenicarum auctoritatem adeo penitus Episcopo Romano semper subiectam fuisse atq; esse, vt extra Ecclesiam Romanam nullę vnquam celebrari potuerint. Cap. I.	201
Decimum quintum Dei opus.	ibid.
Oecumenicam Synodum ab Episcopo Romano indici & conuocari debere.	204
Pontificem Romanum præsedisse concilijs oecumenicis.	208
Romanum Pontificem administrasse, in concilijs maximę auctoritatis opera.	ibid.
Pontificem Romanum confirmasse concilia.	209
Romanum Pontificem in confirmandis concilijs quædam casus falsę, & in iisdem cassandis, quædam excepisse.	210
Romanum Pontificem canones conciliorum ex causa relaxasse.	ibid.
Extra Ecclesiam Romanam concilia Oecumenica celebrari non possunt.	211
Quantum auctoritatis Episcopus Romanus præ alijs omnibus Episcopis, etiam extra concilium Oecumenicum semper obtinuerit. Cap. II.	213
Decimum sextum Dei opus.	ibid.
Relationes ad Sedem Apostolicam.	214
Causę Episcoporum Romano Pontifici reseruata.	215
Episcopi apud Romanum Pontificem accusati.	217
Episcopi & alij Romam accerliti.	ibid.
Episcopi apud Papam purgabant se.	218
Papa Episcopos de gradu suo deponebat.	219
Papa Episcopis veniam dabat.	220
Episcopi ad Papam appellarunt.	221
Papa cathedralibus Ecclesijs longę remotis Episcopos præfecit.	222
Papa vices suas Episcopis delegauit.	223
Papa legatos in alias Prouincias extra ordinem misit.	224
De persecutionibus, quibus Ecclesia Romana ob fidem Christi, & sustinuit semper, & vicit. Cap. III.	225
Decimum septimum Dei opus.	ibid.
De vrbis Romę dominio Episcopis Romanis acquisito. Cap. IIII.	229
Decimum octauum Dei opus.	ibid.

Quomo-

Quomodo Romani Pontifices vrbis Romę dominium acquisierint.	230
Admirabili prouidentia Dei factum esse, vt Petrus Abrahamę successores Petri successoribus Abrahamę, tam in sacerdotij principatu, quàm in alijs permultis pares forent, & velut ex altera parte responderent. Cap. V.	235
Decimum nonum Dei opus.	ibid.
Quę in scripturis sacris de Christi Ecclesia commemorantur, aut nullibi omnino præterquam in Romana Ecclesia, aut nullibi tam certę & manifestę implentur. Cap. VI.	237
Vigefimum Dei opus.	ibid.

Liber Quintus

D e origine iuris regij, & tam Christianos reges, quàm Ethnicos, quod ad ius regnandi attinet, ex æquo terrenos, itemque sæculi huius, aut gentium reges existere, atque ita vocari, eo quod hominum etiam consensu, ac non solius Dei voluntate constituti sunt & creati. Cap. I.	267
De origine potestatis Ecclesiasticę, & quod potestas administrandi Ecclesiam, neq; Iudaicis, neq; Christianis regibus a Deo tributa sit. Cap. II.	273
Quàm inertem, mutum, cæcum, impotentem, arrogantem, cruentum, ineptum, denique blasphemum primatum regibus suis Christianis à Deo in Christi Ecclesiam tributum a Clero mentiatur. Cap. III.	292
Primatum illum Ecclesiasticum, quem regibus suis à Deo tributum Aclerus dicit, Antichristianum esse, eo quod facta, instituta, doctrinam, totumque Christi consilium & assensu præ carnis mysterium oppugnet. Cap. IIII.	299
Ius numquam deficere, quominus quęlibet summa potestas subiectarum sibi potestati munera exequi possit, nec summam imperandi rationem in his plerumque consistere, quę à præcipiente geri non possint. Cap. V.	317
Ex Acleri doctrina effici, vt vel Dei verbum, & sacramenta dispensare, humile quoddam sit abiectumque officium, vel certe rex, qui ea dispensare non potest, eorum dispensatoribus præesse multo minus possit. Cap. VI.	323
Ex perpetua Ecclesię Britannię & Anglicanę historia cõuincitur, antiquos Britannię & Anglię reges Romani Pontificis	

ficis

ficis primatum semper agnouisse: tatum abest, vt ijdē reges
 omnium Ecclesiarum gubernationē in se susceperint. 325
 Tam Romanus, quam alij maiores Episcopi cum ampliore
 quadam potestate ad Ecclesias maiorum ciuitatum regen-
 das missi sunt, nō item ab eisdem ciuitatibus acceperunt vt
 solito maiore fierent. Cap. VII. 342

Liber Sextus.

Egi naturæ penitus aduersari, vt femina viris in
 rebus Ecclesiasticis præficiatur. Cap. I. 353
 Mulieris in Ecclesiasticis rebus primatum, non ali
 unde quam à Diabolo esse. 359
 Ex peccati originalis propagatione per vnū Adā
 facta, & vnū Christum expiata, constare, quōd mulier nec
 in ijs quæ naturæ, nec in ijs quæ gratiæ sunt, principatum ob-
 tinere possit. 360
 Filium Dei Christum Iesum iā inde ab initio instaurādi gene-
 ris humani, legem ad nouū testamētum propriē spectatē
 expressis verbis tulisse, vt mulier in Ecclesia numquam do-
 minaretur, sed sub viri potestate ageret, ac Paulum Apolto-
 lum ita eam legem interpretari. 363
 Beatam Virginem Dei matrem, ne à filio quidem suo, qui ei
 per legem naturæ subiectus fuit, rebus Ecclesiasticis vel ad
 vllum temporis momentum præfectam fuisse; ne dum aliā
 vllam aut matrem, aut virginem ab alio quopiam viro iisdē
 rebus præfici posse. 369
 Reginam, quæ se ipsam vocat summam Ecclesiæ gubernatricē,
 quæq; Pontificibus in rebus diuinis imperat eiusdem Ecclē-
 siæ Pontificem; ac sacerdotem rectē appellari, multoq; ve-
 rius sacra quam ipsos sacerdotes ministrare; ista est Acleri
 sententiā. 375
 Reginam Elizabetham Pontificalem docendi & Euangelizan-
 di actum non minore potestate, quam vel Moyse, vel Chri-
 stus ipse vnquam fecerant in Anglia exercere. 382
 Omnes Anglicanos, Protestantēs virilis sexus, & maximē Pseu-
 doepiscopos, & alios Calviniani verbi ministros, qui Eliza-
 betham feminam summum Ecclesiæ suæ caput etiam in re-
 bus diuinis agnoscunt, sexus sui dignitatem negare, & se ip-
 sos velut in muliebrem sexum transformare. 388

F. I. N. I. S. DE

DE CLAVE DAVID SEV REGNO CHRISTI LIBRI SEX.


Argumentum operis.



*V*M in eo libro, quem de visibili Ec-
 clesia Monarchia inscripsi, ostendif-
 sem summam rerum Ecclesiasticarū
 potestatem penēs Episcopos Apostolo-
 rū successores, & non penēs Christianos Reges exi-
 stere; contra hunc articulum (tamquam suscepto
 Regina ipsorum patrocinio, quæ hāc sibi potestatē
 in res diuinas vendicabat) plures Angli scripse-
 runt, alij quidem appositis, alij autem suis nomini-
 bus occultatis. quibus omnibus ego nomen vnū
 ex re de qua omnes agunt, sumptum imponam,
 & tāquam cum vno quopiam viro, qui Aclerus,
 hoc est, Cleri hostis cognominaretur, disputatio-
 nem instituum.

*Et quoniam radix huius principatus, quem si-
 bi Reges in causas Ecclesia sumunt, ipsius Christi
 iugulum petit, maiestatemq; ladic, adeo vt Ma-
 gdeburgenses impudenter dicant, ipsi Christo de
 mandatum non esse, vt Regna & politias consti-*

A tuat,



tuat, idq; eo consilio dicant, ut negent homini Christo (ne dum Vicario eius) potestatem esse datã, qua reges Christianos in perniciem fidei Rempubli-
cam administrantes, è regnis suis eijciat, aliosq; in eorum loca surroget: Ego ante omnia Christi glo-
riam per ipsius Christi auxilium, pro uirium mea-
rum tenuitate propugnaturus, in primo huius ope-
ris libro primùm quidem ostendam monarchia
inscriptionem rectè interpositam fuisse: deinde agã
de potestate, quam Christus in regna, & politias
accepit. Atq; hac causa est, cur de Clauē David,
& Regno Christi hos libros inscribã. Ministerium
potestatis Christi in Ecclesia uisibili Petrus, cathe-
dram Petri Pontifex Romanus tenet. hinc Secun-
dus liber de Petri clauibus. Tertius autem &
Quartus de potestate Romani Pontificis tracta-
bit. Quintus gubernationē rerum Ecclesiasticarũ
à regibus iniuste, Sextus ab Elizabetha regina
multò iniustiùs exerceri demonstrabit.

Quãquam verò de ijs rebus agatur, quarum
nonnulla sapius in controuersiam uocata sunt: ea
tamen explicationis earum uia & ratio adhibebi-
tur, ut non multũ fastidij oboriturũ lectori sperem.

3

VISIBILIS MONARCHIAE NOMEN AC TITVLVM E I L I B R O,

Qui de uisibili Ecclesiæ primatu agit, rectè
præfixum esse.



I regnum, & potestas, & magni-
tudo regni, quæ est subter om-
ne celum, iuxta Danielis præ-
dictionem, datur populo sancto-
rum altissimi, cuius regnum, re-
gnum sempiternum est, & om-
nes reges seruient ei, & obe-
dient: Si hoc regnum suscitatum est in diebus regno-
rum huius mundi, tunc uidelicet, quando sub initio
regni quarti, quod Daniel proponit, lapis sine mani-
bus de monte abscissus, id est, Christus sine uirili semi-
ne de Maria natus creuit in montem magnum, & im-
pleuit uniuersam terram: nihil autem aliud sit uisi-
bilis Monarchia, quàm regni magnitudo, cui multi
reges seruiunt, & obediunt; quàm indocta & insul-
sa eius uiri oratio habebitur, qui duobus libris contra
uisibilem Ecclesiæ Monarchiam sine certi auctoris no-
mine editis, iactat se alium mihi questionis statum,
quàm ego expectabam, commouisse. eo quod dicat, mo-

Dan. 7
Dan. 2
Luc. 2
Isaia. 11
Monar-
chia.
Monar-
chie. lib.
I. C. 15

A 2 narchie

Pfal. 2 *narchiae titulum ita esse alienum & disjunctum ab Ec-* **D**
clesia Christiana, ut in eam nullomodo convenire pos-
sit? quid enim? Vtrum Christus, qui constitutus est à
Apocal. 19 *Deo rex super Sion montem sanctum Domini, quiq;*
in fremore suo, hoc est, in natura humana, scriptum
Pfal. 2 *habet, Rex regum, & Dominus dominantium: Re-*
Math. 10 *gesq; ac Iudices terrae iubentur ei tãquã domino suo ser-*
uire in timore, & exultare cum tremore; Vtrum ille
Luc. 22 *dum Apostolos elegit, Evangelium annunciauit, Sa-*
Ioan. 17 *cramenta instituit, sacrificium in Cruce pro nobis ob-* **E**
& 19 *tulit, atq; à mortuis resurgens discipulos ad orbem*
Math. 28 *terre legavit, visibilem Ecclesiae monarcham non*
egit? aut non ne ubi visibilis monarcha praest, ibi vi-
sibilis monarchia reperitur? aut si visibilis quaedam
monarchia Ecclesiae semel fuit, iam ne illa perdita est
Math. 13 *& extincta? Quod nam igitur est illud regnum calo-*
rum, in quo Dominus ait usq; ad seculi consumatione
à patre familias seminari verbum Dei, & dum ho-
mines dormiunt, ab inimico superseminari zizania,
itemq; iniquitatem fieri, & scandala colligi; præter-
quam visibilis & militans Christi Ecclesia? Et quomo-
do negas visibilis monarchiæ titulum in Ecclesiam
Christi, quæ visibile quoddam regnum caelorum est, ul-
lo modo convenire posse? An hoc non est Christo ipsi mo-
narchiam visibilem dum in terris ageret, auferre?

Prote- *At cum visibilem Ecclesiae monarchiam ponis (in-*
stantis *quit iste) simul & visibilem monarcham Ecclesiae sta-*
verba. *tuis. eum autem Papam esse vis.*

archia **Ego**

A *Ego visibilem Ecclesiae cum monarchiam, tum mo-* **Resp.**
narcham pono. Sed monarcham visibilem ante omnia
Christum in terris agentem fuisse, Papam verò visibi-
lis monarchiae Christi non nisi vicem tenere volo. Nec
enim Papam dico aut deitatem Christi omnia imple-
tem, aut carnis veritatem in Eucharistia exhibitam
supplere, sed tantum visibilem eius conditionem, quã
terris egit, ministerio suo referre, atq; exprimere. Cur
ergo tu omittis Christum monarcham verum, quem ego
B *in primis posui, & adhuc pono; ac solum Papam mi-*
hi opponis? cur etiam Patriarchas, & summos vete-
ris Testamenti pontifices, quos ego in hac monarchia
mea velut ministeriales & vicarios sub Christo mo-
narchas ordine recensui, tu praeteris & dissimulas, ni-
si quia invidiam & mihi & Papæ conflare velles,
tanquam illum solum ego monarcham esse affirmare?

C *Ego inter ministeriales monarchas primum collo-*
cavi Adamum patrem orbis terrarum, qui vnus per **Sap. 10**
*naturam caput erat omnium: nam & ipsa Eva cetè- **Gen. 4**
rorum viuentium mater, tamen in potestate Adami
per ius nature ab initio fuit: Caput enim mulieris uir, **1. Cor.**
ut pote quæ tum post uirum, tum ex viro, tum propter **11**
*uirum, ut Apostolus annotauit, facta est.**

Deus, inquit Chrysostomus, nouit inter aequales emu- **In. 1. ad**
*lationem esse. Itaq; Adamum caput vnum omnibus **Cor. ho**
dedit, nolens democratiam sed regnum. Ac sanè quis **mil. 34**
mortalium originem ex semine Adami trahens, mo-
*narcha vnquam fuit, si pater orbis terrarum monar-**

cha

Sap. 10 *cha etiam non fuit? Adam verò ex delicto suo per Dei sapientiam Christum Iesum eductus, & ritum colendi Deum primus à Deo accepit, & filios suos eundem primus docuit. Si ergo Adam & monarcha & vir fidelis fuit; sine controuersia sub hoc visibili monarcha fuit aliqua visibilis monarchia Ecclesie Christi: imò tam vniuersalis monarcha, præter ipsum Christum (qui secundus Adam dici voluit, & primus Adæ typum accuratissimè impleuit) quis alius vnquam fuit?*

Deinde iustus Noe, vtrum in Ecclesia Dei administra, vel in diluuiio ipso, vel postea quemquam potuit habere sibi æqualem, qui & præco iustitiæ per gratiam, & pater aliorum omnium fuit per naturam?

Gen. 14 *Melchisedech rex Salem, quantus in populo Dei monarcha fuit, qui & benedixit Abrahæ, & decimas omnium à tanto Patriarcha, etiam cum de hostibus iam triumpharet, accepit?*

Isaïæ. 51 *Iam verò Abraham ipse, quem Deus uocauit vnum,*

Gen. 17 *& patrem multarum gentium constituit, an eo ipso monarcha factus non est? Nam si & rex debet pater esse patriæ, & multarum gentium rex sit monarcha; profectò multarum gentium pater tanto maior monarcha est, quanto naturale ius patris politico regis iure maius est & potentius. quid multis? non ne quilibet summus in lege Mosaica sacerdos (quanto magis Moyses?) verè monarcha dici poterat? multi enim fuerunt in lege Sacerdotes, multi Leuitæ; multi etiam principes*

A *principes tribuum & familiarum, quibus omnibus in Dei causis præerat summus Pontifex. Vnde & princeps principum dicebatur, sicut scriptum est, Princeps principum leuitarum Eleazar filius Aron Sacerdotis. Et quid est aliud princeps principum, quàm in suo genere quidam monarcha? fateris Ninum, Cyrû, Alexandrum magnum, & Octauium Augustum monarchas fuisse. At quid nam poterant illi suis in regnis agere aut præscribere, quod idem alius etiam rex illis minimè subiectus, (nempe David aut Salomon) in suo regno agere aut præcipere eadem auctoritate non poterat? Ceterum Deus vni Pontifici legali mandauit, quod vniuerso præterea mundo prohibuit; & mandauit in re grauissima, quæ ad cultum Dei pertinebat, nempe, vt in sancta sanctorum cum sanguine sacrificij solus intraret, idq; faceret in figuram Christi longè maximi atq; adeo æterni monarchæ. Verius igitur ob hoc diuinum ministerium legalis Pontifex monarcha visibilis fuit, quàm quiuis Rex, aut Imperator.*

C *Postremò Apostoli omnes non ne principes fuerunt? sicut scriptum est, Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Apostolorum verò primus fuit Petrus. fuit ergo principum princeps, & ideo etiam in suo genere monarcha. Nam si regale sacerdotium omnes Christiani sumus; si ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione facti sumus, Deo nostro regnum & sacerdotes; vtrum qui clauis huius regni primus accepit, quiq; fratrum confirmator,*

Num. 3

Heb. 9

Psal. 44

Math. 10

1. Pet. 2

Apoc. 5

Math. 16

Luc. 22

Ioan. 21

firmator, & omnium agnorumq; pastor præ ceteris factus est, & ob ipsum suo modo Rex regum, & Sacerdos sacerdotum haberi non debet? Quid autem est Rex regum nisi Monarcha? Sunt igitur sub Christo monarcha æterno, etiam alij temporales & visibiles Ecclesiæ Christi monarcha; quorum monarchia tanto est uerior, quanto magis res æternas & spirituales tractat.

Dan. 3 Quis enim perinde monarcha, ac ipse Deus, qui solus omnia regit, & moderatur; nec est alius præter illum, cui cura sit de omnibus? Quod si Deus uerissimè, atq; etiam per naturam solus est monarcha; ceteri au-

1. Cor. 4 tem omnes, ut quoquomodo monarcha sint, à Deo habeant (quid enim habent quod non acceperunt? nec est potestas nisi à Deo) monarchia uerò Dei tota sit spiri-

Rom. 13 talis, quia Deus est spiritus, omninò efficitur, ita quèq; principatum ad ueram monarchiæ naturam propius accedere, quo magis est spiritalis. Ceterum principatus tam olim Aronis, quàm nunc Petri, & successorum eius, magis est spiritalis, quàm Nini, aut Alexandri magni principatus; quia & in sacrorum administratione, hominumq; ad uitam æternam directione totus consistit, & ad mysterium Christi exprimendum atq; imitandum totus refertur: uerius igitur monarcha est coram Deo Petrus aut successor Petri, quàm Nabuchodonosor, aut quiuis alius Rex & Imperator.

Apud Ioseph. Alexander magnus, quem nec Protestantes monarcham fuisse negant, adorauit Iaddum Dei Pontificem, uelut se ipso in rebus diuinis maiorem & augustiorem.

Et

A Et quem tantus monarcha idolorum cultor uelut se ipso digniorem adorat, ex eoq; maiorem in suo genere atq; ordine monarcham esse confitetur: hunc nos Christiani (si tamen Christiani) monarcham ullo modo esse negabimus? Surget ergo Alexander in die iudicii; & Protestantes (nisi penitentiam egerint) ob hæc impudentem blasphemiam æterna damnatione dignissimos esse attestabitur. Si uerò Leuitici Pontifices, qui præ Apostolorum sacratissima functione mortem & damnationem ministrabant, tamen re uera spirita-

B les quidam monarcha extiterunt, quanto magis Petri successores, qui spiritum & iustitiam administrant, super omnes alios Reges & Imperatores monarchiam uisibilem, & spiritalem exercent? Ceterum Protestantes cum filij huius sæculi sint, nec aliud in oculis, quàm inanem huius sæculi pompam ferant, eò amentie uenerunt, ut ubi nomen terreni regis non occurrat, ibi monarchiam nullam esse posse existiment, quia si uerò Deus, quia Rex terrenus non est, propterea nõ sit monarcha.

C An ignorant qui nunc reges dicuntur, eosdem olim dictos esse pastores? nonne & Homerus regem Agamemnonem uocauit ποιμένα λαών, id est pastorem populorum, & Deus Cyrum monarcham uocauit pastorem suum? & de rege Dauide scriptum est, Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel? & pauit eos in innocentia cordis sui. Quid quòd Christus ipse ex æquo tam Rex, quàm Pastor dicitur, quia uidelicet utrumque nomen rem eandem significat.

B Seruient

2. Cor. 3. 1. et

In Ilia. Isai. 44.

1. Reg. 5.

Psal. 77.

Ier. 30. *Seruient (inquit Ieremias) David regi suo, quem su*
 Ezech. *scitabo eis. Ezechiel verò id ipsum ita exprimit, Susci*
 34. *tabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum*
meum David ipse pascet eas. Seruus meus David
princeps, in medio eorum. Qua propter cum idem sit
pascere quod regere, idemq; pastor qui & rex, con-
 1. Pet. 5. *stituit Petrum plus alijs diligentem,*
 10a. 21. *pastorem ouium suarum; nemini mirum videri*
 debet, si dicimus Christum etiam constituisse Pe-
 E *trum populi Christiani regem, & ministerialem*
quendam monarchiam. Ministerium enim pastoris
Ecclesie Christi propius ad spiritalem & eternam
Dei monarchiam accedit, quàm omnes omnium re-
gnorum in mundo seculares Monarchie. Sed nunc
perpende obsecro stupendam cecitatem, qua hic homo
qui visibilem Ecclesie Monarchiam oppugnat, percus-
 F *sus fuit. Nam quem paulò ante dicentem audiuius*
 do conuenire posse; idem ipse in eodem opere modum
 adinuenit, quo titulus Monarchie in Ecclesiam Chri-
 Romanar. lib. 2. c. 4. *stianam conueniat. Ait enim Constantinum Magnū*
fuisse omnium Ecclesiarum caput, atq; principem, &
Ecclesie Christiane summa tenuisse gubernacula. Quid
autem hoc aliud est, quàm Constantinum fuisse visibi-
lem Ecclesie monarchiam? Quam ergo visibilem Ec-
clesie monarchiam semel sustulit, & ita sustulit, vt
diceret eum titulum nullo modo in Ecclesiam Christia-

A *nam posse conuenire: eandem visibilem monarchiam*
in Ecclesiam Christianam sub Constantino Magno re
ipsa conuenisse, nec semel, nec paucis dicit; sed pluri-
mis verbis affirmat plurimisq; argumentis conclude-
renitur & confirmare. Quomodo sperari poterat,
vt hic homo cum alijs Dei seruis, & fratribus quon-
dam suis consentiret, qui ne secum quidem ipse consen-
 B *tit? Visibilis Monarchie titulum Pontifici aufert; Im-*
peratori donat: pastori aufert; oui donat: Doctore au-
 fert; discipulo donat: patri aufert, qui Christianos
 Imperatores per Christi Euangelium gignit; filio donat,
 qui per Christi Euangelium ab episcopo genitus, multo
 magis patri suo spiritali in causis spiritalibus, quàm
 seculari, in seculi causis deberet obedire. Aufert
 successori principis Apostolorum; donat successori Ce-
 sarum Romanum: aufert cathedrae Petri, donat so-
 lio Neronis. Ei aufert, cui credita est eternorum Chri-
 sti mysteriorum à seculo absconditorum prorsus diuina,
 & omnem naturalem hominum vim, ac potestatem
 C *in infinitum excedens dispensatio: ei donat, cui credi-*
te est figuræ huius mundi quæ præterit, ac perit, hu-
mana & temporalis administratio. Postremò visi-
bilis Monarchie titulum, imò et omnem eius tituli mo-
dum facultatèq; toti Ecclesie Christiane in vniuersum
aufert; ac mox eundem titulum vni homini, & ei nec-
dum Christiano donat. Cum enim Constantinum Ma-
gnum ob Donati & Cecilianæ causam Melciadi Ro-
mano Pontifici, & alijs Episcopis vtrumq; delegatam,

omnium Ecclesiarum caput ac principem vocet, Eccle-
 siæq; Christianæ summa gubernacula tenuisse conten-
 dat: Constantinus autem viuentē adhuc Pontifice
 Melciade (quod tam ex Eusebij quàm omnium patrū
 testimonijs locupletissimis constat) Christi baptismo
 initiatus non fuerit. Christianus verò esse non pos-
 sit, qui Christum quando potest, per baptismum
 non induit: necesse est dicamus hunc hominem visi-
 bilis Monarchiæ titulum non Ecclesiæ Christianæ ab-
 stulisse; eundemq; vni homini, & ei nondum Chri-
 stiano donasse, vt scilicet, qui nec dum est alicuius
 Ecclesiæ pes, aut infimum membrum, ab isto con-
 stituatur etiã in fidei causis omnium Ecclesiarum
 caput & princeps. Tales ego homines quamdiu om-
 nis fidei, doctrinæ, & ingenij expertes agunt, mal-
 lem hostes & aduersarios, quàm socios & fratres:
 qui tamen si ad Ecclesiam redirent, etiã multis alijs
 sapientiores in Christo esse possent. Verùm extra Ec-
 clesiam nec est salus, nec veritas, nec sapientia, nec
 sana doctrina, nec sincera mens & intelligentia.
 Nam si Calvinus, à quo iste hoc argumentum hausit,
 tam stupidè atq; insensante in rebus Dei versatus
 est, vt monarchiam toti Ecclesiæ ablatam, Constanti-
 no nec dum Christiano donaret: quid aliud à discipu-
 lis eius in Dei causis expectari possumus, quàm nugas,
 ineptias, deliria?

DE CLAVE DAVID

LIBER PRIMVS.

Domus in scripturis Ecclesiam, Clavis verò summam
 potestatem Ecclesiasticam significat, cuius vt
 ius penès Christum, ita & ministerium pe-
 nès Petrum & successores Petri est.

C A P. I.

B



ECCLÉSIA in scripturis sacris cum
 insigni quapiã domo aptissimè cõ-
 fertur: Nam omnis domus fabrica-
 tur ab aliquo. Qui autem Eccle-
 siam fabricauit, Deus est. *Hebr. 3.*

Domus ex multis lapidibus, cal-
 ce, pice, bitumine, aut alio cemen-
 ti genere interstrato: Ecclesia ex
 multis hominibus, fidei, charita-
 tisq; vinculo connexis & colligatis, in vnum quasi corpus
 conflatur. *1. Pet. 2.*

Vir sapiens fundamenta domus suæ iacit supra petram, *Math. 7.*
 vt nec ventorum, nec pluuiarum tempestate de loco suo
 deturbetur.

Sapientia Dei Ecclesiam construxit supra Christum, *1. Cor. 10.*
 qui est petra, & fundamentum, præter quod nemo potest
 aliud ponere. Nec alium Christus voluit suæ visibilis
 præsentia vicem hoc in genere sustinere, nisi quem prius
 petram factum sua potentissima prece ad fratres etiã cõ-
 firmandos muniuisset. *1. Cor. 3. Math. 16. Luc. 22.*

Domus ab vno domino seu patrefamilias regitur, ne
 alioqui contra se diuisa non stet, sed cadat: Ecclesiæ verò
 vnus est Deus pater ex quo omnia, & nos in illum, & vnus
 Domi- *Math. 12. 1. Cor. 8.*

Mat. 24 Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum. Dominus domus peregrè proficiscens, non multos seruos, sed vnum fidelem & prudentem supra familiam suam constituit, qui det illis in tempore tritici mensuram.

Luc. 22. Christus in cælum profecturus, vt acciperet sibi Regnū & reuerteretur, supra Ecclesiam constituit, non multos ex equo, sed vnum Simonem Petrum, adeo fidelem seruum, vt Ecclesiam de fide illius securam fecerit dum eidem diceret, Ego rogavi pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Porro eundem Petrum adeo prudentem futurum & prouidit & prouidit, vt ad eum ante omnes alios diceret, Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Quod perinde est, ac si dixisset; faciam ne aliquid liges aut soluas aliter quàm vera atque adeo eterna prudentia postulat: alioqui non quicquid in terris ligaretur aut solueretur, in cælis ratum haberetur.

Exod. 1. Moriente seruo, quem sapiens Dominus supra familiam suam constituit, non propterea euertitur domus, aut alia deinceps forma, & ratione gubernatur. Nam domus in scripturis familie posteritatem, & florentem in eodem statu successionem significat, sicut scriptum est, Quia timuerunt obstetrices Deum, edificauit eis domos. Et Nathan ad Dauidem ait, Annuntio tibi quod edificaturus sit Dominus domum. Suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius. Et fidelis erit domus tua & regnum tuum vsq; in eternum ante faciem meam. Et thronus tuus erit firmus iugiter. Denique quod dicitur, Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt qui edificant eam, intelligitur de stabili, & florente alicuius familie successione, & perpetua duratione. Christus autem licet persona Petri ex hoc mundo transitura esset, potestatem eius in Ecclesia perman-

ram,

Mat. 16. A ram, & posteris eius, qui non secundum carnis corruptionem, sed secundum vocationem gratiæ cælestis in singulari Cathedra ei succederent, relinquendam promisit, ad eum dicens, Tu es Petrus [idest, rupes seu petra quædam temporalis] & super hanc petram, [quæ videlicet tu per meam deuotionem es] ædificabo [de generatione in generationem] Ecclesiam meam, idest domum meam spiritalem, quæ constat ex lapidibus viujs, quorum lapidum tu es visibile robur, & sustentaculum. Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam petram, & ex consequente, nec aduersus Ecclesiam, quæ supra eam petram edificatur. Stat ergo semper, vt domus ipsa, quam Christus tum inuisibili modo supra se, tum visibili supra Petrum stabiliiuit; sic & ministerialis illa potestas, quam peregrè proficiscens Petro contulit, cum ad eum diceret, Amas me plus his? pasce agnos & oues meas. Præterea tam Petri, quàm fratrum eius, quos ille confirmare iuebatur, potestatem in æternum mansuram Christus prædixit his verbis: Ite, docete omnes gentes baptizantes eos. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Si Christus cum illis vsque ad finem sæculi, eunt, docent, & baptizant omnes gentes, non vtiq; in se ipsis, verum in successoribus ipsorum. Iam verò cum *Mat. 10.* Mathæus & ipse Apostolus testetur Petrum fuisse primum *Luc. 22.* C Apostolorum; profectò vt intre Apostolos vnus fuit primus, quem etiam Christus alibi, Maximum inter illos, & præcessorem vocat; sic inter Apostolorum successores, illos, quibuscum Christus est vsque ad consummationem sæculi, semper necessariò vnus est aliquis pastor primus, idemq; maximus inter pastores, & præcessor. Aduersus ergo talem Christi domum non modo supra inuisibilem petram Christum, sed etiam supra visibilem petram Simonem Petrum, & Petri successores edificatam, portæ inferi non præualebunt. Hæc enim est domus Dei, Ecclesia Dei viu- *1. Cor. 10.* *Mat. 16.* *1. Timot. 3.* ui, columna & firmamentum veritatis.

Domus

Domus quęlibet domesticis & amicis patet, hostibus ve-
rò & alienis clauditur. Ostium etiam Ecclesię aperitur
fidelibus, vt qui ingrediuntur lumen videant, clauditur
Luc. 8. verò filijs tenebrarum: quoniam eos qui foris sunt, non
1. Cor. 5. Ecclesia, sed Deus iudicabit. Eos autem qui sunt intus,
Ecclesia iudicat.

Ad ostium domus ianitor constituitur, cui Dominus do-
Mus præcipit vt vigilet. Ianitor Ecclesię Petrus est, & Pe-
tri successor, cui Dominus Ecclesię ait, Et tibi dabo clauē
regni cęlorum, idest, tu summam ministerij Ecclesiasti-
ci potestatem accipies, ita vt te aperiente ostium Ecclesię
aut soluēte seram, seu legem aliquam Ecclesiasticam, dum
ea quę Dei sunt, dispensas; nullus in terris possit idem o-
stium claudere, aut eandem seram ligare. Te verò clauden-
te ostium Ecclesię, aut ligante seram seu legem aliquam
Ecclesiasticam; nullus in terris possit idem ostium aperire,
aut legem illam referare & dissoluere.

Hanc enim esse veram interpretationem verborū Chri-
sti, vt videlicet clauis potestatem in eo rerum genere, de
quo agitur summam; & à nemine retractandam significet,
tam Isaias quàm Ioannes Euangelista contestatur. Domi-
nus enim Sobna de ministerio tēpli deposito, ad Eliacim,
quem in locum Sobnæ substituebat, apud Isaiam dixit, Da-
bo potestatem Sobnę in manu tua, & dabo clauem domus
David super humerum tuum. Aperies, & non erit qui
claudat: claudes, & non erit qui aperiat. Et alibi hæc dicit
Sanctus & verus, qui habet clauem David, qui aperit & ne-
mo claudit, & nemo aperit: quinimo ipse Christus cum
ad Petrum dixisset, Dabo tibi clauē regni cęlorum, sta-
tim se ipsum interpretatus est, dicens, Quodcunque liga-
ueris aut solueris super terram, erit ligatum & solutum in
cælis; quod vtique non dixisset, si vlla in terris potestas Petri
potestate maior, aut etiam penitus æqualis fuisset, aut vn-
quam futura esset.

Clauis ergo significat summam & maximam potestatem
Eccle-

A Ecclesiasticam, cuius in Christo ius æternum est, & Domi-
nium liberum atq; absolutum: in Petro autem & successo-
ribus Petri ministerium summum; & id vsq; ad consum-
mationem sæculi duraturum: sine pænitentia enim sunt
dona Dei & vocatio.

*Quanto præclarius potestas Ecclesię per Clauis, quàm
per Gladij vocem exprimat. Cap. II.*



B Vm sæcularis & terrena potestas non po-
tissimum in laudando, & præmijs efficien-
do (nam hoc ei cum priuatis commune re-
periretur) sed in occidendo & vitam au-
ferendo (quod priuatis eodem iure facere
non licet) vim suam exerat & ostendet;
Gladius autem ab inferenda clade nomen suum adeptus,
auferendę vitę celerrimum & maximè vsitatum instrumen-
tum habeatur; non temerè comparatum est, vt sæcularis po-
testas diceretur potestas gladij. Neque verò minister Dei
sine causa gladium portat, vindex in iram ei, qui malum
agit.

Ceterum, quia spiritalis & Ecclesiastica potestas non
in destructionem, verum in ædificationem datur: pote-
stas verò domum ædificandi penes eum est, qui clauem do-
mus habet, vtique Ecclesiastica potestas multo aptius clauis,
quàm gladij voce designatur.

Clauis nomen ad Domum, idest, ad societatem quan-
dam in vnum collectam & coniunctam necessariò refer-
tur. At gladij vox nihil tale significat.

Duplex est vsus clauis, vt vel aperiat vel claudat: vni-
cus gladij, vt vlciscatur tantum & vindicet.

Cum nulla domus rectè gubernetur præterquam ab
vno patrefamilias, clauis verò ad domum necessariò spe-
ctet; efficitur, vt clauis potestas non nisi vnitatem recto-
ris & monarchiam gubernandi rationem significet. At

lari

C

gl-

gladius ex æquo est monarcharum, optimatum, & reipublicæ. Vnde gladij potestas seu merum imperium aliquādo penes totum populum Romanum fuit.

Clavis indicat mitem & paternam gubernationem, qualis in domo exercetur; Gladius cruentam & feueram, qualis in regno aut republica cernitur.

Gen. 1. 2. 3. 4. Potestas clavis ad ius naturæ, quod etiam in statu innocentie primas tenuisset, proximè accedit. Nā etiā tunc vni primo parenti omnes obedituri eramus, qui velut clauē quadam paterna vniuersam humani generis familiam, rexiſſet. Ceterū potestas gladij non nisi ex iure gentium est, sicut bellum & seruitus.

Clavis posteritati cōsulit: Gladius quod in se est, eandē perdit; vnde qui ob grauiora quædam crimina gladio feriuntur, eorum posteri exhæredantur, & domus seu familia extinguitur. Itaq; clavis hoc agit, vt domus stet, ac viuat in æternum. Gladius verò cum uitam tollat, & mortem inferat, maximè contrarius est vitæ ac immortalitati.

Postremò, non tam gladius clauē, quàm clavis gladium sub se comprehendit, de quo nunc agam pluribus.

Clavis potestatem & antiquiorem & sublimiorem esse, ac gladium materialem sub se comprehendere. Cap. I I I.



si nulla sit domus, quæ aut clauē aut gladio iam ferè caueat; tamen clarissimum est gladium in qualibet domo clavis auctoritati & custodiæ subesse.

Gladius enim vnum est ex vulgaribus instrumentis, quæ in domo instructa necessariò habentur. Clavis verò non vulgare instrumentum, sed præcipuum totius Domus moderamen & columen est.

Cantic. 3. Cum Salomonis lectulum sexaginta viri ex fortissimis Israel

A Israel ambirent, omnes tenebant gladios, vt pote ad bella doctissimi, & vniuscuiusq; ensis propter timores nocturnos erat super femur suum. Sed cum iste lectulus in domo Salomonis fuerit, domus verò clauē regeretur; non ne liquidò apparet, in domo qualibet insigni maiorem esse clauē quàm gladij potestatem? Ecclesia verò Christi est domus Dei, & illa quidem instructissima, quæ videlicet Salomonis etiam lectulum in se continet. Ex quo fit, vt nec in Ecclesia desint gladij, & illi omnes sub potestate clauium Ecclesiæ comprehendantur. Noe præco iustitiæ, quid erat aliud quàm pater familias, qui liberos suos non gladio, sed clauē regeret? Nam & arca ipsa in qua totius humani generis reliquiæ ac semen comprehendebatur, fuit domus quædam ex lignis fabricata, cuius ostium in latere ponebatur. Ostium verò aperitur clauē. Iam huic ipsi patrifamilias data est postea etiam gladij potestas, his verbis, Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Res enim ipsa docuerat malè humano generi cessisse, quòd Cain post effusum fratris sanguinè viuere permissus, omnes filios suos à via Dei abductos, nihil nisi negocia sæcularia docuisset; ob eamq; causam data est Noe potestas gladij, vt homicidas non tantum ex domo sua (vt & Adam fecerat) sed etiam ex hoc mundo exterminaret.

B Sed cum gladij huius potestas non nisi & patrifamilias, & post diluuium concessa sit; certissimum est, potestatem clauis, & multo antiquiorem fuisse, & gladij potestatem semel institutam sub se complecti. Neq; verò Noe iam accepta potestate gladij vel abiicit vel submisit nouo huic gladio priorem clauē suam, sed ad cetera domus suæ instrumenta etiam gladium adiecit, cum interim illa omnia clauē suæ subessent, eiusq; ministerio vel soluerentur ad opus faciendum, vel etiam sub seræ custodia ligarentur, ne vel cuiquam temerè nocerent, vel per negligentiam perirent.

Abraham cum vxore & familia velut paterfamilias de patria

Gen. 6.

Gen. 9.

Gen. 4. 5. & 6.

Gen. 9.

Gen. 12.

Gen. 14. patria sua egressus, cum audisset Lot filium fratris sui ab hostibus captum, familiam suam armavit, percussitq; hostes, & Lot fratrem suum reduxit. An clavis gladio iam non imperauit? Cum enim opportunum videbatur, tunc Abrahę clavis gladios, quos sub sua potestate habebat, toti familię distribuit. Quid multis? ut quā potens & regia sit Ecclesię Dei clavis intelligeremus, Spiritus sanctus iam nominauit non priuati cuiuspiam, sed clauem David, *Apo. 3.* quem constat fuisse Pastorem, Prophetam, & Regem.

Quid sit Clavis David, & vnde nomen hoc desumptum videatur. Cap. IIII.



Apo. 3. I clavis est summa potestas gubernandi aliquam domum, aut ciuitatem; utiq; clavis David est summa illa potestas, quā in Dei populo gubernando rex David in figurā Christi, prudenter, iustē, fortiterq; exercuit. Clavis enim David in scripturis sacris definitur, Summam & ir retractabilem potestatem esse, quę aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit. Ratio autem nominis videtur inde sumpta, quod David primū in monte Sion, domum seu turrim erexit, qua fretus Iebusęos arcem munitissimam in eiusdem montis *2. Reg. 5.* colliculo possidentes oppugnaret. Deinde Iebusęorum arce expugnata, eandem præsidio muniuit, & ciuitatem David appellauit. Et quoniam in scripturis sacris mons *Heb. 12.* Sion, & ciuitas David significat Christi Ecclesiam, quę (velut olim ciuitas David) tum spiritualibus Iebusęis in forti brachio erepta, tum in monte munitissimo posita, *Math. 5.* nec ciuium oculis abscondi, nec hostium telis potest expugnari: Portę verò ciuitatis David clauē illius aperiebantur & claudebantur, eaq; clauē summa rerum omnium administrabatur: propterea factum est, ut per clauem David, Christi primū libera & absoluta, deinde ministro-

rum

A rum Christi ministerialis quidem illa, sed tamen ad omnia soluenda & liganda efficax, fortis, & valida potestas designaretur.

Scio apud Esaiam reperiri non modò clauem David, *Esaię 22* sed etiam clauem domus David, quod aut de templo Salomonis, aut de regia domo, quam David in monte Sion edificauit, aut de populo fidei, (quem velut familiam & domum Christi spiritalem David rexit) accipi potest. Nam & templum Salomonis potuit appellari domus David, tum quia David primus id nouerat, materiamq; omnem in eius edificationem præparauerat: tum quia filio Salomoni ut templum edificaret, iam moriens præceperat. Sed *Psal. 131*
1. Paralip. 2. 2.

B absurdum est, ut per clauem David nihil aliud intelligamus, quā illius templi typici administrandi potestatem; præsertim cum David neque sacerdos secundum ordinem Aaron fuerit, sed de alia tribu: & tam ipse quā ceteri Prophetę & Apostoli arcem Sion templo Salomonis anteponeere nunquam dubitauerint. Christus enim constitutus est rex super Sion montem sanctum Dei. Et mons Sion ciuitas regis magni fundatur exultatione vniuersę terrę. Deligit Dominus portas Sion super omnia *Psal. 47*
Psal. 86
Esaię. 2.
Psal. 109.
Heb. 12
Niceph. l. 1. c. 28.
Ioan. 31.
2. Cor. 3.
Heb. 8.
Ioan. 14
& 16.

C nique in monte Sion Dominus Iesus & Eucharistiam instituit (veterem agnum Paschalem in verum Dei agnum, ac vini veteris libamen in noui testamēti sanguinem transferens) & Spiritum sanctum in discipulos demisit, quę est noua noui testamēti lex, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordium carnis conscripta, cuius vi Ecclesia Christi potissimū gubernatur.

Ceterum, quod ad templum Salomonis attinet, Ieremias non esse in loco illo confidendum, Michęas verò in excelsa siluarum futurum esse, Aggęus domum alterius nouissimę domus maiorem fore gloriam prædixit. Denique Christus de eodem templo ait, Non relinquetur lapis super

*Ierem. 7**Michęas**3.**Aggęi. 2**Matt. 24*

super lapidem, qui non destruat.

Potestas igitur Christi, quæ templum Salomonis & Iudaici populi regnum destruxit, nouamq; sibi Ecclesiam in gentibus conuocauit, multo melius per clauem David, qua ciuitatem suam in monte Sion extruxit, totumq; Dei populum rexit, intelligitur, quàm per illam duntaxat clauem, qua templum Salomonis administrabatur. Multo enim latius patet clauis David, quàm clauis templi Salomonis. Sin per domum David intelligamus vel ipsam domum & arcem David, vel fidelem Dei populum; iam eadem est clauis David, & clauis domus David. Vt cunque sit, David non fuit minister hominis alicuius, qui quod David clausisset, aperiendi; aut quod aperuisset, claudendi maiorem haberet potestatem: verùm fuit Dominus arcis & ciuitatis suæ, qui clausit, & nemo aperuit; qui aperuit, & nemo clausit, ab ineunte ætate sua non fur aut latro, qui oues furatur & maculat; sed legitimus pastor, qui & per ostium intrauit, & ob custodiam gregis Leonem & Vrsum interfecit: non se ipsum ingerens, nec antequam mitteretur currens, sed vocatus & electus à Deo tamquam Aaron; non profanis manibus sacrum ministerium suscipiens, sed vnctus primùm à Samuele in medio fratrum: Deinde in Hebron super viros Iuda, & demum super decem reliquas tribus Israel: non tantùm in ijs, quæ gessit, verùm & in ijs quæ à proprio etiam filio passus est, præfigurans Christum; nec id velut vnus quilibet de populo, sed velut pater Christi secundum carnem: nec vt huius mysterij rudis aut ignarus, verùm vt sapientissimus Propheta, qui ea quæ ad Christum spectabant, supra omnes senes intellexit: nec sibi soli hæc sciuit, aut intus tantùm cecinit, sed psalter egregius Israel, qui etiam iniquos viam Dei docuit, non otiosus aut piger, sed domi prudentissimi patrisfamilias, militiæ fortissimi Ducis munera obiens, sapientissimè cum hoste dimicans, nunquam victus aut fugatus, nec tamen in brachio carnis suæ confidens, verùm in nomine Domini exercituum, Dei agminum Israel semper prælians: non circa

Dei

D

E

F

A Dei cultum negligens; sed tum deducens arcam Dei, & coram ea saltans, tum vices Leuitarum distribuens, tum Sacerdotum sortes viginti quatuor constituens, tum Deo firmam ac stabilem domum mox edificandam primus mortalium vouens; materiam præparans, & altare in locofuturi templi extruens, vbi cum immolasset holocaustum, Dominus eum per ignem cælitus demissum exaudiuit. Atque in his omnibus nihil superbi sibi arrogans, sed pascens & regens Dei populum innocentia cordis sui, & in intellectu manuum suarum deducens eum, vir secundum cor Dei. Nec vir priuatus, sed potentissimus rex: nec Iudæorum modò Rex, sed & gentium cui & Moabitæ, & alienigenæ subditi fuerunt, qui posuit milites in Damasco, & præsidium in Edom, vt & Syria & Idumæa seruiret sibi; nec ad breue tempus regnavit, sed regnum ad posterolos suos in omnes generationes transmisit. Quia sicut patrum Dei cum die ac nocte, vt sint in tempore suo; sic patrum eius cum Dauide, vt sit ex eo filius, qui regnet in throno eius; nec in obscuro regnet, sed thronus Davidis sicut sol in conspectu Dei, & sicut Luna perfecta in æternum. Huius ergo Davidis, huius electi viri, huius vigilantissimi pastoris, prudentissimi patrisfamilias, peritissimi ducis, potentissimi regis, sapientissimi doctoris, & prophetæ, afflictissimi hominis, mansuetissimi pectoris, gloriosissimi victoris, pientissimi ordinatoris ministeriorum domus Dei, institutoris noui templi, conditoris nouæ ciuitatis, qui secundum carnem pater, secundum spiritum filius, imò & seruus Messias fuit: huius inquam pastorem, œconomicam, militarem, regiam, propheticam, hierarchiam stabilem & in omni causa victtricem potestatem & clauem Christus habere dicitur. Quamquam enim David secundum ordinem Aaron sacerdos non fuerit, (quia neque Christus tali sacerdotio fungi dignatus est) tamen & ea quæ ad ministerium sacerdotij Aaron spectabant, disposuit, & de tribu sanctiore fuit, ex qua Christus est ortus, & conuenticula Leuiticorum sacerdotum, quæ de sanguinibus congregabantur

1. Paralip. 23. et 24.

Psal. 131.

1. Paralip. 21. et 29.

Psal. 131.

Psal. 77. Psal. 59.

1. Paralip. 18.

Jerem. 33

Psal. 88.

Psal. 109.

Apo. 3.

Paralip. 23. et 24.

Psal. 15. tur, Deo minus placere ostēdit, & verum propitiatorium, **D**
Psal. 98. quod & scabellum pedum Domini vocauit, nempe huma
Psal. 109 nam in filio Dei naturam adorare nos iussit; & sacerdotiū,
Psal. 83. quod est secundum ordinem Melchisedech, in æternum
duraturum prædixit, amans quidem vetus tabernaculum
Hebr. 10 vt vmbra futurorum; sed Christum colens vt ipsam rei
veritatem. Hæc est igitur clauis Dauid: qua, si quis dicat
omnem sacram, summam, firmam, vtilem & semper dura-
turam Christi Dei & hominis potestatem significari, non
errauerit.

Gladium Dauidis eiusdem Clauis subiectum fuisse. **E**
Cap. V.

2. Reg. 1. **4.** **1. Paral. 22.** **Rom. 13.** **Matt. 16.** **Psal. 15.** **4. Reg. 11.** **1. Reg. 21.** **4. Reg. 11.** **Cant. 4.**

Gladius Dauidis, quo Amaleciten, qui se dixe-
rat Saulem occidisse, quo etiam in terfectores
Isboeth occidi iussit, quo denique multum san-
guinem fudit, & plurima bella bellauit, minor
fuit eiusdem Dauidis clauē, & sub eadem comprehen-
debatur. Cum enim sæcularis potestas per gladium, spi-
ritalis per clauē significetur; nec dubium sit, quin
Dauid, qui Dominum proposuit in conspectu suo sem-
per & in toto corde quæsiuit illum, terrenam potesta-
tem suam spiritali haud secus quàm sensum aut concupi-
scentiam rationis imperio subiecerit; necesse est gladium
Dauidis clauē eiusdem subiectam fuisse. In cuius rei signū
& gigantis Goliath gladium iure belli acquisitum Domi-
no consecrauit (erat enim pallio inuolutus post Ephod)
& hastas armaq; sua reposuit in domo Domini, quæ Ioia-
das Pontifex illis postea militibus & Centurionibus di-
stribuit, quia Ioia rege creato, Athaliam occiderunt.

Præterea cum Dauid turrim illam in monte Sion fe-
cisset, eam ædificauit cum propugnaculis: mille clypei
pendebant ex ea omnis armatura fortium. Turris Dauid
instrumēto clauis Dauid, aperiebatur & claudebatur. Prin-
cipatus

A cipatus igitur illius domus penes clauē Dauid fuit. Por- **Hebr. 12.**
rò mons Sion Ecclesiam significabat. Cum ergo non gla-
dius turrim, sed turris Dauid gladium omnemq; armatu-
ram Dauid comprehenderit, ea re declaratum est, maiorē
esse illam Dauidis potestatem, quæ clauē ipsius, quàm quæ
gladio administrabatur.

Postremò Dauid etiam in eo quòd rex erat, typus Chri-
sti fuit. Post hæc (inquit Osee) reuertentur filij Israel, & **Osee. 5.**
querent Dominum Deum suum, idest Christum, quem
rex Dauid præfigurauit. Nam alioqui Dauid ipse iam
olim defunctus frustra ab illis quæreretur: Et seruiens (in-
quit Ieremias) Domino Deo suo, & Dauid regi suo, quem **Ier. 30.**

B fuscitabo eis: potestatis autem regię proprium insigne
gladius est. Cū ergo regius Dauidis gladius Christi figurā
gesserit, Christus verò vt eam figuram impleret, non sæcu-
larem Dauidis gladium (quia regnum Christi de hoc mun-
do non est, vt gladius Dauidis fuit) sed clauē tantum ha-
buerit; vtq; in Dauidis clauē, quam Christus habet, conti-
nētur etiam regia Dauidis potestas, qua Christus cui om-
nis potestas data est, nullo modo caret. Maior igitur si-
ne controuersia fuit clauis, quàm gladius Dauid, & ideo **Rom. 3.**
illa hunc intra se complexa est. Et Christus clauē Dau-
dis habens, in ea quoq; habet gladium Dauidis, quia per **Ioan. 18.**
potestatem suam cælestem, quæ clauis nomine significa-
tur, ius habet imperandi, tam Dauidis quàm aliorum prin-
cipum gladijs, licet ipsos eorum gladios, qui de hoc mun-
do sunt, eo iure nunquam voluerit accipere: quia nihil de **Apoec. 3.**
hoc mundo natum & profectum accepit, sed Pater cæle-
stis dedit illi quod toto mundo in finitis partibus maius est. **Math. 28.**

Itaq; vt primogenitus regis, cui regnum hæreditario iure
debetur, non solet eques, non comes, non marchio, aut
dux creari; sed cum accipit regni possessionem, hæc om-
nia iura velut intra iuris regij ambitum comprehensā, præ
clariore modo accipit. Sic & Christus non est creatus
rex politicus, vt alij reges de hoc mundo solent, sed cum
Verbum caro factum est, quicquid potestatis ulla caro in **Ioan. 1.**

D mundo habuit, hoc totum vi suæ incarnationis Christus habuit, non quasi de mundo aut hominum donatione acceptum, sed iure suo hereditario, quod Deus pater ei contulit. Sed quoniam Protestantes apertè negant Christum habuisse potestatem in gladios regum, aut ad politias constituendas; instituetur iam de hac re accuratio: quædam disputatio, in qua totius controuersie caput explicabitur.

Blasphemia illa Magdeburgensium doctrina confutatur, qua negant Christo demandatum esse, ut regna tunc constituat, cum id electorum saluti expedit. Cap. VI.

Centur. I
lib. 2. c.
7 pag.
526.



E R T O certius est (inquiunt Magdeburgenses) Christum non missum à Patre, ut constituat regna, ac politias, nec habuisse gladium politicum. Negat enim suum regnum esse de hoc mundo, aut se hic constitutum iudicem. Igitur nec ullus Apostolorum, aut Christi Vicarius debet sibi quicquam tale usurpare, quod ipsi Christo à Patre demandatum non fuit. hæc illi. Possent quidem hæc omnia, quæ Magdeburgenses dicunt, si rectè acciperentur, illis concedi. Nam neq; Christus neq; Vicarius Christi missus est ad regna profana constituenda, quæ longè ante aduentum Christi secundum ius gentium & ciuile constituta in hoc mundo fuerunt. Sed cum perspicuè constet hæc ab illis ea mente dici, ut probent nec Christum, nec in Christi nomine Pontificem Romanum posse principes etiam Christianos ob hæresim aut ullum aliud crimen, in perij sui gradu priuare; hæc hæresis utcumq; ambiguis verbis proferatur, secundum impiam istorum sententiam confutanda est. Cum enim Vicarius Christi non ethnica, sed tantum Christiana regna certis de causis interdum constituat, aut transferat; isti autem quod à Pontifice fieri vident, hoc tam Pontifici, quàm Christo ipsi demandatum à Deo

Explicatio
mētis
Magde-
burgen-
sium.

A à Deo negent; rectè nos illorum verba in eam partem refellimus, qua Pontificis Romani sanctissimam consuetudinem oppugnant, utcumq; ab illis sub implicita & perplexa politiarum & politici gladij specie inuoluantur.

Cum ergo Christus in mundum missus fuit, ut saluetur mundus per ipsum; rectè dicimus tunc demum & Christum à Patre, & Pontificem Romanum à Christo ad regna & politias constituendas missum esse, quando id salutis animarum conducit. Ipse enim ad Patrem suum ait: Dediti Filio potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam. Nisi autem certi regis vel constitutio vel directio salutem populorum fidelium prouideret,

B Deus per Moysen non præcepisset, ut, si quando Israelitæ regem sibi vellent constituere, non possent alterius gentis hominem, quàm qui esset frater ipsorum regem facere. Hinc cum Saul inobediens factus esset, Deus quæsiuit Dauidem, virum iuxta cor suum, qui populum Dei pasceret in innocentia cordis sui, & in intellectu manuum suarum deduceret eum. Iam cum politici regni tam destructio in persona Saulis consecuta, quàm ædificatio in persona Dauidis ad pascendum Dei populum procurata fuerit: quicquid autem ad æternam fidelium salutem unquam pertinuit, aut adhuc pertinet, id per vnum mediatorem Dei & hominum, hominem Iesum Christum sine omni controuersia gestum fuerit; atq; in huius regni visibile signum, tam Samuel minister Tabernaculi Dei Saulem & Dauidem, quàm Sadoc Sacerdos Salomonis Dauidis filium in regem vnixerint; certissimum est Christum (cuius famuli domestici Samuel, & Sadoc erant) à Patre missum esse ad regna & politias pro bono æternæ salutis intra Ecclesiam suam constituendas, atq; etiam euertendas. Nihil enim fecit Christus, ad quod faciendum missus non esset: nihil fecerunt Leuitæ ac Sacerdotes ministri Christi secundum Dei mandatum & præceptum, quod non propriè ad Christum potestatem pertineret. Moyses enim, & ceteri omnes Prophetæ, ac Sacerdotes ministri, & famuli erant in domo

C à Deo

Confutatio
hæresis
Magdeburgensis.
Ioan. 3.
Ioan. 17

Deuter. 17.
1. Reg. 15
1. Reg. 13
Psal. 77

Act. 4.
Heb. 3.

Christi, hoc est in Ecclesia. Christus verò fuit in domo **D**
 non aliena, sed sua; & ibi non tamquam famulus, sed tam-
 quam filius, cui Deus pater omnem potestatem in celo &
 in terra dedit. Quicquid ergò legitimè fecerunt Samuel,
 Sadoc, & Moyses in domo Christi, fecerunt non ex sua,
 verùm ex Christi potestate. Christus autem non venit à
 se ipso, sed à Patre missus, & custodiuit voluntatem eius
 in omnibus. Missus ergo est Christus ad politicum re-
 gnum Saulis iam inobedientis dissipandum, itemq; ad fi-
 dele, idemq; politicum regnum Dauidis constituendum
 & confirmandum; quod idem de ceteris omnibus Eccle-
 się Christi regnis accipiendum est, sicut ad Ieremiam in fi-
 gura Christi dictum est, Ecce constitui te hodie super gen- **E**
 tes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, &
 dissipes, & ædifices, & plantes. Aut potuit facere aliquid
 propheta & minister Christi, quod Christus Ecclesię do-
 minus & caput facere non potuit? Quis regnum scidit de
 manu Salomonis, nisi Christus, qui per Ahiam Silonitem
 prophetam suum, decem tribus dedit Ieroboam? aut cur
 priuatus est Roboam filius Salomonis tanta regni paterni
 parte; nisi quia Salomon dereliquit Deum, & adorauit
 Astarthem deam Sidoniorum, & Chamos deum Moab,
 & Moloch deum filiorum Ammon, nec ambulauit in
 vijs Domini, vt faceret iustitiam coram Deo, & præcepta **F**
 eius, sicut Dauid pater eius? Quod si ob veram Dei reli-
 gionem contemptam, & falsum cultum vsurpatum magna
 parte regni sui priuatus est Salomon, eiusq; rei nuntius
 & minister propheta Christi fuit; cerè Christus habet ius
 & potestatem priuandi reges impios iure suorum regno-
 rum. Ex altera verò parte, vna tribus remansit filio Sa-
 lomonis propter Dauid seruum Dei, & Hierusalem ciui-
 tatem, quam elegit Deus ex omnibus tribubus Israel, vt ef-
 fet nomen suum ibi; ex quo apparet regnum in semine
 Dauidis ob fidem Christi conseruandam præcipuè stabili-
 tum fuisse. Deus enim promisit Dauidi, quòd fidelis foret
 domus seu posteritas sua; & regnum eius æternum; quòd

pro-

A profectò non fuit impletum aliàs, quàm per Christum Da-
 uidis filium, qui regnat in domo Iacob in æternum. Si au- **Luc. 14**
 tem promissio Dauidi facta in solo Christo perfectè imple-
 ta fuit; cū promissio secundum historiam ad regnū pertine-
 rit (& tale regnū quod omnē politiã, quæ in terra exerceri
 potest, in se cõprehenderet) dubitari non potest, quin Chri-
 sti regnū suo ambitu etiam politicum gladium Dauidis nõ
 secus complectatur, quàm numerus septenarius binarium
 intra se continet Christi regnum, & habuit intra suum
 ambitum id totum, quod in regno Dauidis extitit, (quod
 certè politico gladio non caruit) & multo plus habuit, si-
 cut vmbram corpus, & figuram veritas tum inter se com-
 plectitur, tum longo interuallo superat. **B** Suscitabo (inquit **2. Reg. 7.**
 Deus ad Dauidem) semen tuum post te, quod egredietur
 de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit do-
 mum nomini meo, & stabiliam thronū regni eius vsque
 in sempiternum. Hęc secundum historiam de Salomone
 dicta sunt, quatenus is erat figura Christi. Cum ergo ne-
 cesse fuerit, vt Christus ea impleret, quæ in scripturis de il-
 lo prædicta sunt; necesse est vt Christus rex fuerit verius
 quàm Salomon. Sed intelligi regnum Salomonis, quod
 politici gladij iure ac potestate caruerit, nullo modo
 potest, ergo & Christi regnum, quod politici gladij iure
 careat, multo minus intelligi potest. Scio Protestan- **Obiectio.**
 tes cauillari solere, & quærere; Ergo ne Christus sæ-
 culi causas cognouit, tribunal conscendit, carceres æ-
 dificauit, vitam homicidis & adulteris abstulit, bella **1. Reg. 8.**
 gessit, tribunos & centuriones sibi constituit; agros,
 vineas, oliueta seruis suis dedit? quibus ego respondeo.
 Si hæc omnia, quæ sæculi negotia sunt, quęq; faciunt vt eo
 minus Domino adhæreatur, gerere & administrare indi-
 gnum Christo fuit: tamen his omnibus imperare, eaq; per
 ministrorum suorum manus ritè atque ordine disponere
 indignum Christo non est, imò illius auctoritate dignissi-
 mum: quia etiam Deus pater, cuius potestatem Christus
 homo imitatur & exprimit, his omnibus sæculi negotijs **Ioan. 5.**
 præ-

Rom. 13. præfidet, eaq; omnia per suos ministros constituit & disponit. Sicut ergo Dei æterna potestas omnem politicum gladium sibi subiectum habet, & ita subiectum, vt potestas gladij secularis ab æterna Dei potestate proflexerit; sic & humanæ in Christo naturæ potestas adeo intra se omnem Ecclesiæ potestatem, licet ea secularis & politica sit, complectitur; vt quatenus in Ecclesia Dei rectè administratur, ab æterna Christi potestate necessariò promanauerit. Deus enim dedit Christum caput Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse primatum tenens. Ecclesia verò est corpus Christi, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Si ergo reges per fidem, & sacramenta fiunt Christi membra, iam et ipsum regis officium; ita per Christi donationem gerunt, vt non tam ipsi ex se ipsis, quàm Christus in illis regium munus perficiat & adimpleat. Politici ergo gladij vim & potestatem magis in regibus Christianis perficit & adimplet Christus, quàm ipsi reges, qui eum in Christi corpore, quod est Ecclesia, portant; et tamen ius politici gladij Christus non habet? aut si ius politici gladij habet, vtrum negari potest: & ipsum politicum gladium habere? Neque verò is est Christus, cui ius suum auferre quisquam possit. Nam ipse negat quemquam rapturum oues suas de manu sua, quia nemo potest eas rapere de manu patris sui, præsertim cum ipse & pater vnum sint. Cum igitur non sit minor filij quàm patris potestas: quemadmodum Dei patris ius nemo lædit, nemo imminuit; sic neque filij ius tollere aut imminuere quisquam potest, vt iam licet apud homines aliud interdum sit rei ius, & rem ipsam habere; tamen apud Deum prorsus idem sit ius gladij & ipsum gladium politicum habere. Christus autem quamquã Deus & homo existat; tamen cum non duo, sed vnus sit, & *Joan. 10.* is non adoptiuus, sed proprius Dei filius, omnem humanæ suæ naturæ potestatem ita personæ filij Dei coniunxit, vt ea iam non hominis, sed Dei potestas (quod ad personam attinet) dicenda sit. Quare vt cœpi dicere, aut ius politici gladij Christus nō habet, (& quomodo ei data est omnis potestas,

Matt. 28 A testas, cum vtiq; aliqua sit politici gladij potestas) aut cum iure politici gladij etiam ipsum politicum gladium & semper habuisse, & in æternum habere censendus est.

Dicent fortè Magdeburgenses Christum non gestasse politicum gladium, nec suis manibus illum exercuisse. Quasi verò Christi Vicarius aut hoc sibi arroget, aut non è contrario doceat, indecorum esse vt id faciat. Nam neque rex terrenus, qui corporis occidendi potestatem habet, decere iudicat, vt ipse carnificis officium exequatur. Notum est illud Bernardi ad Eugenium Christi Vicarium: Quid tu vsurpare gladium tentes, quem semel iussus exponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic: Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Hęc Bernardus. Aliud est ergo Christum habere gladium, quo per alterius manum vtatur, & aliud ipsum sua manu gestare gladium, aut aliquem manu sua ferire; quod non tam iniustum est, quàm indecorum. At Christus (inquires) neminem vnquam imperio suo priuauit. voce quidem carnis suæ neminem (quod sciam) priuauit; voce autem ministrorum suorum, quæ & sua est, (nam & in Paulo Christus loquitur) multos regnis suis priuauit. Saulem, per Samuelis; Roboam, per Ahie; Athaliam, per Ioiadæ sacerdotis vocem. Christus verò non dubitauit dicere Apostolos suos etiam maiora quàm ipse fecisset, facturos esse. Neque mirum: Aedificat enim Ecclesiam suam vsque ad finem sæculi, eò maiore potentiã suã declarans, quò in firmioribus instrumentis ad illã exequendã vtitur. Quid multis? Nonne Christus omnium terrenorum regum potentissimum spiritu oris sui interficiet? & ita interficiet, vt nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro? Persecutio enim illa maxima in fine mundi excitanda, per politicum Antichristi gladium excitabitur: nam Deus propter peccata populi regnare faciet hypocritam. Rex enim erit Antichristus, sicuti Daniel significauit his verbis: Decem cornua

Luc. 2.
Bernardus de
considerat. ad
Eug. lib.
4.

2. Cor. 13
3. Reg. 12
4. Reg. 17
Ioan. 14.

Matt. 24

Dan. 7.

nua ipsius regni, decem reges erunt: & alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & ſermones contra excelſum loquetur, & ſanctos altiffimi conteret: & putabit quod poſſit mutare tempora & leges; & tradentur in manu eius uſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis; hoc eſt uſque ad annos tres & ſex menſes. Et iterum eundem Antichriſtum Daniel appellat regem impudentem facie, qui ſupra quam credi poteſt vniuerſa vaſtabit. Cum igitur illa regis Antichriſti perſecutio talis futura ſit, vt niſi dies illi breuiarentur, non fieret ſalua omnis caro; propter electos breuiandi ſint dies illi, ſaluare autem electos proprium Chriſti ſit; certè niſi Chriſtus haberet poteſtatem conſtituendi & euertendi regna, & breuiandi eos dies, in quibus rex terrenus tale bellum ſanctis indicet, non poſſet (ſtante hoc ipſius Euangelio) vitam æternam electis ſuis dare, ob quod præcipuè miſus eſt. Illi enim dies alio modo non breuiabuntur, quàm quod Chriſtus celeriter auferet regiam poteſtatem ab Antichriſto, & regnum ipſius euertet. Chriſtus enim, vt Eſaiæ prædixit, arguet in æquitate pro manſuetis terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. cui Paulus quoque aſſentiens tunc, inquit, reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris, & deſtruet illuſtratione aduentus ſui. Et cum Ioannes de regibus decem, qui membra ſunt Antichriſti, ageret. Hi, inquit, cum agno pugnabunt, & Agnus vincet illos: quoniam dominus dominorum eſt, & rex regum; & qui cum illo ſunt vocati & electi & fideles. Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum eſt regnum huius mundi, Domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſæcula ſæculorū, Amē. Cum ergo Chriſtus breuiiores faciat Antichriſti dies, idque faciat propter electos, vt illi ſalui fiant; neceſſe eſt Chriſtū ob ſalutem electorum habere ius auferendi regna. cumq; eiſdem ſit poteſtatis regna conſtituere, cuius & auferre, neceſſe etiam eſt vt habeat ius conſtituendi regna.

Quando

A Quando enim decem tribus à Roboam filio Salomonis reſceſſerunt, eadem poteſtate & illum voluerūt ſuum regem eſſe, & Ieroſoam ſuper ſe regem conſtituerunt, vtraq; in re miniſterio Dei fungentes, qui per illum populum hoc egit, quod ipſi videbatur. Nec reſert qua ratione Chriſtus Antichriſtum perdat, cum gladij poteſtas in auferenda vita conſiſtat, quocunq; illa modo auferatur. Itaq; etiam ſi ſolo verbo Antichriſtum occiderit (vt olim Petrus Ananiam) nec hoc quidem abſq; politici gladij poteſtate factum cenſebitur.

Vt autem ad uſum & forum hanc diſputationem deducam, percipio, vt Proteſtantes ad hoc, quod nunc proponam, mihi reſpondeant. Quando Imperatores & reges ſiunt Chriſtiani; vtrum Chriſtus in eorum gladios nihil iuris, an aliquid habet? ſi nihil habet, profectò quatenus ſunt reges, ne membra quidem Chriſti ſunt: nam neceſſe eſt vt caput in omnia membra plurimum iuris habeat; cum mens, quæ in capite præſidet, ex Dei inſtitutione omnibus membris imperare debeat. Deinde, quomodo fieri poteſt, vt quod iuris in quacunq; re habet Chriſtianus; id ipſum multo excellentius non habeat Chriſtus, à quo Chriſtiani omnes id omne quod debent acceperunt? Chriſtus enim vitis eſt: illi autem palmites: Sine vite autem palmes nihil poteſt facere. Poſtremò, ſi Chriſtus in gladios regum nihil iuris habet, ne ſubiecti quidem Chriſto ſunt, quatenus reges: nam impoſſibile eſt, vt quælibet ſublimior poteſtas in ſubditos ſuos iuris per multum non habeat, cum neceſſe ſit eos ſuperiori poteſtati ſubditos eſſe, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Quod autem ſit propter conſcientiam, adeo iuſtè ſit, vt niſi fiat peccetur: quia quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Reges autem Domino noſtro Ieſu Chriſto ſeruire iubentur in timore, & filium oſculari ſeu colere, non ſolum qua homines, verum etiam qua ſunt reges. Vnde Auguſtinus dixit: In his ſeruiunt Domino reges, in quantum ſunt reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ

E non

3. Reg. 12

Act. 5.

Ioan. 15.

Rom. 13.

1. Cor. 10
Pſal. 2.

Epiſt. 50

non possunt facere nisi reges : nempe leges in utilitatem Ecclesię iusta præcipientes conuenienti rigore sanciendo. Cum ergo reges, in quantum sunt reges, Domino seruiat; gladium etiam in quantum sunt reges portent, necesse est, vt Christus non solum in regnum personas, verum etiam in gladios ipsorum politicos iuris aliquid habeat. Hoc iuris vnde accepit Christus? vtrum ab ipsis regibus gladii suos Christo sponte offerentibus? Hoc si dicis, necesse est, vt Christus illud iuris in eorum gladios non habuerit, antequam reges id ei obtulissent. Ergone filius Dei aliquid iuris ab hominibus, idque non solum in tempore, sed etiam post incarnationem suam, imò & post sessionem ad dexteram Patris accepit? Ergone miseri homunciones, Christum in quo omnes thesauri sapientię & bonitatis Dei sunt absconditi, noua potestate in fine sæculorum locupletarunt? Potestne aliquid absurdus, aut altissima Christi potestate magis indignum dici aut cogitari? Porro si iuris illud, quod in regum Christianorū gladios Christus habet, à regibus non accepit, vnde id habuit præterquam à Patre suo? Ab illo autem quando id habuit, nisi ab æterno vt Deus, & ab incarnationis tempore vt homo? Christus ergo semper habuit politicum gladium iure suo, ac non primùm per spontaneam regum oblationem. Sin autem in illa plenissima potestate, quam Christus in celo & in terra sibi datā affirmat, adeo vt eam appellet omnem potestatem; sola politici gladii potestas minimè cõtineatur, id euenire oportet vel quia gladii politici potestas nulla est omnino, vel quia maiorquàm sit omnis illa Christi potestas, vel quia tanto minor, vt sit Christo indigna, vel saltem eousque diuersa, vt sit contraria. Potestas autem gladii non est nulla, cum sit potestas vitę & necis. Non est Christi potestate maior, quia Christus, postquam corpus ab anima separauerit, potest animam & corpus in gehennam mittere. Non est indigna Christo quoties ad finem spiritalem refertur; quoniam cum sit potestas à Deo constituta, Christus Dei creaturas non respuit, non dedignatur,

non

- A** non spernit; sed illis vbiq; vtitur, adeo vt lauacro aquę in verbo mundet Ecclesiã suam. Non est etiã adeo diuersa potestas, vt sit Christo contraria (nisi fortè interdum per tyrannorum abusum, non etiam per ipsius rei naturam) quia Dei creaturę omnes, bonę sunt. Præterea si potestas gladii esset Christo contraria, nulli Christiani reges aut personę politico gladio vti possent, cum nihil quod sit Christo contrarium, illis permittatur: Atqui Ioannes Baptista cum ab illo quęrerent milites, quid ipsos oporteret facere, non iussit eos abijcere arma, sed suis stipendijs contentos esse: eo ipso indicans licere Christianos bellum gerere, & gladijs legitimè vti.
- B** Quãquam ergo Christus habeat aliam potestatem præter gladium politicum (habet enim omnem potestatem, & non solum politicam) tamen & gladium politicum ab alijs potestatum suarum formis, vt pote à patientia Martyrum, eiectione dæmoniorum, & infirmitatum curatione distinctum habet, non item verò diuersum ab illa omni potestate sua. Quę cum ita sint, necesse est, vt gladii potestas infra maximè illius potestatis vim, quę Christo data est, contineatur tamquam pars in suo toto, & membrum in corpore; & sicut regum sublimior potestas minorem patrum familias sui regni potestatem intra suum ambitum & complectitur, & etiam excedit.
- C** Iam verò ne Christus hoc gladii sui ius terrenis regibus, qui postea christiani facti essent, acceptum ferre putaretur, sapientissimè fecit, vt non solum ante regum ad fidem suam conuersionem, sed & ante passionem suam, hoc est ante potestatem patientię suę mundo in cruce sua contestatam, iuberet Petrum aliosque Apostolos & habere gladium & portare: quo tamen manibus suis vti non deberent. Præterea priusquam vllus Imperator gladium suum Christo submisisset, is Episcopo Thyatirę per Ioannem Euangelistam dixit filios Iezabelis, quę seducit seruos meos, & se Propheten dicit, interficiam in mortem. Et scient omnes Ecclesię, quia ego sum scrutans renes &

E 2 corda,

corda, & dabo unicuique vestrum secundum opera sua. **D** hoc non est gladij potestatem exercere, filios Iezabelis ob falsam ipsius doctrinam morte interficere? Adde his, quòd nullus vnquam Rex, Imperator, populus perinde vitæ necisq; potestatem habuit, ac Iesus Christus. Is enim solus iure suo dicebat, Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Cum gladius politicus nihil maius facere possit, quàm vt animam seu vitam hominis ab ipso tollat, Christus habebat potestatem non modò tollendi ab alijs vitam ipsorum, verùm etiam ponendi animam suam: quæ potestas nulli regum permiffa vnquam fuit. Rex enim alios eam pœnam merentes occidere poterat, quia Dei minister hac in parte factus esset. At se ipsum ob nullum crimen aut causam potuit occidere. Data est enim ei potestas in alios & nō in se ipsum. Verùm Christi potestas in omnem vitam hominum tam excellens erat; vt non modò in aliorum, sed præterea in suam animam haberet potestatem. Et qualem potestatem? Vtiq; ponendi eam. Et quomodo ponendi? pro solo voluntatis nutu, non secus eam ponendi, quàm quiuis nostrum aut vestem aut librum, quem manu tenet, absq; vlla vi aut coactione, idè quia vult deponit. Nihil ne aliud? Imò præterea Christus potestatem habuit iterum sumendi animam suam, & se ipsum viuificandi. O veram vitæ & necis potestatem: nam occidere posse, & viuificare nō posse (quod regibus accidit) est murila & imperfecta vitæ ac necis potestas. Vtrumq; autem posse, hæc est vera, plena & perfectissima vitæ ac necis potestas. Nihilne adhuc amplius potest Christus? Quinimò potestatem habet etiam omnium hominum vitam restituendi, eorumq; corpora in die nouissimo resuscitandi. Vnde Cyrillus dicit etiam **In Ioan. lib. 4. c. 12.** impios in die nouissimo ad pœnam resurrecturos propter Christum, qui primus resurrexit, & omnes vt homo in se ipso continebat. Nihil etiam adhuc maioris potestatis in hominum vitam Christus habet? Ipsum audiamus dicentem: **Ioan. 6.** Hæc est uoluntas eius qui misit me patris, vt omne

quod

A quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die. O mirabilem Christi potestatem in vitam & animam hominis. Tollit eam à quocunq; vult, non solùm gladio aut alio instrumento corporali, sed etiã solo verbo, ponit eam à se ipso, sumit eam iterum à se ipso: restituit eam nobis, perducit eam vsque ad gloriam Dei patris, vbi nunquam iterum auferri potest. Hic igitur filius altissimi redemptor & instaurator humani generis, qui omnia in salutem nostram in cælo & in terra potest: qui propter electos suos persecutionis Antichristi dies breuiore reddet, impiũ spiritu oris sui interficiẽs, qui sedem & clauem Dauid patris suis accepit, qui constitutus **est super regna, vt ea plantet, euellat, seu dissipet; sub cuius pedibus omnia sunt subiecta, qui reges politicis gladijs armatos in Ecclesiæ suæ regno sibi subiectos habet, qui mortem Iezabelis filijs minatur, qui verbo Ananiam & Sapphirã occidit, qui nominatim iussit Apostolos gladiũ habere, etiam si tunicam oporteret vendere vt illum emerent; qui vitæ ac necis summam potestatem habet, adeo vt animam, & suam pro arbitro ponat sumatq; & aliorum quando vult tollat ac reddat; solus mortificans & viuificans: is inquam negatur politicum gladium habere, aut regna & politias constituere etiam tunc posse, quando ea res in vtilitatem Ecclesiæ suæ cederet? Si hæc non est in Deum blasphemia, velim dicant mihi quæ tandem sit blasphemia. Imò hanc ipsam blasphemiam Christus nominatim descripsisse videtur cum in Euangelio per similitudinem diceret: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti: Ciues autem eius oderant eum, & miserunt legationem post illum dicentes, nolimus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accepto regno: verumtamen inimicos meos, inquit, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me. Constat verò nobilem illum hominem esse Christum, qui post resurrectionem suam in cælum à terra longissimè disiunctum abiit, vt ad dexteram Patris constitutus,**

secun-

Ioan. 10**Rom. 13.****In Ioan. lib. 4. c. 12.****Ioan. 6.****Ioan. 17. Matt. 28****Matt. 24. 2. The-****ssal. 2.****Luc 1. Ierem. 1****Psal. 8. Psal. 2.****Isaia 60 Apoc. 2.****Act. 5. Luc. 22.****Luc. 19.****Coloss. 1**

secundum naturam humanā supra omnes potestates, principatus, & dominationes re ipsa regnum acciperet. **D**

Ciues autem eius, qui noluerunt eum regnare supra se, sunt impij & ingrati Christiani, qui negant Christum habere politicum gladium, quo illos ad salutem coërceat. Redit verò Christus accepto regno in die iudicij; & tunc inimicos suos, qui politicum ei gladium abstulerunt, æterna morte afficiet. Tu Aclere, dum adhuc integrum est, exi ab ingratis illis ciuibus, qui nolunt Christum regnare supra se, nec amplius vnquam committas, vt Christi ministris, qui potentissimas regni cęlorum clauēs, quas nec portæ inferorum vincunt, à Christo æterno regum rege acceperunt, corporaliter castigandi, & ad salutem puniendi concessam potestatem neges. **E**

Quomodo intelligenda sint ea Christi verba: Regnum meum non est de hoc mundo. Cap. VII.

Centur. I
lib. 2. c. 7



Agdeburgenses & reliqui Protestantes, hæc verba Christi, Regnum meum nō est de hoc mundo, ita intelligunt, velut si Christus dixisset: Ego politicum gladium non habeo, nec in regnum Cęsarīs auctoritatem aliquam mihi sumo; quia regnum meum spiritale regna & politias minimè constituit, nec tale quidquam sibi vsurpat: nam hoc mihi à patre meo non est demandatum. hæc ferè sunt illorum verba. **F**

Ioan. 4.

Ceterum, si quia regnum Christi de hoc mundo non est, politicum gladium non habet, regnaq; & politias minimè constituit, profectò nec Deus pater politicum gladium habet, nec politias & regna constituere potest; quia etiam Dei patris regnum de hoc mundo non est. Regnum enim Dei spiritale est, quia Deus est spiritus, non seculare; cæleste, non mundanum; æternum, non temporale. Sin Deus pater quamquam regnum eius de hoc mundo nō sit, tamē (vt Daniel ait) transferat regna atque constituat, regnum;

Dan. 2.

& for.

A & fortitudinem & imperium det; profectò nec Christus dum ait regnum suum de hoc mundo non esse, negat se politicum gladium habere, aut regna & politias constituere posse. Hęc enim duo non sunt eiusdem sententiæ; Regnū meum non est de hoc mundo, & politias minimè constituo: alioqui Deus pater, cuius regnum de hoc mundo non est, politias minimè constitueret: quod secus se habere nec Protestantes negabunt. Omnis enim potestas à Deo est, & omnes politias ille constituit. Deinde certum est omnem potestatem in cælo & in terra Christo datam esse. Constituere autem politias, potestas quædam est, quæ ad terram spectat: Christus ergo potest regna & politias constituere, & ad hoc missus est, quoties ea res ad salutem æternam electis suis conferendam adiumentum afferat, vt iam ante demonstrauimus. **B**

Quę nam est igitur vera horum verborum sententiā, Regnum meum non est de hoc mundo? Hęc sine controuersia, quam nunc proponam. Ego rex quidem sum, sed non talis vt necesse habeam Cæsarem de folio suo deijcere, quo mihi locus regnandi pateat. Regna enim huius mundi eius condicionis sunt, vt duos simul reges æqualis potestatis nō ferant. Si rex Romanorum Cæsar Augustus est: Antonius eorundem rex eodem tempore ita esse non potest, quin hoc minueret aliquid de Cęsarīs monarchia: sed meū regnum de hoc mundo non est, quamquam sit supra omnia huius mundi regna. Potest igitur Cæsar de suo regno securus esse, licet ego rex Iudæorum sim atque gentium. Tantum enim abest ne meum regnum illius regnum impediatur, vt potius ideo regnet Cæsar, quia ego vniuersitatis rex sum. Per me enim qui sapientia Dei patris sum, reges regnant, & potentes iustitiam decernunt. Regnum igitur meum, quod non est de hoc mundo, (quia nec hominum electio, nec terrenus ordo nascendi, nec militaris manus, nec astutia vlla, sed solus pater meus cęlestis me fecit regem) regnum Cęsarīs, quod de hoc mundo est, minimè tollit aut impedit; quinimo statuit & confirmat. Iam verò quòd

Rom. 13.

Matt. 28

Ioan. 17

Ioan. 18.

Prover. 8

quodd hæc sit germana verborum Christi sententia, res ipsa declarabit, si quid actum & dictum sit, ob oculos nobis proposuerimus.

Luc. 23. Iudæi ceperunt accusare Iesum coram Pilato dicentes: Hunc inuenimus dicentem se Christum regem esse. Ex hoc autem colligi volebant Christum contradicere Cæsari.

Ioan. 19 Sic enim postea dixerunt: Omnis qui se regem facit, contradicit Cæsari.

Ioan. 18 Cum ergo Pilatus quæsiisset à Christo vtrum esset rex Iudæorum. Respondit Iesus, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis. nunc autem regnum meum non est hic. Dixit itaque ei Pilatus, ergo rex es tu? Respondit Iesus; tu dicis, quia rex sum ego.

Ex his verbis constat Christum se regem fateri, sed non de hoc mundo, qualis rex Cæsar fuit. Christus igitur illi calumniæ Iudæorum, qua eum velut Cæsari contradicentem accusabant, perinde satisfecit, ac si pluribus verbis vsus, dixisset: Cum Cæsar sit rex, de hoc mundo regem esse, populosque iam Cæsari subiectos ad mei principatus obedientiam ita vel inuitarem vel cogere, vt prohiberent eos quod Cæsaris est Cæsari dare; tunc quidem ego Cæsari contradicerem. neque verò ijdem populi possent duobus dominis, quorum singuli ius regum ex æquo sibi arrogarent, obedire: nunc autem ego quidem sum rex, sed alterius generis & ordinis quàm sit Cæsar. nam si eiusdem ordinis cum illo rex essem: ministri mei non secus pro me decertarent; quàm Cæsaris ministri decertant pro illo. Hactenus ergo Christus declarauit non qualis rex esset, verum qualis non esset. similem Cæsari se non esse, palam dixit: politicum autem gladium se habere nunquam negauit. quinimo ipsius Cæsaris politicus gladius debebat fuisse Christi gladius: quia Christus omnis creature primogenitus debebat Cæsaris gladium, non quidem ad latus affixum, sed pedibus suis subiectum habuisse: nec propterea Cæsar eo minus, sed eo magis eundem gladium habuisset.

Matt. 6. Nam ad rectum finem gladium suum iuxta Christi monita

Coloss. 1. dire-

Psal. 8. dire-

A direxisset, quod vtique est verius eo vtique, quàm cum ad honorem non Dei sed hominis vibratur. Christi enim imperium regnabile est, vt Cæsaris gladium non tollat, sed dirigat; non in totum auferat, sed ad bonum transferat. Nihil autem impedit, quo minus in eodem regno duo reges diuersi generis & ordinis simul præsententur. Nam si Herodes rex sub Cæsare Augusto Iudæis imperauit, adeo vt simul & Herodes & Cæsar Iudæorum reges forent; nonne multo magis poterit Christus iisdem ipsis populis præesse, quibus Cæsar præest? Si regis Herodis gladius fuit etiam Cæsaris gladius; nonne multo verius etiam Cæsaris gladius debebit Christi gladius esse? Nam si duo reges, qui ambo ex hoc mundo sunt,

B poterunt simul iisdem hominibus imperare, modo vnus eorum alteri subit; quanto æquius est Christum regem regum alteri subire; quanto æquius est Christum regem regum, cuius regnum de hoc mundo non est, politicum gladium sibi subiectum, atque omnino suum habere; præferat quem rex Christianus sub ipso gerit? Nam etsi potestatem in omnes omnium regum gladios accepit, quia primus & nouissimus est, cui curuabitur omne genu, & cui Deus nomen, id est potestatem super omne nomen dedit, vt in nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium terrestrium & infernorum: tamen in christianos reges, qui sese illi spontè subiecerunt, etiam ex ipsorum consensu potestatem præcipuam accepit, vt si non aliis, tamen ipsis monarcha & rex regum necessario futurus esset. Nam qui dissoluit pactum, nunquid effugiet?

C Illud autem maximè omnium admiror, quomodo vnquam Protestantes in tantam cecitatem prolapsi sunt, vt sic argumentarentur: Christi regnum de hoc mundo non est, ergo non habet politicum gladium, nec regna & politias constituit. O stulti & insensati Protestantes, quis vos fascinauit, vt non intelligeretis veritatem, nisi quia captiui à diabolo, ad ipsius voluntatem tenemini?

Idcirco enim Christus politicum gladium habet sub pedibus suis subiectum, atque idcirco regna & politias vsque ad finem mundi constituit, quia regnum eius de hoc

F mundo

Matt. 2.

Apoc. 17.

Apoc. 1.

Esaiæ 45.
Pbilip. 2.

Apoc. 19.
Ezec. 17.

Ioan. 18.
Galat. 3.

2. Tim. 2.

Psal. 8.

mundo non est. Regnum enim, quod de hoc mundo non est, æternum est: æterno autem regno necesse est omnia regna temporalia subesse. Ob hoc igitur ipsum quod Christi regnum de hoc mundo non est, omnia mundi regna cōstituit, transfert, dissipat, confirmat. Hoc, inquires, facit vt Deus. Et ego dico tibi, an alius est quàm Deus? Et si enim aliud quoque sit quia Verbum caro factum est, tamen alius esse non potest, quia vnus Dominus. Qui descendit (dum carnem assumeret) ipse est, & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia. Vt igitur ante assumptam carnem fuit cum patre vnus Deus, sic & nunc vnus cum illo Deus manet. Porrò, vt per assumptam carnem diuinitas eius nō est imminuta, sic neque regnum eius. Tantū igitur abesto, ne ob hoc regna constituat, quia regnum eius non est de hoc mundo, vt è contrario ob hoc maximè, & ob hoc solū regna & politias constituit, quia regnum eius non est de hoc mundo. Nam si de hoc mundo esset regnum eius, vt maximè ad breuissimum vitæ tempus, regna constituere potuisset, si hoc ei fortè donatum esset: certè quidē postquam ex hoc mundo excessisset, non magis regna & politias constituere iam posset, quàm Cæsar aut Nero id nunc facere potest. Quod enim de hoc mundo est, cum semel de hoc mundo esse desierit, nihil amplius in hoc mundo constituere potest: alioqui adhuc esset de hoc mundo. Nisi fortè de mundo non sit, quod nec est æternum, & tamen operatur in hoc mundo.

Dicent, opinor, Protestantes, se diuinæ Christi naturæ non negare auctoritatem constituendi regna & politias.

Atqui, cum humana Christi natura instrumentum diuinitatis sit in iis omnibus, quæ Ecclesiam ædificant, (non est enim aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, præterquàm nomen Iesu Christi Nazarenī, hoc est Dei & hominis) nos verò ante docuerimus sepe expedire Ecclesiæ, vt regnum fidele (cuiusmodi olim Davidis, nuper autem Caroli Magni, aut Othonum fuit) constituatur, itemq; vt infidele regnum (quale olim Saulis

A Saulis, nuper autem Ludouici Bauari, & Henrici Octauī fuit) dissipetur qui negat Christum, ad hoc missum, vt vlla omnino regna, vllasue politias constituat; is negat diuinā Christi naturam per instrumentum assumptæ carnis id operari, ad quod operandum Christus fuit præcipuè missus. verum de hac re satis. Iam ad alia eiusdem ferè generis transeat oratio.

Quomodo intelligantur ea Christi verba: Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?

Cap. V I I I.

B



CHRISTVS (inquiunt Magdeburgenses) negat se hic constitutum iudicem. hæc illi. More suo apponunt ad verbum Dei viuentis, vt apponat super illos Deus plagas in Apocalypsi denuntiatas. nullibi dicit Christus, Ego non sum hic constitutus iudex. dicit quidem, Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? Sed hæc verba magis admonent vt quæramus quis Christum iudicem constituerit Deus videlicet non homo: & super quos eum in hoc mūdo constituerit, nempe in particularibus causis de iudicandis super fideles, & non super infideles.

C Est autem iudicium quoddam vltimum & vniuersale, in quo tam viui, quàm mortui iudicabūtur. Omnes enim nos oportet manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum. quod iudicium quā ad Christum pertineat, neq; Protestantes negant.

Alia verò iudicia particularia sunt, quæ ante illud vltimum in hoc mundo exercentur. Ista etiam omnia vniuersali iudicio Christi subsunt, sicut ipse dicit, Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio & potestatem dedit ei etiam iudicium facere, quia filius hominis est. sed ex istis particularibus iudicijs quædā interim apud

F 2 in fideles

Jerem. 1.

Dan. 2.

Ioan. 1.

Ephes. 4.

Nota.

Ab. 4.

Cetur. 1.
lib. 2. c. 7.Apoc. 27
Luc. 12.1. Pet. 4.
2. Cor. 5.

Ioan. 5.

- 1. Cor. 6.** infideles, & iniquos exercentur. Super ista fingillatim per se ipsum, vel omnino per dispensatores mysteriorum suorum administranda, Christus non est in hoc mundo iudex constitutus. Nam cum Christus in mundum sit missus, non ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum;
- Ioan. 3. 1. Perr. 1.** ista nec ad Dei honorem, nec ad finem fidei salutem animarum in illa particulari infidelium disceptatione referuntur: & ideo non pertinet ad presens & militans forum Christi. cum autem Christus de illis omnibus simul in fine sæculi iudicauerit, tunc demum ipse illa omnia referet ad honorem Dei, & ita subiecta ei erunt. Itaque cum fratres isti de quibus iam agitur nescientes aut quis esset Christus, aut cur in mundum venisset, apud eum veluti quempiam de sæculi iudicibus, quos Cæsar aut Pilatus constituerat familię Herciscundę iudicio experiri vellent, Christus
- Luc. 12.** meritò ab illis quærit: quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? quasi diceret, nec ab humana quapiam potestate super vlllos, nec à diuina super vos hoc sine litigantes constitutus sum iudex. Ego enim ad particulare iudicium super infideles causis singulis administrandum non sum in hoc mundo constitutus Iudex. Dixitque ad illos, Videte & caute ab omni avaritia: quia non in abundantia cuiusquam vita eius est omnibus quæ possidet. Stultus est qui sibi thesaurizat, & non est in Deum diues. Ex quibus Christi verbis apparet illos non fuisse adhuc in Deum diuites, nec in Christum credidisse. Alioqui Christus non negasset se iudicem super illos constitutum. nam Christus nunquam recusauit discipulorum suorum singulas lites & audire & iudicare. Itaque cum inter Apostolos
- Luc. 10.** non semel orta esset contentio, quis eorum videretur esse maior: non solum omnes ad humilitatem exhortatus est, ut eo pacto magni apud Deum fierent; sed etiam nominatim eodem ipso tempore definiuit quis eorum esset maior, dū ad Petrū iā tunc diceret: Ego rogavi pro te ut nō deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Infirmum in fide assumere, & confirmare illius est,
- qui

D

E

F

- A** qui maior ceteris in causa fidei sit. Maior autem factus est Petrus per Christi preceationem. Alio etiam tempore cū inter Martham & Mariam sorores tacita quædam orta esset contentio, vtrum videlicet Maria, quæ corde intentissimo verbum Dei ex ore Christi audiebat, pedes Christi ad quos mira suauitate sedebat, relinquere, & Martham, quæ Christū ac discipulos eius hospitio excipiebat, in illo sancto ministerio adiuuare deberet nec ne? iamque Martha interpellaret Christum dicens: Domine, dic sorori meæ vt me adiuuet: Dominus tamquam iudex à Deo super illas fideles sorores constitutus, pro Maria contra Martham tulit sententiam, dicens: Martha Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, Porro vnum est necessarium: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Audiuimus (inquit Augustinus) sermonem [Marthæ] interpellantis, & sententiam [Christi] iudicis, quæ sententia interpellanti respondit, susceptam defendit. hæc Augustinus. Exercuit ergo Christus iudiciū inter discipulos suos, quod inter profanos recusauit exercere. neque mirum: aliter enim se gerit Christus erga eos, qui per ipsius portas in ciuitatem eius intrant, & in domo eius degunt, quos non dicit iam seruos sed amicos: quia omnia quæcunque audiuit à Patre nota fecit illis, & mysteria sua tremenda illis communicauit; longeque aliter cum ijs egit, qui tamquam porci adhuc in tenebris ignorantie Dei, cœnoque voluptatum carnalium volutantur. Foris canes & venefici, & impudici, & homicidæ & idolis seruietes, & omnis qui amat & facit mendacium. Vnde etiam B. Paulus ad Corinthios ait, de ijs qui intus sunt, vos iudicatis. Nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit. Nec indignum Christo est, vt de secularibus etiam negotijs, quæ intra Ecclesiam ipsius agitantur, cognoscat, cum ea cognitio in timore Dei ad ædificationem Ecclesię referatur. Vnde nominatim Paulus de secularibus Ecclesię negotijs tractans, Nescitis, inquit, quoniam Angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Si ergo Christiani de ijs qui intus sunt iudicant, & secularia iudicant:

Rom. 14

Luc. 10

Aug. in
ea Christi
verba.

Apo. 22

Ioan. 18

Apo. 22

1. Cor. 3

1. Cor. 6

Joan. 15 cant; Vtrum ipse Christus, qui vitis est, nos autem palmi. **D**
Apo. 22 tes; qui radix est, nos autem rami; qui caput est, nos autem
Ephes. 1. ipsius membra: tamen super illos constitutus iudex non
 est, sup quos ipsius ministri sunt iudices constituti? Quam
1. Cor. 5. blasphema est hęc cogitatio? Quasi verò nos omnem
 quam habemus potestatem à Christo solo non acceperimus, in cuius nomine & persona facimus omnia. Vtrum dicent Protestantes tam ministros Christi, quàm ipsum Christum posse leuia quędam sæculi negotia cognoscere ac definire; sed causas regnorum & politiarum non esse Christi iudicio subiectas? Ergone ad contemptibilia sæculi
1. Cor. 6. iudicia intra Ecclesiam suam exercenda missus est Christus, & non ad maiora illa diiudicanda? Vtrum & hęc no- **E**
 ua blasphemia non habebitur? nam si aliqua sæculi negotia cognoscit Christus, & super illa iudex constituitur; quanto magis grauiora sæculi negotia sub ipsius potestatem cadunt? Quo enim maior est quisquam iudex, eò magis ad illius tribunal grauiora quęq; referuntur: Christus autē est iudex omnium maximus, qui & viuorum & mortuorum
Exod. 18 dominatur, clauēq; mortis & inferni habet. Cum ergo
Deuter. 17. iam constet sæcularia, quę intra Ecclesiam agitantur, non esse ab ipsius tribunali aliena, vtique etiam constat, inter sæculares causas, quę in Ecclesia ipsius agitantur, nihil esse tam sublime, nihil tam arduum, nihil tam potēs, quod sub ipsius cognitionem & iudicium non cadat. sunt autem in **F**
 Ecclesia ipsius Imperatores & reges Christiani, sicut Esaias prædixit, & res ipsa loquitur. Ergo Christus etiam super Imperatores & reges iudex est constitutus, vt euellat & destruat, & disperdat, & dissipet, & ædificet, & plantet. Quę cum ita se habeant; liquidò apparet, quàm falso dicant Magdeburgenses & ceteri Protestantes, Christum negasse quod hic, idest in hac vita constitutus esset iudex. Non hoc dixit, non hoc sensit Christus, dixit, Quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos? sensit, Non sum constitutus iudex omnino ab hominibus: à Deo quidem sum constitutus, sed non ad diuidendam inter vos hæreditatē, idest,
 non

A non ad particularia iudicia inter infideles, per me vel per ministros meos exercenda. Secus autem se res habet in ijs causis, quę intra Ecclesiam Christi accidunt. Nihil enim eorum quę in domo eius fiunt, à se alienum iudicat. Sedes tua Deus (inquit David de Christo) in sæculum sæculi, virga directionis, virga regni tui: quin & apud Esaiam legimus: Super solium David, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud & corroboret in iudicio & iustitia. & alibi, Iudicium gentibus proferet. itemq; apud Ieremiam, In tempore illo germinare faciam David germen iustitię, & faciet iudicium & iustitiam in terra. Nec est quòd quisquam dicat, hæc de spiritali tantum, deq; iudicio conscientię, non item de fori externi iudicio intelligenda esse; nam cum omnia iudicia, quę in externo Ecclesię foro exercentur, ad finem spiritalem referantur, præsertim quoties à Christi ministro, in Christi persona & nomine exercentur, (de his enim iam agemus) vtique, Christus meritò creditur constitutus à Patre iudex in talibus causis: nempe in rebus Christianis iudicandis, vtrum in hæresim ceciderint? & cum cecidisse conuincantur, vtrum de imperio, quod in Christianos ipsi etiam Christiani obtinēt, deponi debeant nec ne? Externi autem iudicij formam spiritalibus Ecclesię iudicijs conuenire Apostolus docet, cum de suo iudicio agens dicit, **Quid vultis in virga veniam ad vos? & iterum, Ecce venio hoc tertio ad vos, in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum.** Hęc si potuit Apostolus Christi dicere, quāto magis ipse Christus?



Spiritualis potestatis Christi excellentiam non solum in eo consistere, quod spiritualibus instrumentis (cuiusmodi sunt Verbum Dei, & Christi sacramenta) sed etiam in eo quod alijs quibuscunque modis, qui spiritum ad aeternam salutem prouehunt, ex auctoritate sua, etiam cum aliorum temporalis damno, & corporea lesione utatur, sicuti saepe vsus fuisse legitur. Cap. I X.



Vm bona hominum alia sint animi, vt virtutes; alia corporis, vt fanitas & robur; alia externa, vt prædia & cetera facultates; quemadmodum opes, tum corpori, tum animo: tam opes verò quàm corpus ipsum soli animo, per naturam legem seruiunt & obediunt: sic qui habet potestatem in animam alterius, vt eum ad vitam aeternam perducatur, habet etiam potestatem in corpus & bona eiusdem hominis, vt ijs quoque tamquam instrumentis ad saluandum ipsius animam utatur. Si enim rex terrenus, cui Deus in corpus meum potestatem dedit, regij iuris vi, potest ob vtilitatem Reipublicæ, cui præest, filios meos tollere, vt faciat sibi equites, & præcursores; filias quoque vt faciat sibi focarias & panificas; agros etiam, vineas & oliueta, vt det seruis suis; quanto magis cui Deus dedit potestatem vigilandi pro anima mea, is debet in filios meos, in agros, atque adeo in corpus meum ob aeternæ vitæ finem assequendum plenissimam habere potestatem? Christus verò sicut ipse dixit, potestatem omnis carnis habet, vt omne quod dedit ei pater det eis vitam æternam. Habet igitur Christus potestatem in omnia corporis bona, & omnes hominum fortunas, vt hæc ei ad futuræ vitæ faciliorem applicationem quoquo modo inseruiant. qua potestate Christus etiam sæpissimè vsus est. Cum enim appropinquasset Hierosolymis, Asinam & pullum solui iussit, & ad se adduci. Vtrum igitur Christus alienam Asinam

A nam & Pullum sine venia dominorum abstulit? an potius iure suo vlus est, qui & Asinæ huius ac pulli, & eorum qui has creaturas in bonis suis habebant, vt legem & prophetias impleret, Dominus erat? sic enim legimus in Euangelij, Discipulos non prius dominos Asinæ & pulli adijisse, vt ab ijs potestatem abducendi eos acciperent, sed cum Asinam & pullum foris in biuio inuenissent, soluisse illos. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt Domini eius ad illos: quid soluitis pullum? at illi dixerunt quia Dominus eum necessarium habet, & duxerunt illum ad Iesum. Hæc est ergo regula, vt si potestas spiritualis aliqua re temporali, aut necessario indigeat, aut valde vtilem iudicet ad officium suum spirituale peragendum; illam à fidelibus iure suo postulare possit, & obtinere debeat. Ex eadem Euangelij libertate Christus misit Petrum & Ioannem, qui dicerent patrifamilias; dicit tibi Magister, vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis māducem? & ipse ostendet vobis cænaculum magnum, stratum, & ibi parate. Eodem etiam modo ad Zachæum dixit, Zachææ festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere. Quid verò quod Petrum & Andream, Ioannem & Iacobum à retibus & nauibus, & parentibus suis auocauit; & omnes hi relictis sæculi bonis secuti sunt eum? Nec ad rem pertinet, si quis dixerit, omnes istos vltro celsisse bonis suis, & ea vel ipsi Christo donasse, vel ob eius amorem spreuisse: nam quidquid in hoc genere factum est, ita spontè ab illis sanctis viris factum est, vt multo & prius & magis ab ipso Christo fieret, qui dedit eis potestatem hanc, non tantum vt Deus, verum etiam vt homo: cum satis constet, quod iam in carne ambulans, & mysterium salutis nostræ opere & sermone exercens, non modo per instrumentum suæ carnis hæc omnia effecerit, verum etiam secundum carnem & pullo infederit, & quæ apponebantur manducauerit, & biberit tam ipse quàm discipuli eius. Si ergo Petrus & alij omnes de quibus agitur, iuste non poterant vel bona sua propter Christum relinquere, vel partem eorum Christo donare

donare, præterquàm si earum rerum domini fuissent (ne-
 mo enim potestatem habet de eo statuendi, quod suum nõ
 est) potestatem verò id ipsum faciendi, non à se, verùm à
 Christo filio homines habuerint, (sine quo tanquam pal-
 mites in vitem inserti nihil facere poterāt quod ad salutem
 10an. 15. ipsis prodesset) id omninò efficitur, vt etiam ipse Christus
 (qui vt vitis vera per carnis suæ instrumentum diuinitati
 coniunctum, hanc illis vt palmitibus benefaciendi pote-
 statem dedit, per eandem carnem suam in eadem ipsorum
 bona potestatem plenissimam habuerit. Quam enim Chri-
 stus ipse potestatem de bonis illorum disponendi eximiã
 10an. 1. habuit; de hac illis impertijt, vt per gratiam illius ipsi quo-
 que possent bona tam Christi (omnium Domini) quàm
 sua (pro temporali vsu) vel Christo largiri, vel sæculo relin-
 quere. Itaq; ex his quæ Christo auctore ipsi Christo dona-
 ta sunt, facilè apparet, Christum hominem in bona ipsorũ
 qui ea donarunt eximiam & præcipuam quandam habuif-
 se potestatem. Neque verò ea est Christi, quæ ceterorum
 hominum causa, quibus si quid de tuo contuleris, tu contu-
 listi solus, illi verò soli accipiunt. Ceterum si Christo, aut
 alteri ob amorem Christi quippiam dederis, magis id de-
 dit Christus, quàm tu, magisq; id tu accipies, quàm Chri-
 stus aut ille cui tu in Christi nomine id donas. Christus
 enim hoc ipsum quod tu dedisti, etiam dedit per potestatem
 qua Dominus est domus suæ; tu verò dedisti velut famulus
 Heb. 3. in domo Christi Christus autem etiam aut Christi mem-
 Mat. 6. brum donatam à te iustitiam, & eleemosynam accepit ad
 temporalem vsum; tu autem eandem iterum accipies ad
 æternam mercedem. Qui enim miseretur pauperis, scene-
 ratur Deo. Age verò: ne Christus Deus & homo tantum
 in eorum bona qui vtrò illi obsequuntur, potestatem ha-
 bere putetur: Videamus nunc quid in omnium Christia-
 norum bona statuerit, quidq; damni etiam inuitis domi-
 nis iustissimè aliquando intulerit, cum hæc vtraq; nec præ-
 ter iustitiam, nec absq; legitima potestate fecerit. Legem
 igitur hanc in omnium fidelium bona Christus tulit, non
 modò

A modò vt lethale crimen haberetur, si quis habens substan-
 tiam huius mundi, & videns fratrem suum necesse habere,
 clausisset viscera sua ab eo (nam quomodo charitas Dei
 manet in tali diuite?) sed etiã reus violatæ legis esset, si non
 dedisset eum honorem, hoc est eum victum & vestitum du-
 plicem Presbyteris, & Episcopis, qui pro su a cuiusq; por-
 tione dandus esset. Nam vt nemo militat suis stipendiis vn-
 quam; nemo plantat vineam, & de fructu eius non edit;
 nemo pascit gregem, & de lacte eius non manducat: imò
 vt qui altari deseruiunt, de altari participant; ita & Domi-
 nus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant, de Euange-
 lio viuere. Hoc igitur onus temporale cum Christus mem-
 B bris suis imposuerit; nonne certum est indicium, quòd in
 externa quoque bona eorum potestatem habet? Nam vt
 Cæsar imperat tributa, vnde suis ducibus & militibus sti-
 pendia soluat; sic etiam Christus facit. Habent ergo mini-
 stri etiam Christi potestatis huius, quæ in bona fidelium
 Christo data est, ministerium, vt & ipsi non in hac causa
 tantum, sed in alia simili quacunq; præscribant, quid
 Christiani ad communem Ecclesiæ vtilitatem conferre
 debeant.
 Sed nunc accedamus etiam ad damna & pœnam aliis
 per Christum iustissimè inflictam. Cum venisset transfre-
 tum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo ha-
 bentes dæmonia, de monumentis exeuntes, seui nimis, ita
 vt nemo posset transire per viam illam. Dæmones autem
 rogabant eum dicentes: si eijcis nos, mitte nos in gregem
 porcorum, & ait illis, ite. At illi exeuntes, abierunt in por-
 cos, & ecce impetu abiit totus grex præceps in mare, &
 mortui sunt in aquis, & rogabant eum vt trāsiret à finibus
 eorum. Erant autem ad duo millia porcorum. Quid? An
 Christus ad duo millia porcorum dominis inuitis afe-
 rens, iniuria eos affecit? si nihil habet iuris in res huius
 mundi, aut in aliorum externa bona: profectò quod sine
 iure fecit, cum iniuria vt fecerit necesse est: verùm si Chri-
 stus in omnia mundi bona iuris plenitudinem habuit; vi-
 dendum

In Mar- cum. dendum est quid hinc nos ad nostram instructionem col- ligamus. Pro vnus hominis salute, inquit Beda, duo mil- lia porcorum suffocantur. Quoties ergo bonorum tempo- raliū amissio ad spirituale bonum vel nostrum, vel pro- ximorum proficit; docemur & Christum & ministros Christi habere à Deo ius dominos ipsos illis bonis tempo- raliū ob eum finem priuandi: sicut in historiis Ecclesia- sticis legimus, Gregorium Thaumaturgum piscinam de qua duo fratres immoderatè ob lucrum temporale con- tendebant, exsicasse, & vtroque ea spe ac re priuasse. Infi- gnus etiam illud est, quod Christus factò de funiculis fla- gello eiecit de templo eos, qui vendebant oues & boues, & columbas, & numulariorum effudit æs, & mensas sub- uertit. Quis putet nihil eos damni pertulisse? quorum & nunc sunt effusi, & abacta pecora, & subuersæ mēsa. Quis neget etiam corporalem coërcionem spiritali potestatis, & debitam & permissam, per flagellum illud de funiculis factum intelligi debere? Cur igitur & damno & pœna cor- poreā Christus eos affecit, nisi quia potestatem habet, eos qui domo Dei sceleratè abutuntur, & mulctare in bonis, & corporali pœna coërcere? Sed quid loquor aut de rerū detrimento, aut de flagellatione personarū? Quis Iudæos Christum ad eum crucifigendum quærentes in terram de- iccit? nonne Christus? Quis Paulum in terram veluti ictu fulminis proiecit? Quis eum lumine oculorum priuauit? Quis ei dixit, Durum est tibi contra stimulum calcitrare? Nonne Christus? An igitur Christus etiam stimulus est? an & ille compellit intrare? Non omnis ergo etiam cor- poreā vis aliena est à regno Christi. Nam si eos qui foris sunt, partim prosternit, vt sciant se peccare, partim percu- tit, vt eosdem compellat intrare; quanto magis coactiuam & coërcitiuam potestatem in eos qui iam intus sunt, exer- cet? Est enim præcipua quadam ratione domus suæ Domi- nus: vt meritò quem in sua domo sine veste nuptiali repe- rerit, eum ligatis manibus & pedibus mitti iubeat in tene- bras exteriores. Si ergo post hanc vitam in æternum ignē

D

E

F

hostes

A hostes suos conijcere potest; quanto magis coërcere eos in hac vita per quamcunque corpoream castigationem po- test? maximè cum ea pœna referatur ad salutem eorum, qui puniuntur, si fortè flagellati resipiscant? Ac ne quis putet nihil simile à Christi ministris siue Prophetis seu Aposto- lis fieri potuisse; is perpendat etiam maiora & grauiora per illos facta esse: Ita enim visum est Deo, vt non tota Chri- sti potestas per eum in terris agentem reuelaretur, sed partim antea, partim post; sicuti rem dispensare nouerat ille, qui omnia fecit in sapientia. Moyses igitur famulus in domo Christi, videns idololatriam filiorum Israel, si quis, inquit, est Domini, iungatur mihi: congregatq; sunt ad eam omnes filij Leui, quibus ait, Hæc dicit Dominus Deus, occidat vnusquisq; fratrem & amicū & proximum suum; cecideruntq; in die illa quasi viginti tria millia ho- minum. Gladius autem Leuitarum cuius est, si non Chri- sti & ministrorum Christi gladius? etiam Helias propheta Dei, & propterea minister Christi, dixit ad Achab, Mitte & congrega ad me vniuersum Israel in Carmelo, & pro- phetas Baal quadringentos quinquaginta, Prophetasq; lu- corum quadringentos, qui comedunt de mensa Iezabel. Quod cū esset factum, nec potuissent ignē de cælo deduce- re vt Helias fecerat; ait Helias ad populū, Apprehēdite pro- phetas Baal, & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cū ap- prehendissent, duxit eos Helias ad torrentem Cison, & interfecit eos ibi. Cuius gladium, Aclere, istum fuisse pu- tas? an non Christi? An non recordaris Heliam vnā cum Moysē in monte Tabor affuisse, vt ambo Christi se prophe- tas & famulos esse contestarentur? Gladius igitur Hæliæ Christi gladius est. Porrò an non prophetas reginæ Ieza- belis ea etiam inuita Helias interfecit? ac neque regis vo- luntatem ea in re legitur petiisse. Habet ergo Christus, non solum sed & minister Christi, gladium supra regis & reginæ gladium, quem suo tempore inuitis etiam regibus, in salutem fidelium stringat, vt nunc Helias fecit. Totum enim hoc factum est, vt populus decem tribuum desineret

clau-

3.Reg.18 claudicare in duas partes, nec simul Deum & Baal, sed Deum solum sequeretur. Vnde etiam expleto holocausti sacrificio, cecidit populus in faciem suam, & ait; Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus.

3.Reg.19 Iste est ille Helias tanto regibus maior, vt Deus ad eum dixerit, Vnges Hazael regem super Syriam, & Iehu filium. Nansi vnges regem super Israel, Eliseum autem vnges prophetam pro te, & erit quicumque effugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu, & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus. Gladius igitur omnino Erhaius, quem Hazael portauit, minimus est inter gladios Dei; maior ille quem Iehu rex populi Dei gessit, maximus verò is, quem propheta Dei portauit, tantum abest vt nullum habeat gladium Christi Ecclesia.

Postremò iste est Helias Thesbites, natus in Samaria, subditus Achab, & Iezabelis, regum Israel, ad quem cum rex Ochozias quinquagenarium principem, & quinquaginta qui erat cum eo, misisset, isq; diceret, Homo Dei rex precepit vt descendas, Respondit Helias, Si homo Dei sum descendat ignis de caelo, & deuoret te, & quinquaginta tuos: Quod cum secundo factum esset, cogitare debes Aclere, quòd non solum viri centum ducesq; duo sunt occisi, verum etiam rex schismaticus ingenti damno affectus est, eo quòd suis militibus priuaretur.

At in nouo, inquis, testamento, quid simile habes quod proferas? Profecto Aclere non minor est potestas eius testamenti quòd manet, quàm illius quòd euacuatum est.

1.Cor.12 Non sunt Prophetis minores Apostoli; non caret tempus gratiæ illis remedijs ad æternam salutem prouehendam, quibus lex olim abundabat. Ecce igitur tibi Elymam magnam, oculis ad tempus ab Apostolo Paulo priuatum, vt

Act.13. Paulus proconsul miraculo commotus, veritatem Dei eo facilius in æternum videret. Ecce tibi Alexandrum & Hy-menæum satanæ traditos, vt discerent non blasphemare.

1.Cor.5. Ecce fornicatorem Corinthium eidem satanæ traditum in carnis interitum, hoc est, vexationem, vt spiritus in il-

- A. la die saluus esset: Ecce Petrum quoque Apostolorum principum gladio spiritus quod est verbum Dei, Ananiam & Sapphiram hac mortali vita priuantem, vt ceteri deinceps eò magis cauerent ne spiritui sancto mentirentur. Cum omnia igitur fidelium bona siue externa seu corpora, seu etiam iura per Apostolos, & Prophetas Christi ministros, ob animarum salutem dispensata fuerint: Quis dubitet, quin hodie quoque potestas spiritualis, quæ penès Christi ministros constituta est, ius legitimum habeat de bonis & iuribus fidelium ad honorem Dei, & Ecclesie utilitatem disponendi? Cuius rei elegantem rationem B.
- B. Paulus reddit in Epistola ad Philemonem, cum ait, Philemonem debere se ipsum Paulo, nedum sua. Cum enim Onesimus à domino suo Philemone aufugiens, Pauli opera factus esset christianus, iamq; ad dominum suum iussu Pauli reuerteretur, Paulus epistola per eundem Onesimum scripta, rogat Philemonem, vt si quid Onesimus ei nocuit, aut debet, id condonet. Rogat autem, cum posset imperare: sic enim ait, Multam fiduciam habens in Christo Iesu imperandi tibi, quod ad rem pertinet, [id est, quod æquitas causæ postulat,] per charitatem magis obsecro, cum sim senex, nunc autem & vindictus. Tu Onesimum quem in vinculis genui, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, suscipe, quem ego volueram tecum detinere, vt pro te mihi ministraret in vinculis Euangelij: sine consilio autem tuo nihil volui facere, vt ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Si ergo me socium habes, suscipe illum sicut me: si autem aliquid nocuit tibi, hoc mihi imputa. Ego Paulus scripsi mea manu. Ego reddam vt ne dicam tibi, quod te ipsum mihi debes. Ita frater, ego te fruor in Domino, refice viscera mea in Christo. Confidens in obedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam & super id quod dico facies. Simul & para mihi hospitium. Nam spero per orationes vestras donari me vobis. hæc Paulus, Vbi aperte declarat ministros Christi posse Christianis quòd

Act.5.

2.Cor.4.

In epist. ad Philem.

Imperat Christianis Apostoli.

Bonum ex necessitate.

se ipsum Christianus debet Christianis.

1504.

Obediētia Christiāno -
rum erga
Christi
ministros

Nota.

Ministra
re Christi
mini-
stris.

Nota.

quòd officij sui est, etiam cum ipsorum temporali detri-
mento imperare, & illos debere obedire: vtroq; enim &
imperandi, & obediendi verbo vtitur. Fiduciam (seu li-
bertatem inquit) in Christo habens imperandi tibi, quod
ad rem pertinet, propter charitatem magis obsecro. Pos-
sem, inquit, imperare tibi. Cur id? quia id quod impero ad
rem pertinet, videlicet non alienum est ab officio, sed ho-
nestum, decorum, consentaneum, seu debitum: deinde
confidens seu persuasus de obedientia tua, scripsi tibi. er-
go & imperandi libertas in Paulo fuit, & obediendi neces-
sitas in Philemone. Necessitas inquam, cum eo etiam ver-
bo Paulus utatur, dicens, vti bonum tuum non velut ex
necessitate, sed voluntarium esset. Nam si Paulus Phile-
moni imperasset; cum obediendi necessitas Philemoni im-
posita fuisset, bonum eius velut ex necessitate fuisset, quod
Paulus maluit esse voluntarium. Quæ autem est horum
omnium ratio? Quia, inquit, te ipsum debes mihi. Non
solum igitur Christo, sed & ministris Christi se ipsos Chri-
stiani debent. Quorum enim ministerio Christus nostram
salutem operatur, dum nos etiam debitum illis honorem
reddimus, interim Christo vicissim officium præstamus.
Cum ergo ministris Christi nos ipsos debeamus; quan-
to magis nostra omnia? quid autem est quod Paulus à
Philemone aut quouis alio Christiano, qui bona huius
mundi habet, deberi ministris Christi putat? nempe vt
cum opus est ministret illis aut per se, aut per suos: dein-
de vt damnum atque etiam debitum seu æs alienum quod
ipsis debetur, quando res postulat, & id expedire ministri
Christi indicant, proximo remittant, idq; imputent seu
adscribant Christi ministris, tamquam ipsi eius rei debito-
res sint: non quòd ipsi teneantur id soluere (hoc enim io-
co tantum Paulus dixit) verum quòd ipsorum iudicio sciant
se illud remittere debere: tum autem, vt parent hospiti-
um Christi ministris: denique vt quacunque re indigent,
hanc illis præstent, nempe quia se ipsos eis debent. Nunc
animaduerte Aclere quiddam: Si Christianus vir mini-
stris

D

E

F

- A **Stris Christi ea, quæ ipsis necessaria sunt, suppeditare debet,** Nota.
ipsorum ministrorum causa: quanto magis iisdem Christi
ministri potestatem in bona Christianorum habent, vt nō
iam sibi ipsis, sed iisdem Christianis ex ea re inseruiant?
Christianis enim maximè omnium expedit, vt bona ipso-
rum ipsis potissimum ac æternæ eorum saluti subseruiant.
Quæ cum ita sint, si dispensatores mysteriorum Christi iu-
dicent ad rem pertinere, seu consentaneum & honestum
esse, vt rex aliquis Christianus ob crimina, quæ sine vlla spe
emendationis perpetrat, regno quod in Christianos gerit,
priuetur; vtique potestatem habent tum in personam eius,
quia se ipsum ministris Christi debet; tum in regnum, quia
id quoque Christianum est, & vsibus Ecclesiæ subiectum.
B **Christus quidem dum in terra esset, nulli mortalium vitam**
abstulisse legitur; non quòd iustissimè id facere non pos-
set (sicuti & olim per Prophetas suos, & postea per Aposto-
los fecit) verum partim vt impleret omnem iustitiam, qua
tunc venit vt medicus & saluator, venturus postea vt iu-
dex; partim vt Iudæi nullam eum accusandi, multoq; mi-
nus occidendi speciem haberent; partim etiam patienter
agens propter ipsos delinquentes, nolens aliquos perire,
sed omnes ad pænitentiam reuerti. Vnde etiam Ecclesia
regulam accepit, vt nulli nominatim vitam auferendam
corporalem curet, nullius sanguinem profusum cupiat,
C **ignorans vtrum benignitas Dei ad pænitentiam eum**
adducet, qui iam alioqui sceleratissimus esse cognoscitur.
Gladius enim Ecclesiæ in ædificationem datus est, non
in destructionem; ad vitam conferendam, non ad inferen-
dam mortem; ad defensionem gregis, non ad læsionem
pecoris; ad arcendum lupum, non ad deuorandum agnum.
Si quis tamen tam rapidus est, vt ex agno fiat lupus, gregem
inuadat, oues furetur, macet, disperdat; si quid huic homi-
ni grauius euenerit, sibi debet imputare, qui vltro in gladiū
Ecclesiæ incurrens, sibi ipse malum quæsiuit. Scimus enim
scriptum esse, Qui ceciderit super lapidem istum [qui Chri-
stus est] confringetur: Super quem verò lapis iste cecide-
rit,

103.2
104.1
105.1
106.1

Exod. 32
3. Reg. 18
Act. 5.
Matt. 3.
E. 9. E.
25.

2. Cor. 10

Matt 21

rit, conteret eum. Hinc fit, vt si quis ita fidem oppugnet, D. intra Ecclesiam, vt gladio, quem sub Christo portat, contra ipsum Christum vtatur, vim eius alia iustiori vi repellere: necesse habeamus.

2. Cor. 10 In Late- ranensi Concilio. Ex ijs autem quæ iam diximus, constat maiores nostros Episcopos, & Præsules secundum potestatem relictam Ec- clesie Dei, leges iustissimas in Concilijs celeberrimis con- didisse, vt si quis heresem (quo scelere nihil grauius cogita- ri potest) condidisset, propugnasset, aut sciens & volens secutus esset; is eo ipso priuaretur omni potestate sua, om- ni dominio rerum suarum, omniq; iure quod ante habuis- set; quò facilius quisq; aut pœnæ grauitate detentus, à tam horrendo crimine abstineret, aut si hoc nollet facere, ab alijs tamen ad quos ea res pertineret, castigari posset; qui scientes eum tali pœna teneri, ad vindictam istius sacri- legij opem suam, velut ad restin- guen- dum commune incendium, pri- mo quoque tempo- re confer- rent.

E

F



DE

DE CLAVE DAVID

LIBER SECVNDVS.

Christum militantis Ecclesie sue militans fundamen- tum & ab initio fuisse & usq; ad finem sæ- culi manere. . . C A P. I.



B

C

Ntequam mutetur alicuius magnæ domus ipsum fundamentum, supra quod semel edificatum erat; neces- se est eodem dissolui, parietes di- rui, totamq; priorem domus formã mutari: quod quidem tum recta ra- tio, quàm quotidianus vsus ita se habere testatur. Ecclesia verò Chri- sti, quæ in terris militat; est magna

domus Dei viui, cuius primum in terris fundamentum vnus visibilis & militans pastor fuit; nempè Christus Ie- sus, qui prædicationem Euangelij, fidem in se, amorem in Deum & proximum, Baptismum, Eucharistiam, & alia no- ui testamenti sacramenta, dum adhuc mortali carne vesti- retur, instituit, & vel suis vel suorum manibus administra- uit. Aut igitur vnus visibilis & militans pastor semper ma- net eiusdem Ecclesie fundamentum; aut si fundamentum illud primum mutatur, necesse est Ecclesie domum, quam Christus adhuc militans ædificauit, subuersam & destru- ctam esse. Non subuertitur autem Ecclesia Christi, aduer- sus quam portæ inferi nec præualuerunt, nec præualebunt; Ergo vnus visibilis & militans pastor adhuc manet, & in æternum manebit eiusdem militantis Ecclesie fundamen- tum. Debet enim fundamentum toti reliquæ fabricæ re- spondere, sicut scriptum est, Ponant fundamenta suppor- tantia altitudinem cubitorum sexaginta. Hinc quamdiu tabernaculum Domini per desertum portabatur, altaris la-

1. Tim. 3. 1. Cor. 3.

Ioan. 10. Luc. 10.

Marc. 1. Matt. 6.

Ioan. 4. Luc. 22.

Matt. 16

1. Esd. 6.

Exod. 29
30. 35. D
bii, columnarum, atrij, & aliarum eiusmodi rerum, quæ ad
tabernaculum pertinebant, bases & fundamenta etiam tra-
latitia fuerunt, & de loco in locum à Leuitis portabantur.
Postquam verò Salomon templum Deo in Hierusalem fi-
xit & erexit, etiam illius templi fundamenta in eodem lo-
co fixa & erecta permanebant. Adeo vndiq; fundamen-
tum eiusdem naturæ & condicionis est, cuius & reliqua do-
mus. Quæ enim proportio aut conuenientia domus in
terra militantis, cum fundamento quod nullo modo in
terra militat, sed tantum in cælo triumphat? Nonne quan-
tum distat cælum à terra, tanto interuallo domus eiusmodi
abest à suo fundamento? Quis enim ex nobis valet ad
cælum conscendere, vt fundamentum domus nostræ ad
nos deferat? An ideo Christus de cælo in terram descen-
dens carnem passibilem & mortalem assumpsit, fratribusq;
per omnia assimilatus, in terris visus, & cum hominibus
conuersatus est, vt post visibile militantis Ecclesiæ funda-
mentum, palam aperteq; in medio Synagogæ iactum, iam
deinceps fundamentum illud visibile à visibili domo, quæ
super illud constructa erat, auferretur, domusq; adhuc mi-
litans sine suo fundamento adhuc militate relinqueretur?
At Christus ad hoc venit vt ipse requireret oues suas, & vi-
sitaret eas sicut visitat pastor gregem suum, quādo fuerit in
medio ouium suarum dissipatarum. Non tantum in cælo est
Christus pastor noster, sed & in medio ouium suarum; nec so-
lum in medio earum per fidem nostram, & diuinitatē suā,
velut inuisibilis, nam hoc modo & ante assumptam car-
nem in medio nostrum fuit: Sed nunc per carnem visibi-
lem in medio ouium suarum habitat. Alioqui verò nec
oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascen-
dit; quodnam sit illud fundamentum, quod Christus in cæ-
lis iecit. Porro cum Ecclesia Christi super Christum vi-
sibilem ac militantem pastorem suum semel fundata, non
possit aliud fundamentum præter eundem visibilem Chri-
stum habere; omnino restat vt Christus vnā cum Ecclesia
sua militante, adhuc in terris militet.

Quomodo

A Quomodo Christus adhuc sit militans fundamentum
Ecclesiæ suæ. Cap. I I.



Vm Christum, qui quadragesimo post resurre-
ctionem suam die in cælum ascendit, secundū 2. Cor. 5
carnem iam non nouerimus; quomodo is ho-
die manet visibile ac militans Ecclesiæ suæ
fundamentum? Id vtiq; fit, dum eadem illa potestas, qua
Christus adhuc militans militantem Ecclesiam suam vnus Mat. 10.
ac solus in summo rerum administrandarum gradu rexit,
in alium pastorem vnum ex Christi mandato transfertur, Ioan. 10.
Luc. 10.
B qui personam Christi quatenus ea dum Ecclesiam funda-
ret, mortalis ac visibilis erat, in oculis fidelium vsque ad
finem sæculi gerat, & representet. Nam cum Christus
in terris existens per omnipotentiam diuinitatis suæ, qua Ioan. 5.
Deo patri æqualis est, omnia operatus sit: diuinitas verò
eius ab hominibus in seipsa non potuerit videri; sed tan-
tum per externam quandam virtutem oculis auribusque Ioan. 1.
1. Ioan. 1
hominum admotam, se se illis videndam credendamque
exhibuerit: modus autem quo diuinitas Christi Ecclesiam
in hoc mundo fundauit & rexit fuerit ille vt turbas doce-
ret, discipulos colligeret, Sacramentis initiaret, Apo-
stolos in messem Domini mitteret, ac in vnitatem con-
tineret: si potestas hoc ipsum faciendi personæ cuiuspiam
fidelis à Christo committatur; hæc persona quatenus hac
potestate prædita est, nihil erit aliud, quàm visibilis & mili-
tans Christus. Cum enim tam membra quàm dona Chri-
sti dicantur Christus; membra quidem sicut ipse ad Saulū
quosdam ex membris suis persequentem dixit: Quid me Act. 9.
persequeris? dona verò, sicut Paulus ait, Quicumque in
Christo baptizati estis, Christum induistis, idq; quoniam Gal. 3.
Luc. 8.
hæc vtraque veram & germanam Christi virtutem in se
continent: quanto magis primum ac præcipuum totius
Ecclesiæ membrum, primo ac præcipuo visibilem dono-
rum Christi præditum, nempe quod visibilem Christi per-
sonam

sonam sibi ab ipso Christo impositam ob communem totius Ecclesiæ administrandę utilitatem sustinet, visibilis & militans Christus iure optimo censebitur? At si aliam quæpiam gubernationis Ecclesiæ formam, quam Christus ipse dum in oculis hominum fundaret Ecclesiam suam, non exercuit, excogitaretur, iam hæc forma non esset ille visibilis & militans Christus, qui velut rex & monarcha spiritalis militantem Ecclesiam suam super se pastorem vnum in terris olim fundauit, & rexit, sed idolum aliquod esset ab hominibus confictum, & adinuentum. Christi autem Ecclesia nec aliud fundamentum præter Christum substerni sibi patitur, & cum super eum visibilem & militantem semel ædificata sit, quamdiu ipsa militat, eum in fundamento suo visibilem & militantem eo quo iam dixi modo vsque ad consummationem sæculi retinet. Vna enim domus Ecclesiæ non solum ab vno patrefamilias Christo gubernatur, sed etiam eo peregrinante proficiscente, vni seruo fideli ac prudenti administranda committitur; cui & præcipitur vt vigilet, cibumq; conseruis suis in tempore det, & interdicitur ne conseruos suos percutiat; ex quibus efficitur, vt in omnes conseruos suos potestatem acceperit, tamquam supra familiam Domini sui constitutus.

1. Cor. 3.

Ioan. 10.

Matt. 24

Marc. 13

Luc. 12.

Petrus loco visibilis præsentia Christi visibile ac militans Ecclesiæ fundamentum fuisse.

Cap. I I I.



NE quemquam fidelium lateret quisnam esset, quem Christus loco visibilis præsentia suæ, visibile ac militans Ecclesiæ fundamentum constitueret, Christus voluit, vt in nomine suo, quod omnes qui vsquam Christi Euangelio crederent, audituri essent, tantæ potestatis indicium circumferret: Christo ad eum dicente, Tu vocaberis Cephias, quod interpreta-

Ioan. 1.

tur

A tur Petrus. Itaque cum Christus sit petra, super quam ipsius Ecclesia edificatur, quid aliud est Petrus à Christo petra cognominatus, quam militans illud Ecclesiæ fundamentum, quod Christus loco visibilis præsentia suæ substituit & surrogauit? Ne quis enim aliorum Petri cognomen traheret, Christus ipse id interpretari dignatus est, ad eum dicens, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: quasi diceret, non ob alium finem te cognominaui Petrum, quam ut in sustentanda Ecclesia mea petre officio, id est mea vice fungereris. Nec semel id aut vno modo significasse contentus, cum Apostoli post mentionem à Christo de morte sua factam, omnino scirent vnum aliquem ipsorum ceteris præfuturum, ac propterea contenderent inter se quis eorum videretur esse maior; illo ipso tempore Christus primùm in genere ad omnes Apostolos dixit, Qui maior est in vobis, fiat sicut iunior, & qui præcessor sicut ministrator, aliquem inter ipsos verè maximum esse declarans: Deinde nominatim ad Petrum dixit, Simon, ecce Satanas expetiuit vos, [omnes scilicet Apostolos, ad quos omnes in vnius Petri persona loquitur, quia omnes in illo tamquam membra in suo capite comprehendebantur] vt cribraret sicut triticum. Ego autem omnibus vobis consulturus, non ex æquo pro omnibus vobis, sed potissimum ac primùm rogavi pro te vt non deficiat fides tua, hoc est vt tu in causa fidei sis tamquam petra solidissima. Quid ergo de reliquis Apostolis fiet? Illi quidem quod ad fidem atinet securi erunt, quia Petro duci suo & præcessori adherent: vnde sequitur, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Christus Petrum solum immediatè in fide confirmat, ceteros autem Apostolos confirmat quidem, sed per interiectam Petri personam & potestatem. Cum enim Apostoli sint quos satanas expetit cribrare, etiam Apostoli sunt, quos Petrus iubetur confirmare. Per Apostolos autem & pastores Dominici gregis adherentes Petro, etiam ceteri fideles in fide confirmantur. Porro cum fideles Ecclesia Christi sint, quando

Matt. 16

Luc. 22.

Luc. 22.

Matt. 16 do Christus precibus suis facit, vt non solum plebs Christiana, verum etiam pastores omnes ab vno Petro in fide Christi confirmetur, tunc Ecclesiam suam supra vnum Petrum edificat, vt semper in Ecclesia Christi sit visibilis quidam ac militans Christus, qui Ecclesiam super visibilem ac militantem Christum ab initio edificatam absque huius fundamenti mutatione, totiusque edificij subuersione, ad finem vsque sæculi perducatur. Nam portę inferi non preualebunt aduersus illam Ecclesiam Christi, quam ipse adhuc in terris militans supra se ipsum adhuc militantem fundauit.

Quam superior ceteris Apostolis vnus Petrus sit tam in iure quam in vsu clauium.

Cap. I I I I.

Isa. 22.



*Apoc. 3.
Matt. 16*

Laues regni cælorum, quæ summam gubernandę Ecclesię potestatem designant, ab initio soli Petro sunt promissę, Christo ad illum dicente, Et tibi dabo clauē regni cælorum. Cum igitur verax sit Christus, ab initio soli Petro sunt datę. Donatio autem clauium soli Petro facta ius quoddam singulare & eximium in eisdem clauibus ei acquisiuit. Et si enim omnium Apostolorum ac totius Ecclesię personam in accipiendis clauibus sustinuit: tamen cum hanc Ecclesię personam non ab Ecclesia, sed à Christo sibi impositam sustinuerit, eo ipso inter Christum & Ecclesiam velut Moyses inter Deum & populum interiectus est; tanto maior ceteris Apostolis effectus, quanto propius ad Christum accedit, qui primatum in omnibus tenet. Claudit ergo Petrus, & nemo aperit: Aperit, & nemo claudit. Nec tantum clauē, verum etiam vsus clauium soli Petro datus est antequam alij cuiquam Apostolo daretur, Christo ad solum Petrum dicente, Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum in cælis: & quodcunque solueris super

Matt. 16

Colof. 1.

Esa. 22.

Matt. 16

terram,

Matt. 18 A terram, erit solutum & in cælis. Quod autem in quoque rerum genere primum est, id & dignissimum, & maxime statum ac ordinarium habetur, tamquam cuiuslibet ordinis inde oritur principium ac fundamentum. Potestas igitur clauium, quæ postea ceteris Apostolis donata est, longe inferior est illa potestate, quæ soli Petro donata fuit: Primum, quia potestas aliorum Apostolorum non ius aliquod clauium, sed vsus tantummodo comprehendit. Neque verò ad illos dictum legitur, vobis dabo clauē regni cælorum, sed quæcunque ligaueritis & solueritis. Ligare autem & soluere ad vsus clauium, non ad primarium ius pertinet.

B Deinde hic ipse vsus clauium tunc demum ceteris Apostolis donatus est, cum prius iam soli Petro datus fuisset. Qui autem ceteris paribus prior est tempore, potior est iure.

Iam verò, cum in quolibet regno summa potestas penes vnum sit, non possunt clauē regni cælorum ex æquo penes omnes Apostolos esse: alioqui non tam regni quam aristocratę clauē dicerentur.

Præterea vsus clauium, qui Apostolis collatus est, pendet ac desumitur ab illis clauibus, quę iam soli Petro sunt datę. Quibus enim aliis quam Petri clauibus, cum alię mille vnquam fuisse tradantur, aut ligabunt Apostoli, aut soluent ostij Ecclesię seram?

C Potestas igitur Apostolorum cum originem aliquam ex Petri potestateumat, utique minor est origine ac fonte suo: non quod dicam Petrum auctorem esse illius potestatis, quæ Apostolis collata est, sed originem vnde sumpta est. Nam vt Deus vnā ex costis Adę tulit, eamque in mulierem edificauit, vt viro suppeteret adiutorium simile sibi; vnde Apostolus infert, Virum post quem, ex quo, & propter quem mulier facta est, caput mulieris esse: itemque vt Deus de spiritu quem prius Moyse dederat, tulit, eumque septuaginta viris de senibus Israel tradidit, vt onus populi vnā cum Moyse sustinerent, & non solus ille grauaretur; ex quo etiam recte concludi potest, Moysen septuaginta vi-

Matt. 18

Matt. 16

Gen. 22.

1. Tim. 2

1. Cor. 11

Num. 11

rorum caput ac principem esse: deniq; vt tam Heuꝛ caro **D**
 ex Adamo, quàm septuaginta virorum potestas ex spiri-
 tu Moyſis deſumpta eſt, quo vnitas & humani generis in
 vno Adamo, & Synagogæ veteris in vno Moyſe conſer-
 uaretur, ne duo eſſent etiam in hoc mundo humanarum
 potestatum principia, ſed vnum: eodem prorsus modo
 Chriſtus velut ex latere ac ſpiritu Petri potestatem ligan-
 di & ſoluendi, quam Apoſtoliſ dedit, accepit; vt nec Petro
 deeſſet adiutorium vndecim Apoſtolorum in Euangelio
 & fide Chriſti propaganda: nec tamen potestatis Eccleſia-
 ſtica duplex in Eccleſiæ membris origo, ſed vna eſſet ex
 vno Petro fundata. Ex quo rectè inferimus, Petrum poſt-
 quem, ex quo, & propter quem (ne videlicet ſolus ille gra-
 uaretur) inſtituta eſt potestas Apoſtolica omnium Apoſto-
 lorum ex inſtitutione Chriſti caput ac principem eſſe, vn-
 de & primus Apoſtolorum in Euangelio Matthæi Apo-
 ſtoli vocatur.

Postremò cum dictum eſt Apoſtoliſ, Quęcũque ligaue-
 ritis ſuper terram erunt ligata in cælo; & quęcũque ſol-
 ueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo; iam erat Pe-
 trus non tantum vnus, verum etiam primus ex illis. Itaq;
 cum hæc verba ſaluo primatu Petri neceſſariò intelligen-
 da ſint, hunc ſenſum capiunt. Quęcũque aut vos omnes,
 quorum pri mus eſt Petrus, aut ſinguli veſtrum ſaltem Pe-
 tro non contradicente, aut ſaltem duo ex vobis, quorum
 vnus ſit Petrus, ſuper terram alligauerint aut ſoluerint,
 erunt ligata & ſoluta etiam in cælo. Qui ſenſus eius loci
 proprius ac germanus eſſe conuincitur: quia ibidem ſub-
 iungitur, Iterum dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſe-
 rint ſuper terram, de omni re quamcũque petierint, fiet
 illis à Patre meo, qui in cælis eſt. non igitur ſufficit vnus
 Apoſtolorum conſenſus, verum & alterum oportet vel
 expreſſè vel tacitè conſentire, vt ratum ſit in cælo quod
 in terra petitur. Sed quis eſt ille alter in terra cuius conſen-
 ſus perpetuò ad eſſe debet? Vtique Petrus Apoſtolorum
 princeps. Nam quis capite ac principe ſuo contradicente,

qui

A qui saltē in ea re de qua agitur, caput ac princeps propriè
 ſit, conſenſum in aliqua re ſuum rectè atque ordine inter-
 ponit? Quare Chriſtus adhuc dilucidius mētem ſuam ex-
 plicans, adiecit. Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in
 nomine meo, ibi ſum in medio eorum. Ecce non ſatis eſt
 duos aut etiam tres conſentire, niſi & illi congregentur in
 Chriſti nomine, hoc eſt in ea potestate, quam Chriſtus ad
 ligandum & ſoluendum atque ad congregationes facien-
 das inſtituit. Conſtat enim ex ipſis Apoſtolorum ſcriptis
 nomen Dei in ſcripturis ſacris ſignificare diuinam virtu-
 tem ac potestatem. Potestas autem ſiue ligandi & ſoluen-
 di, ſeu congregandi Apoſtolos aut eorum ſucceſſores, ad
 quem potius pertinet quàm ad Petrum, qui clauē portat,
 quiq; ſupra omnes alios agnorum & ouium paſtor eſt, vt-
 pote plus aliis Chriſtum diligens, & in eo gradu ſingulari
 paſtor à Chriſto conſtitutus? Quòd ſi etiam aliter Chriſti
 nomen accipere libet, vbi perinde in terris reperiretur
 Chriſti nomē, ac in eo quem Chriſtus vera petra Petrum
 à ſe ipſo cognominauit? Petrus ergo potestatem clauium
 liberam & abſolutam habet. Apoſtolorum verò potestas
 ad Petri potestatem aſtringitur & alligatur.

*Summa prærogatiuarum Petri ſupra omnes alios
 Apoſtolos. Cap. V.*



Solus accepit promiſſionem vt cognominare-
 tur Cephæ ſeu Petrus, tamquam petra, quæ
 Chriſti æternæ petrę viſibilem & militantem
 locum in ſuſtentanda militante Eccleſia tene-
 ret, idq; ei promiſſum eſt antequam conſeſſus eſſet Chri-
 ſti diuinitatem, vt non illa conſeſſio hanc dignitatem, ſed
 huius dignitatis promiſſio illam pepererit conſeſſionem.

Primus Apoſtolorum ſolus conſtituitur:

Cui potiſſimum Deus fidem Chriſti conſtitendam re-
 uelauit, eo ipſo caput prædicandæ & conſtitendæ fidei eum

- constituit.
- Matt. 6** Qui Christum pro Apostolis omnibus & tota Ecclesia confessus est, gratiam Dei vacuum in se non esse ostendēs, sed capitis officio fungens.
- Ibi lem.** Super quem Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam suam, vt hoc totum non nisi Ecclesię causa Petro donatum sciremus.
- Ibidem.** Aduersus quem promisit non præualebunt inferorum portas. Nam si non præualebunt aduersus Ecclesiam, quæ super hanc militantem petram ædificatur, quanto minus præualebunt aduersus ipsam petram?
- Ibidem.** Cui soli Deus dedit clauē regni cælorum, id est, summam potestatem, & eam non popularem, nec aristocraticam, sed monarchicam, qua regiam & cælestem Dei familiam gubernaret.
- Ibidem.** Earumq; clauium tam efficacem & absolutum vsum soli Petro in primis contulit, vt quicquid ille solus ligaret aut solueret in terris, ratum fieret in cælis. Nam ceteris
- Matt. 18** Apostolis hoc ipsum quidem, sed postea, & tunc ita demum conceditur, si duo illorum consenserint, id est, si Petrus ei quod ab illis fit, minimè contradixerit.
- Luc. 22.** Pro solius Petri fide primùm ac immediatè Christus rogauit, pro ceterorum autem in Petro.
- Ibidem.** Petrum iussit confirmare fratres suos, nempe ipsos Apostolos, vt pote quos à Satana cribratos Christus per Petrum confirmat.
- Ibidem.** Dum Apostoli de primatu litigarent, Christus aliquem inter illos maximum & præcessorem esse affirmans, mox docet Petrum esse illum maximum.
- Ioan. 21.** Petrum plus aliis Apostolis & discipulis Christum dilexisse Dominus ex modo interrogandi eum nos docet, Diligis me plus his?
- Ibidem.** Petrus in eo singulari gradu constitutus, quo plus aliis Christum dilexit, iubetur agnos Domini pascere. Iubetur ergo illos super omnes alios pascere.
- Ibidem.** Nec agnos tantùm, sed & ipsas oues, quæ sunt matres agnorum

D

E

F

- A** agnorum Petrus iubetur pascere, hoc est pastores & Apostolos ipsos. Isti enim sunt aliorum fidelium matres, quæ parturiunt illos donec formetur in eis Christus.
- Matt. 17** Qui accipiebant didrachma, quæsiuerunt à Petro, vtrū Christus solueret didrachma necne? nam & illi quamuis à Christo alieni, tamen ex iis quæ gerebantur, perspicuè videbant Petrum in toto Christi comitatu principem esse.
- Ibidem.** Pro solo Petro ex omnibus Apostolis perinde ac pro Christo didrachma soluitur. Vnde Apostoli hoc signo primatus admoniti, statim de primatu litigabant.
- Mat. 18.** Cum piscatio Apostolorum (vel ipso Christo interprete) ad homines capiendos referatur, in hoc toto genere Petrus ubiq; primus tenetur, nam Christus in Petri nauim potissimùm ascendit, vt ad eius Ecclesiam se potissimùm per gratiam suam accedere demonstraret.
- Luc. 5.** In Petri nauicula sedet, vt se in Petri Ecclesia perpetuò manere & quiescere ostenderet.
- Ibidem.** Inde turbas docet, vt ex Petri Ecclesia fideles in æternū docendos innueret.
- Ibidem.** Petrum iussit in altum ducere, vt illum totius Ecclesiasticæ disceptationis principem esse ac ducem significaret.
- Ibidem.** Primus Petrus in verbo Christi rete laxat, piscesq; tantos capit, vt etiam aliorum auxilio ad extrahendum rete opus esset.
- C** Ceteri Apostoli dicuntur socij Simonis, & cum illo piscarum eunt.
- Ioan. 21.** Solus Petrus liberè ambulat super totam aquam, id est omnibus populis præficitur: nam aquæ multæ significant populos multos.
- Matt. 14** Solus Petrus viso Iesu mittit se in mare ceteris nauigio venientibus: quia illorum potestas præ Petri potestate certis finibus concluderetur.
- Ioan. 21.** Licet dum Petrus ad Christum properaret, alij discipuli rete piscium traherent; tamen ad terram illud non traxerunt, donec ascenderet in nauim Petrus, & rete in terram traheret. Nihil enim omnibus suis numeris in Ecclesiasticis

Galat. 4.

Matt. 17

Ibidem.

Mat. 18.

Matt. 4.

Luc. 5.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ibidem.

Ioan. 21.

Matt. 14

Ioan. 21.

Ibidem.

sticis causis impletur, donec Petrus ei supremam apposue-
rit manum.

Luc. 22. Quamquam duorum gladiatorum, quos Apostoli habe-
bant, mentio in Euangelio fiat: tamen solus Petrus gladiū
Matt. 26 portasse legitur, quem Christus non alienum sed suum,
idest Petri gladium vocauit, cum diceret, Conuerte gla-
dium tuum in locum suum, vt pastoralis eius officio etiam
materiale gladium (de eo enim postea planum faciam)
subiectum esse ostenderet; eum inquam gladium, qui in-
tra Ecclesiam Christi exoritur, & per alienas non per Pe-
tri manus licet Petri nutu vibratur.

Ioan. 13. Petri pedes primū in cena lauantur.

Niceph. lib. 2. Solum Petrum Christi manibus baptizatū fuisse, E-
dudius Petri in Antiochena Ecclesia primus successor in E-
pistola, quam de lumine scripsit, & inscripsit, memoriæ
prodidit.

Matt. 19 Solus interrogauit Christum de ijs, quæ ad omnes Apo-
stolos æquo pertinebant. Ecce nos reliquimus omnia
Luc. 12. & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? & iterum, Domi-
ne ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes?

Ioan. 6. Solus de ijs, quæ ad omnes pertinebant respondit, Do-
mine, inquit, ad quem ibimus?

Marc. 3. Vt discipuli omnes cum Christo esse, cum Christo ire

Ioan. 11. & discumbere dicuntur: sic vbi seorsim à Christo conside-

Luc. 22. rantur, cum Petro esse dicuntur. Vnde Marcus ait, Prose-

Marc. 1. cutus est Iesum Simon, & qui cum illo erāt. Et Lucas dixit,

Luc. 8. Petrus & qui cum illo erant.

Nec solum alij Apostoli, verum etiam Iacobus & Io-
annes filij Zebedæi, qui erant chariores Christo, quàm
Marc. 3. alij, quibus etiam nomina Boanerges imposuit, diceban-
tur cum Petro esse. nam cum assumpsisset Petrum, & Ia-
cobum & Ioannem in montem vbi transfiguratus est, Pe-

Luc. 9. trus, inquit Lucas, & qui cum illo erant, grauati erant
somno.

In parabola de patrefamilias peregrè proficiscente, &
singulis seruis suis officia distribuente (qui vtique Chri-
stus

A stus est in cælum ascendens) cum omnibus præcipitur vt
vigilēt, tum seorsim ianitori hoc ipsum præcipitur. Et quis
perinde ianitor ac Petrus, cui clauē datę sunt? Is ergo præ-
Mar. 13.
Matt. 16 cipuē iubetur vigilare non tantum pro se ipso, verum &
pro alijs omnibus, qui in domo Christi sunt.

Petro interroganti ad quem potissimum parabola de vi-
gilando pertineret, Christus dixit, Quis putas est fidelis di-
Luc. 12. spensator & prudens, quem constituit Dominus supra fa-
miliam suam, vt det illis in tempore tritici mēsuram? vtiq;
declans Petrum esse illum dispensatorem, & ideo studio-
sius ei vigilandum esse.

Vnde iterum ad Petrum ibidem ait: Omni cui multum
ibidem.
B datum est, multum queretur ab eo; & cui commodauerunt
multum, plus petent ab eo. Itaque cum vigilantia debeat
secundum rationem crediti muneris adhiberi: Petro
plus vigilandum insinuatur, quia plus ei creditum sit, quàm
alijs Apostolis.

Vt maior labor Petro imponitur, sic & maior ei honor
Mar. 16. habetur. Vnde Angelus ad sanctas mulieres dixit, Ite, dici-
te discipulis eius & Petro, quia præcedit vos in Galilæam.
honoris causa Petrus seorsim ab alijs nominatur.

Maria Magdalena videns lapidem à monumento subla-
Ioan. 20. tum, recurrit ad Simonem Petrum, & ad alium discipulū,
quem amabat Iesus. cur primo ad Petrum, nisi quia erat
C omnium princeps?

Licet Ioannes prior ad monumentum venisset, tamen
Ioan. 10 non introiuit, donec Petrus introiisset. vtiq; vt principi
Apostolorum primus deferret.

Christus ex omnibus Apostolis primò post resurrectio-
1. Cor. 15 nem suam Petro apparuit. Visus est enim Cephe, & post
hoc vndecim. Qui etiam ibant in Emaus, cum in fractio-
ne panis Dominum cognouissent, eadem hora regressi in
Ierusalem, inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui
cum illis erant, dicentes, quod surrexit Dominus verè, &
apparuit Simoni.

Christus de genere mortis Petri nominatim prædixit
Luc. 24. his

Ioan. 21. his verbis. Cum senueris extendens manus tuas (in cruce) **D**
& alius te cinget & ducet quò tu non vis. hoc dixit signifi-
cans qua morte clarificaturus esset Deū. Tu me sequere,
videlicet in genere mortis supra omnes alios.

Quoties Petrus in quatuor Euangeliis aut cum om-
Matt 10 nibus Apostolis, aut cum quibusdam nominatur, vbique
Marc. 3. illis omnibus præponitur: quod cum non casu apud eos
Luc. 6. qui spiritu sancto inspirati scripserūt euenerit, nec semel
Ioan. 21 sed sæpissimè occurrat, certum est argumentum, illos co-
gnouisse Petrum esse principem Apostolorum.

Post Christi Ascensionem.

Act. 1. Apostoli ascēderūt vbi manebat Petrus & Ioānes, &c.
Dux ergo Petrus chori Apostolici.

Act. 1. Solus sententiam depositionis in Iudam tulit.

Act. 1. Non solum solus auctor fuit alterius Apostoli in Iudæ
locum surrogandi, sed etiam solus legem omnibus præ-
scripsit, ne alium eligerent, quàm qui versatus fuisset cum
Apostolis à baptismo Ioannis vique ad diem Ascensio-
nis Christi.

Act. 1. Et omnes Apostoli omnia hæc secundum Petri præscri-
ptum fecerunt.

Act. 2. Accepto Spiritu sancto stans Petrus cum vndecim, leua-
uit vocem suam. Iudæi autem compuncti corde dixerunt
ad Petrum & ad reliquos Apostolos, utrobique apparet ut
duodecim Apostolos præ ceteris discipulis & fidelibus ita
& Petrum præ ceteris vndecim Apostolis antecelluisse.
Illi aliorum fidelium, & Petrus illorum dux & modera-
tor fuit.

Lucæ 3. Quamquam religio Christiana præparari & condi cœ-
perit ab eo tempore, quo Christus à Ioanne baptizatus ap-
propinquationem regni cælorum prædicare, discipulos
Ioan. 4. habere, & in se credentes baptizare cœpit: tamē quia Chri-
Rom. 4. stus non dū passus erat propter peccata nostra, nec adhuc
Rom. 10. propter iustificationem nostram resurrexerat: quos arti-
1. Pet. 3. culos

A culos velut religionis Christianæ fundamentum, omnes
Christiani quando primùm initiantur, confitentur: perfe-
cta promulgatio Euangelij, & velut solemnis dedicatio
Ecclesiæ Christianæ facta est die quinquagesimo post resur-
rectionem Domini, quo die Spiritus sanctus velut noui
Testamenti noua lex & in corda credentium diffundeba-
tur, & per ora illorum promulgabatur. Illo autem die cum
supra omnes alios Apostolos vnus Petrus omnia mode-
ratus sit, ille Christi morte & resurrectione Iudæis annū-
tiata, compunctionem cordis in eis excitauerit, ille com-
punctis penitentiam agendam & baptismum Christi in
remissionem peccatorum suscipiendum præscripserit, ille
circiter tria millia hominum eodem die ad Ecclesiam

B Christi suo ministerio apposuerit, ille paulò post tam clau-
dum quàm paralyticum sanarit, Tabithamq; à mortuis sus-
citarit; ille deniq; ad hoc ipsum Spiritu sancto repletus no-
men Christi apud tribunal sacerdotum primus confessus
fuerit, quæ omnia prædicandæ & confitendæ fidei Chri-
stianæ prima sunt fundamenta: negari non potest, quin
Christus prima Ecclesiæ suæ iam consecratæ fundamenta
potissimùm super visibile vnus Petri ministerium iecerit,
per illum agnos, per illum oues suos pauerit, ut imple-
retur verbum ipsius, quo ad eum dixerat, Tu es Petrus, &
super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

C Petrus etiam secreta cordium Ananiæ & Sapphiræ per
donum Dei scrutatus dum eorum & sacrilegium detexit
& vitam verbo suo abstulit, facile (ut D. Gregorij verbis
vitar) quanta potentia super ceteros excreuisset, ostendit.

Cum autem umbra corporis sui infirmos sanauit, com-
pletum est in eo ante omnes alios Domini verbum quò
dixerat, Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse fa-
ciet, & maiora horum faciet.

Cum Samaria recepisset verbum Dei, miserunt Apo-
stoli ad eos Petrum & Ioannem, ut videlicet Petrus, qui
auctor primus fuerat baptismi administrandi, auctor etiam
esset imponendi manus baptizatis, ut acciperent Spiritum

K sanctum

Act. 2.

Aug. de
ciuit. Dei
lib. 18. c.

54.
Act. 2.

Act. 3.

Act. 9.

Act. 4.

Matt. 16

Act. 5.

Greg. li.

1. Epist.

24.

Act. 5.

Ioan. 14

Act. 8.

sanctum. hæc enim omnia testantur Ecclesiam super Petrū D
vndiq; fundatam esse, cum nihil rectè geri videretur, quod
Petri auctoritate primū non administraretur.

Act. 8. Primus detexit & damnauit simoniacæ labis detestabile
crimen in Simone Mago, quem & excommunicasse vide
tur donec pænitentiam ageret, ad eum dicen s: Nō est tibi
pars neque fors in sermone isto, cor enim tuum non est
rectum coram Deo. pænitentiam itaque age ab hac nequi-
tia tua. Scio quemlibet Apostolorum hæc eadem potuisse
facere. Verū aliud est in Iudæa primū fundare, aliud in
Iudæa fundatam propagare Ecclesiam. Dum simul essent
Apostoli, Petrus velut summus Pontifex omnia, quæ sum-
mę potestatis erant aut solus aut primus peregit. Iam cum E
certum sit Apostolos postquam in vniuersum mundum
alij aliò discesserant, cælum non animum mutasse, profe-
ctò constat vbique eos hoc animo fuisse, vt Petrum pro ca-
pite & præcessore suo habuerint.

Luc. 22. In nulla re clarius patefactum est Petrum esse ipsorum
Apostolorum pastorem, quàm in doctrina de baptizatio-
ne gentium, quę numquam adhuc erant circumcisæ. Quā-
Matt. 28. quam omnes Apostoli probè scirent Christum misisse ip-
sos in vniuersum mundum ad docendum & baptizandum
omnes gentes: tamen vtrum illæ gentes antequam bap-
tizarentur circumcidi deberent nec ne, hoc quidem hæte-

Act. 10. nus non erat manifestè reuelatum. Modus autem quo
Deus id reuelauit hic erat, vt Angelo ad Cornelium Cen-
turionem misso, eum iuberet accersere Simonem Petrū: F
& interim Petro in excessu mentis oranti, cælum ostende-
ret apertum, linteum magnum ex cælo demittens, in quo
erant omnia quadrupedia, & serpentina terræ, & volatilia
cæli, quibus omnes quantumuis barbaræ gentes figura-
bantur, factaq; est vox ad Petrum tamquam ad summum
Christianorum sacerdotē, occide (apud altare Christi per
fidei, & pænitiæ prædicationem) & manduca, hoc est, in
corpus Ecclesiæ militantis, cuius tu visibile caput es, inse-
re has gentes, vt abiectis & velut occisis erroribus, in qui-
bus

A bus hætenus vixerunt, tecum deinceps communicent, ve-
lut membra tua factę. Dum hæc visio tertia vice ostende-
retur, ad maiorem rei confirmationem venit à Cornelio
nuntius, ac spiritus iterum admonuit Petrum, vt ne dubi-
taret ad Cornelium se conferre. Iuit. Christi fidem tam ei,
quàm familię ipsius prædicauit, quo adhuc loquente ceci-
dit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.
Et obstupuerunt ex circumcisione fideles qui venerant cū
Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est.
audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes
Deum. Petrus his tot modis de cōcilio Dei certior factus,
re cum Apostolis nondum communicata, dixit: Nunquid
B aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui
Spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? & iussit eos ba-
ptizari in nomine Iesu Christi. Audierunt autem Apo-
stoli & fratres, qui erant in Iudæa, quoniam & gentes re-
ceperunt verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Ie-
rosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex cir-
cumcisione, dicentes: quare introisti ad viros præputium
habentes, & manducasti cum illis? sed cum totam rem
ex ore Petri audiuisent, tacuerunt, & glorificauerunt
Deum.

Hinc manifestè constat, Deum non modò ceteris fide-
libus, verū etiam Apostolis ipsis hoc ingens mysterium,
C quod in præteritis generationibus non erat agnatum filiis
hominum, Petri potissimū ministerio reuelasse. Vt vi-
delicet Petrus in hac quidem causa non modò agnos, ve-
rū & oues, hoc est Apostolos agnorum matres pasceret.
Petrus est, qui non solū Iudæos, verū & gentes mādu-
cat, hoc est in suum ouile incorporat. idq; factum est defini-
to Dei concilio, sicut Petrus ipse dixit in Concilio Iero-
solymitano, Deus elegit per os meum gētes audire verbum
Euangelij, & credere.

Post aliquot verò annos cum quidam descendissent è
Iudæa Antiochiam, circumcisionis necessitatem docētes,
licet Antiochię tunc essent Apostoli quidam, nempè Pau-
lus

D Ius & Barnabas, itemq; prophete, & doctores, Simōn Nigē, Lucius Cyrenensis, & Manasē; tamen statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem super hac quæstione. Cur ab Apostolis ad alios Apostolos in Ierusalē itum est, nisi quia princeps Apostolorum Petrus Hierosolymis tunc erat, super quem sciebant Ecclesiam Christi edificatam, vt is etiam fratres suos Apostolos in causa fidei confirmaret.

Matt. 16
Luc. 22.

Act. 15.
Act. 10.

Cum magna conquisitio Ierolymis fieret, Petrus totam quæstionem per illam Dei reuelationem, quæ ipsi iam ante facta fuerat, dissoluit. Tacuit autem omnis multitudo velut in primi pastoris definitiua sententia conquiescens: Nam quod postea Iacobus addidit, ex interuallo factum est, non ad infringendam, sed ad confirmandam Petri sententiam, sic tamen, vt aliquid in gratiam Iudæorum apponi videretur.

Act. 12.

Cum Herodes Agrippa occiso iam Iacobo coniecisset Petrum in carcerem, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Sciebant enim fideles plurimū e re sua esse, vt caput & fundamentum Ecclesiæ, non tam cito e viuis tolleretur.

Gal. 1.

Licet Paulus ad Apostolatū ab ipso Christo vocatus esset, quem à se visum testatur; tamen probè sciens Petrum esse præcipuam columnam & visibile fundamentum Ecclesiæ, venit Ierolymam vt videret eum, & mansit apud eum diebus quindécim.

1. Cor. 15

Gal. 2.

Cum nonnulli contradicerent Paulo tamquam in prædicatione sua non cum ceteris Apostolis consentienti, secundum Dei reuelationem vnà cum Barnaba, & Tito Ierolymam ascendit, ne inuanum curreret aut cucurrisset, nisi Petrus & qui erant cum Petro dextras societatis ei dedissent. Ex Dei ergo reuelatione constat Petrum esse caput Apostolorum: Is Apostolos ipsos pascit & confirmat tribus modis, primū quidem velut præcedens ante illos in omni opere & doctrina; deinde reuelationes Dei excipiens de iis rebus, quas illi prius nesciebant; denique

Ioan. 21.

Act. 1. et

2.

Act. 10.

con-

A confirmando illos, de quorum alioqui prædicatione dubitabatur.

Cum Petrus Antiochiam venisset, seq; à gentibus quibuscum prius edebat, ob Iudæos, qui tunc à Iacobo venerant, subtraxisset, ne quod scandalum præberet iis Iudæis, qui non ita multo ante fidem receperant, quamquam Paulus adesset, neq; hanc Petri simulationem probaret (vt verè probanda tunc non erat) tamen Petrus ob primatum sui Apostolatus, quem omnes Christiani & nouerāt & colebant, tanto maior Paulo habebatur, vt nō solum Iudæis, sed etiam gentes, nec plebeij tantum Christiani, sed etiam principes atque adeo Barnabas Apostolus, qui erat comes

B Pauli, relicto Paulo adhererent Petro, in eandem simulationem vnà cum illo ducti. Ij enim omnes propter eminentem Petri auctoritatem separabant se à gentium cibus ita vt cogere gētes Iudaizare. An nō hinc apparet quā constans esset omnium Christianorum de primatu Petri fides & vsus: Capiti enim Ecclesiæ parendum esse cognouerant, non animaduertentes eam regulam in ijs, quæ à primo pastore post interpositam causæ cognitionem, vtriusque partis rationibus maturè perpensis, de Concilij sententia definiuntur, valere debere: non item in quotidianæ vitæ vsu & conuersatione: Quæ dicunt facite, inquit Christus, secundum opera eorum nolite facere. Petrus enim hoc tempore non synodum de hac causa indixit, non os Domini consuluit, sed quod ei ex tempore melius videbatur, hoc egit, ratione vnus partis non vtriusque habita: Iudæorum enim, qui nuper venerāt, magnam meritò rationem habuit. De gentilibus verò, qui multo plures Antiochiæ crediderant, hoc nihil aut parum cogitabat, in cuius rei omissione non nihil pro humana fragilitate sua ignorans & inuitus peccabat. Itaq; licet ex hac re Petrus in conuersationis suæ modo erraret, atq; ideo sequendus nō fuerat tamen id interim certum est, illum habitum esse maiorem Paulo Apostolo, atq; ideo cunctos illius exemplum secutos esse.

Gal. 2.

Gal. 2.3
Ibidem.

Ibidem.

Matt. 18

Matt. 23

2. Cor. 1

1. Cor.

Paulus

Gal. 2. Paulus videns etiam suos ipsius comites Petro adhæ-
rere, atque idcirco se nihil posse proficere, nisi Petro ipsi
2. Cor. 12 persuaderet vt institutum suum mutaret; sciens etiam mi-
Iacob. 4. nimè conuenire, vt clam Petro detraheret, vnitatem vè Ec-
clesiæ diuideret; dixit Cephæ, hoc est Petro coram omni-
bus: si tu, cum Iudæus sis, gentiliter viuas & non Iudaicè,
quomodo gentes cogis iudaizare? atque hoc erat in faciè
ei resistere, quoniam reprehendendus à Paulo erat ob cõ-
mune totius Ecclesiæ bonum. Alioqui enim verisimile
erat etiam ceteros per totum mundum fideles Petri exem-
plum imitaturos fuisse.

Quamquam verò non legamus in scripturis sacris Pe-
trum, cessisse Paulo; tamen id satis manifestè concludi po-
test ex his ipsis Pauli verbis. Nam si Petrus Paulo post hãc
Pauli reprehensionem ex deliberato concilio restitisset,
iam hoc exemplum potius proposito Pauli detrimentum
quàm commodum attulisset. Debebat enim timere ne Ga-
latæ scientes Petrum aliud quàm Paulum sentire, potius
principi Apostolorum quàm Paulo adhæssissent. Erat ergo
res notissima Petrum perspecta B. Pauli sententia & ra-
tione, statim illi acquieuisse, quatenus (inquit Gregorius)
In Ezech. hom. 18. qui primus erat in Apostolatus culmine, primus esset & in
humilitate. Itaque completum est in Petro illud Domini
Matt. 18 verbum, Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in
Luc. 9. regnum cælorum. Qui minor est inter vos omnes, hic ma-
ior est. Petrus autem vsque adeo cessit Paulo, vt eas ipsas
Pauli epistolas, in quibus legitur fuisse reprehensus, lau-
dauerit, idq; ex proposito, ne fortè qui Paulo detrahebant,
ea occasione epistolas eius notarent quòd Petro in eis ob-
loqui videretur. ò verè cælestem primatum, qui non querit
quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, se ipsum humilians vt à
Deo exalteretur.

Tam illustis apud omnes antiquos patres tam Græcos q̄
Latinos primatus Petri fuit, vt multi eorum putatēt Petrū
Apostolorum principē à Paulo nunq̄ vero vultu fuisse re-
Gal. 2. prehensum. Itaq; alij hūc Cepham, de quo Paulus agit, vo-
lebant

A lebant aliquē ex septuaginta duobus discipulis fuisse; alij
verò hanc reprehensionem putabant, in faciem, hoc est, in
speciē, velut ex occulta quadam pactione & dispensatione
interpositam fuisse de vtriusque Apostoli consensu; & nō,
seriò aut studiosè. Quamquam verò alij patres Petrum
non dubitant verè ac seriò fuisse à Paulo reprehensum: ta-
men illi quoque primatum Petri agnoscunt & defendunt.
Quapropter etiam si tanta Ecclesiæ lumina de sententia
verborum Pauli tantoperè contenderent, tamen omnes
in eo consenserunt, Petrum fuisse principem omnium
Apostolorum.

B Paulus agnouit discrimen inter Apostolos ipsos, ac
unum Petrum omnibus prætulit: Existimo (inquit) me
nihil minus fecisse à magnis Apostolis; nihil enim minus
fecit ab his, qui sunt supra modum Apostoli. Et iterum,
Contuli Euangelium, quod prædico in gentibus seorsum
ijs, qui videbuntur aliquid esse, id est, qui ceteris emine-
bant: de quibus paulò post dicit, Qui videbantur columnæ
esse, eosq; nominat Iacobum, Cepham, & Ioannem. Sed
omnium clarissimè Apostolos distinguit, in tres ordines
his verbis: Nunquid non habemus potestatem mulierem
sororem circumducendi sicut & ceteri Apostoli, & fratres
Domini, & Cephæ? Ex duodecim Apostolis quosdam vo-
cat ceteros, quosdam verò vocat fratres Domini, Cepham
demum, qui est Petrus, seorsim per se numerat, quia in pri-
matu suo aliis omnibus anteiuit. Eodè modo cum inanes
Corinthiorum iactitationes commemorat, Cepham præ-
ponit. Ego quidem (inquit aliquis ex Corinthiis) sum Pau-
li, ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego autem Chri-
sti. & post: Omnia vestra sunt; siue Paulus, siue Apollo, siue
Cephæ, omnia vestra sunt, Vos autem Christi, Christus
autem Dei. Vbiq; Cepham seu Petrum, iuxta Christum
nominat velut maximum inter omnes Apostolos, ultra
quem nihil in hac vita cogitari queat. Vbiq; à Cephæ iur
ad Christum, sicut à Christo ad Deum.

Cum Apostoli prouincias inter se diuiderent, duæ præ-
cipuè

Vide Hieronymum in epist. ad August. Vide Augustinum in epist. ad Hieronymum.

2. Cor. 11

2. Cor. 12

Gal. 2.

1. Cor. 9

1. Cor. 1.

1. Cor. 3.

1. Cor. 3.

Rom. 7.
Galat. 2. capuē & dignissimæ fortes pro sui Apostolatus principatu, Petro dilata sunt: Primum, vt sicut Christus in terris agens fuerat minister circumcisionis, sic & Petrus esset circumcisionis Apostolus.

Deinde vt gentium præcipuas Metropoles possideret, in oriente Antiochiam, in occidente Romam, in meridie Alexandriam.

Cum præter Petrum alij essent vndecim Apostoli, qui orbem vniuersum peragrantes vbiq; gentium Ecclesias constituerunt; nemo tamen ex illis omnibus vllam sedē

Can. 6. & 7. Episcopalem ad tantum honorem euexit, vt prouinciarū aut gentium aliquot caput haberetur. nec synodus Nicēna de antiquissimis Ecclesiarum prerogatiuis agens, vllas

5. & 6. alias nominat Ecclesias præter Alexandrinam, Romanā, Antiochenam & Hierosolymitanam, in quibus omnibus constituendis Petri auctoritas potissimum interuenit. Nā

Petrus, Iacobus & Ioannes, cum essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum dignarunt. Porrò

Clemens Alex. hi pot. li. 6.
Euseb. li. 2. cap. 2. Petrus ipse Romæ, atq; Antiochiæ confedit; Alexandrinā verò Ecclesiam per B. Marcum auditorem suum, & discipulum condidit. Nonne hinc apertissimè cernitur, ceteros quidem Apostolos iam inde ab initio sciuisse, quòd

Matt. 28 sui officij erat Euangelium Christi propagare, & ne Petrus supra vires suas grauaretur, eas regiones obire, ad quas Petrus aspirare non potuit, ceterum Ecclesiarum dignitatem & ordinem deinceps obseruandum præscribere, id nō suarum partium, sed vnius Petri esse. an alioqui ad vnum omnes officio suo fungi neglexissent.

1. Cor. 15 Paulus Doctor gentium, qui plus omnibus laborauit, qui Euangelium Christi à Ierusalem per circuitum vsq; ad

Rom. 15.
Act. 23 Illyricum repleuit, vtrumne sedem aliquam eminentem vllibi constituit, quæ Patriarchalis, aut Apostolica diceretur? Imò & ipse à Deo missus est Romā, vt non alibi, quam vbi erat Petrus Iudæorum & gentium caput, Apostolus gentium quiesceret; ne fortè per eam occasionem aliquod

schisma

A schisma deinceps in Ecclesia oriretur, dum Petri & Pauli sedes inter se opponerentur: an Deus primatum Petri fatis insigniter non firmavit & muniuit, si esset fides aut prudentia in hominibus?

Quis alius Apostolorū vllam omnino, ne dum tam stabilem, florentem & perpetuam sortitus est in capite mundi successionem?

Quis vnquam præter Petrū dictus est Apostolorū dux, præcessor, princeps, os, caput, vertex, coriphæus, quæ honorum insignia passim apud sanctos Patres B. Petro tribuuntur?

B Nonne in epistolis formati, quæ olim fiebant, quæq; in testimonium Catholicæ fidei & communionis circumferebantur, statim post primas beatissimæ Trinitatis litteras adiungebatur etiā græcum illud, π , idest Petri Apostoli prima littera, vt is de quo agebatur, hoc signo profiteretur se cōmunicare cum Petro Apostolorum principe? Semper enim qui communicasset cum Petro, & prima Petri sede, Catholicus habebatur; qui verò secus, aut hæreticus, aut schismaticus erat. Cathedram (inquit Optatus) quæ est

prima de dotibus Ecclesiæ, probauimus per Petrum nostram esse. Vestræ cathedrę vos originē reddite, qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare.

C Cui præterquam soli Petro primas vbiq; concesserunt omnia etiam Oecumenica episcoporum Concilia? Cuius ex omnibus Apostolis perinde, ac solius Petri successorem venerati sunt nō solum populi, sed etiam Reges & Imperatores Christiani, vsq; ad pedes ipsius osculandos prouoluti?

Quæ alia præterquam solius Petri prima & principalis sedes: omnes hæreses, quæ hæctenus in Ecclesia exortę sūt, vicit ac repressit, ipsa interim omnis hæretici erroris expers?

Petri nomen tam celebre semper fuit non solum in Ecclesia Christi, sed etiam inter paganos; eiusq; in propaganda fide Christi tanta semper auctoritas, vt quidam Idolorū

culto-

lib. 2. c. 1.

Arcopagita.

Hieron.

Chrysof.

Cyrill.

In fine

Calcedo.

Concilij

ex Attici ep. traditione.

Lib. 2.

c. 1.

c. 1.

c. 1.

c. 1.

c. 1.

c. 1.

De ciuit. Dei lib. 18. c. 53.

cultores totam religionem Christianam vnus Petrus diis atque artibus attribuerent. Excogitarunt enim (auctore Augustino) quosdam Græcos versus, tamquam consulti cuiusdam diuino oraculo effusos, vbi Christum quidē ab huius tamquam sacrilegij crimine faciunt innocētem: Petrum autem maleficia fecisse subiungunt, vt coleretur Christi nomen per 365. annos. Quorum mendacijs ita respondit Augustinus. Si Petrus maleficus fecit vt Christum sic diligeret mundus; quid fecit innocens Christus, vt eum sic diligeret Petrus, vt videlicet Christi quā suum ipsius nomen coli mallet? Nos qui sumus vocamurq; Christiani, non in Petrum credimus, sed in quē credidit Petrus, Petri de Christo ædificati sermonibus, non carminibus venenati; nec decepti maleficijs, sed beneficijs eius adiuti. hęc ille. Quā horrenda interim cęcitate Protestantium mentes implicantur, cum nihil horum videant, sed quemlibet Apostolorum dicant Petro æqualem fuisse.

Cum vna sit Dauidis & Christi clauis, cur plures clauis Petro sint datæ. Cap. VI.

Oseę. Apoc. 3. Matt. 16.

Hic est Christus nunc in veritate, quod olim Dauid fuit in figura. Precessit vnus Dauid, interuenit vnus Christus, subsequutus est vnus Petrus. Dauid in typo, Christus in veritate eterna, Petrus in ministerio temporali. Dauid habuit clauem ciuitatis suę, Christus clauem Dauid. Petrus clauem domus Christi. Nec mireris cur clauis, quæ & in Dauide typo Christi, & in ipso Christo vna fuit, in Petri persona transiuerit in plures. Nam Dauid vnā habuit, vt vnā esse Christi clauem ostēderet. Christi clauis vna fuit, quia non (vt hominibus plerūq; accidit) aliud ille scire, & aliud facere potuit, sed tum scientia illius secundum ipsius volūtatē efficacis semper fuit, atque operatoria; tum potestas eius numquam non sapiens ac discreta. Ceterum Petrus indiguit tam scientia quā potestatis clauibus, quia & scientia

A scientia in illo etiam ibi deficere potuit, vbi affuisset potestas, & potestas defuisset, vt non omne quod agendum sciret, perficere valeret, nisi Christus vtramq; & scientiæ & potestatis clauem ei dedisset.

De clauis scientiæ legimus Dominum ad legis peritos dixisse, Tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Per hanc scientiæ clauem impius Caiphas prophetauit, etiam nesciens quid diceret, idq; quoniam erat Pontifex anni illius. De clauē autem potestatis apud Isaiam scriptum extat, Potestatem tuam, sive est præfecturæ templi dabo in manu Eliacim: & dabo clauem domus Dauid super humerum eius. Apud Deum

B inquit Iob, est sapientia [hęc est clauis scientiæ] & fortitudo [hęc est clauis potestatis] ipse habet concilium, & intelligentiam [quod ad clauem scientiæ spectat] si destruxerit [per clauem potestatis] nemo est qui ædificet: si in cluserit hominem, nullus est qui aperiat.

Propter vos, inquit Paulus, in persona Christi Corinthio donauit [hęc est clauis potestatis] vt non circumueniamur à Satana, [hęc est clauis scientiæ] nō enim ignoramus cogitationes eius. Vidit Petrus per clauem scientiæ Ananiam & Sapphiram Spiritui sancto mentiri, eosdemq; per clauem potestatis hac mortali vita priuauit, vt ex hac rescipuli scirent, quanta potentia (vt Gregorij verbis utar) supra ceteros excreuisset.

Quanta sit vis, potestas, & efficacia clauium regni calorum. Cap. VII.

Hic est Christus nunc in veritate, quod olim Dauid fuit in figura. Precessit vnus Dauid, interuenit vnus Christus, subsequutus est vnus Petrus. Dauid in typo, Christus in veritate eterna, Petrus in ministerio temporali. Dauid habuit clauem ciuitatis suę, Christus clauem Dauid. Petrus clauem domus Christi. Nec mireris cur clauis, quæ & in Dauide typo Christi, & in ipso Christo vna fuit, in Petri persona transiuerit in plures. Nam Dauid vnā habuit, vt vnā esse Christi clauem ostēderet. Christi clauis vna fuit, quia non (vt hominibus plerūq; accidit) aliud ille scire, & aliud facere potuit, sed tum scientia illius secundum ipsius volūtatē efficacis semper fuit, atque operatoria; tum potestas eius numquam non sapiens ac discreta. Ceterum Petrus indiguit tam scientia quā potestatis clauibus, quia & scientia

omnia, quæ intra domum illam aut ciuitatem continen-
 tur, quin etiam in pomerium, & loca omnia eidem domui
 aut ciuitati subiecta. Hinc factum est, vt quamquam Ely-
 mas Magus non esset de Christi domo, tamen quia vole-
 bat Sergium Paulum Proconsulem auertere à fide, Paulus
 Apostolus in eum potestatem habuerit tamquam in impe-
 dimentum quod è via remouendum erat, quo proconsuli
 ad domum Christi aditus pateret. Eadem est ratio cur disci-
 puli Domini potestatem Dæmones eiiciendi acceperint,
 quia dæmones salutem hominum impediunt. Cui ergo cla-
 ues regni cælorum dantur, is habet potestatem impedimē-
 ta remouendi, necessaria præparandi, præparata in Eccle-
 siam introducendi, introducta gubernandi, ea quæ rectè gu-
 bernantur ad cælum transmittendi: quæ verò gubernari no-
 lunt, eiiciendi ex fidelium coetu, & regnum cælorum ijs-
 dem claudendi. Hoc enim totū significant ista verba Chri-
 sti, Tibi dabo claues regni cælorum; & quodcunque ligaue-
 ris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque sol-
 ueris super terram, erit solutum & in cælis. Ac sanè cum
 cuiuslibet Reipublicæ summus præfectus potestatem am-
 plissimam nullis finibus conclusam accipiat; quanto ma-
 gis deuit eum qui ad ciuitatis Dei gubernacula sederet, vi
 clauium suarum omnia illa disponere & absque vlla excep-
 tione administrare posse, quæ salutem Ecclesiæ quoquo-
 modo prouerent? Quid enim est quod debui ultra face-
 re vineæ meæ, & non feci ei, dicit Dominus? Latius autem
 patet potestas clauis, quæ semper penes ministrum Christi
 est, quàm ligatio & solutio, quæ non nisi per interualla
 exercetur. Præterea, dum præparantur & expediuntur ea,
 quæ suo tempore liganda & soluenda sunt, clauis non ces-
 sat officio fungi, etiam si nōdum liget aut soluat: Qui enim
 paganis atque infidelibus annuntiat Euangelium, non sta-
 tim illis portas regni cælorum aperit aut claudit, sed po-
 tius auditores vocat ad arcem, & ad mœnia ciuitatis, atque
 ad agni nuptias inuitat. Neque verò omnes obediunt Euā-
 gelio, sed alij excusant se, alij negligunt venire, alij etiam

D ei

- A Dei nuntios persequuntur; alij deniq; manum mittunt ad
 aratrum, & retro deinde respiciunt. Et si verò corda quo-
 rundam Dominus aperiat, vt intendantiis quæ dicuntur,
 iamq; videntes signa quæ fiunt, in nomine Christi credūt,
 ne adhuc quidem aperitur eis regnum cælorum. Quia nō
 omnis qui dicit Christo, Domine Domine, intrabit in re-
 gnum cælorum, sed qui facit voluntatem Dei. Nam ex
 principibus multi crediderunt in Iesum, sed propter pha-
 risæos non confitebantur, vt è synagoga non eiice-
 rentur.
- Qui ergo credit in Christum, si ita credat, vt spiritum,
 quem per Dei gratiam cōcepit, non extinguat, sed ad præ-
 positos Ecclesiæ veniat, vt verbo catechizetur, & illorum
 iudicio Christum per baptismum induat; ille quidem per
 lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti
 saluus fit, quod nihil est aliud, quàm ei regnum cælorum
 aperiri. Verum nisi renatus fuerit ex aqua & Spiritu san-
 cto, nō potest introire in regnum Dei. Nam tamen si prius
 in nomine Christi credidit, tamen ipse Iesus, qui nouit
 quid sit in homine, nondum credidit seipsum ei, donec nō
 per circumcisionem manu factam, quæ non nisi carnem
 corporis aufert; sed per circumcisionem Christi, quæ con-
 scientiam lauacro aquæ in verbo vitæ mundat, consepe-
 liatur Christo in baptismo, vt destruat corpus peccati,
 & iustificetur à peccato. Porta ergo regni cælorum bap-
 tismus est: quicquid verò baptismum præcedit, etiam si ad
 clauis potestatem pertineat, non tamen ligat aut soluit,
 non aperit aut claudit, sed vitam sternit, & necessaria in
 hunc finem præparat. Ligare enim aut soluere actus iudi-
 cij est. Sion, inquit Esaias, in iudicio redimetur. Nemo au-
 tem iustè iudicat, nisi prius audierit, & causam cognouē-
 rit. Ceterum qui sermonem exhortationis ad plebem ha-
 bet, fungitur quidē legatione pro Christo, tamquam Deo
 per ipsum exhortante, sed non dum exercet scientiam di-
 scernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum &
 mundum. Aliud enim est legationem Dei passim tam in-
 fideli

Rom. 10.
 Matt. 22
 Act. 16.
 Ioan. 2.
 Matt. 7
 Ioan. 12
 Galat. 6.
 Galat. 3.
 Tit. 3.
 Ioan. 3.
 Ioan. 2.
 Colof. 2.
 Heb. 9.
 Ephes. 5.
 Colof. 2.
 Rom. 6.
 Esa. 1.
 Ioan. 5.
 Act. 13.
 2. Cor. 5.
 Leuit. 10
 1. Cor. 14

- Luc. 12. scio seipsum per Dei gratiam præparasse, & corde compū
 Act. 2. tum esse, in remissionem peccatorum suorum baptizare.
 1. Tim. 5. Eodem modo aliud est accusationem aduersus alterum
 1. Cor. 5. sub duobus aut tribus testibus admittere, (quod nondum
 1. Tim. 1. est ligare) & aliud quem iam reum cognoui, à sacramentis
 Christi remouere, aut etiam contumacem ex Ecclesia eij-
 cere. Quæ cum ita sint, meritò dicimus, etiam si nihil solui
 aut ligari queat, nisi ab eo qui clauem Christi administrat,
 non tamen omne illud quod à Christi ministro fit, esse ip-
 sum ligare aut soluere, quamquam eò tendat.
- Rom. 10. Potestas igitur clauium, partim est præparatoria, partim
 iudicialis. Præparatoria illa cum de soluendo agitur Euan-
 gelij prædicatione & catechizatione constat; cum autem
 Gal. 6. de ligando, inquisitione, denuntiatione, aut cognitione. Iu-
 Matt. 18. dicialis verò potestas, alia expeditur per clauem tam ordi-
 1. Tim. 5. nis, quàm iurisdictionis, dum sacramenta Christi viris ido-
 1. Cor. 11. neis administrantur: alia per solam interdum clauem iurif-
 1. Tim. 1. dictionis, dum indigni vel à sacramentis, vel etiam ab vni-
 Tit. 3. uersa fidelium communione arcentur.

*Quàm imperitè Protestantes negent peccata re ipsa
 per clauē Ecclesiæ remitti & auferri.*

Cap. V I I I.



- Vm verba hominum satis idonea non sint ad
 præstantiam mysteriorum Dei explicandam:
 & idcirco vltra communem verbi vim aliquid
 augustius, & sublimius tã in veteris, quàm in
 noui Testamenti scripturis intelligi debeat, per lucem, nō
 solùm claritas quædam, verùm etiam sanctitas; per verita-
 tem, non modò id quod res in se est, verùm etiam perfe-
 ctio huius rei: tamen Protestantes summa salutis nostræ
 Ioan. 1. mysteria ita extenuant & deprimunt, vt per corpus Chri-
 Thess. 4. sti pro nobis datum, intelligat absentis corporis figuram;
 Ioan. 3. per
 Luc. 22.

- A per baptismum saluantem, eum qui nos non saluat, sed tan-
 tum significat saluatos; per fidem iustificantem, eam quæ
 Rom. 3. non iustos re vera existere, sed tantum iustos reputari fa-
 & 4. cit. Ita sanè conuenit vt Diabolus, qui è cælo cecidit, deor-
 Ioan. 8. sum omnia trahat. Qui verò sunt ex Deo, sursum cor ha-
 Matt. 3. bent, & altiora intelligi sciunt, quàm verbo exprimantur.
 Hac ergo diabolicæ interpretationis figura, Prøtestantes
 dicunt, Apostolos quibus dictum est, Quorum peccata re-
 Ioan. 20. miseritis, remittuntur eis, re vera nemini remittere pecca-
 ta, sed tantum remissa pronuntiare.
- At cum vnum & idem peccata remittendi verbum in
 eadem Christi oratione bis ponatur, semel quidem vt mi-
 nisterium Apostolicum, in remittendo peccata significet,
 B dum ait, Quorum peccata remiseritis: iterum autem, vt ef-
 fectum eius ministerij declaret, dum subiungit, Remittun-
 tur eis: nec in eo quod efficitur plus cōtineri possit, quàm
 in causa præcessit: profectò si prior clausula sic tantum in-
 terpretanda est, Quorum peccata remiseritis, idest remissa
 pronunciaueritis; cum verè interim ea per presbyteros
 non remitti dicant, etiam posterior, quæ ad priorem tota
 refertur, sic quoque interpretanda erit, Remittuntur eis,
 idest remissa eis pronuntiantur, nec re vera interim illis
 remittuntur. Iam si vtrobiq; peccatorum remissio tantum
 pronuntiat, & re ipsa non efficitur; quid magni pro-
 mittit Christus? imò etiam quid veri? nisi fortè quod verum
 non est, id pronuntiarum veritas iubeat, sin verè coram Deo
 peccata remittantur, vtiq; Apostoli sunt, qui ea per clauē
 Ecclesiæ verè illa coram Deo remittunt. In hoc ipso Chri-
 stus & pacem eis dedit, & misit eos sicut ipse missus est à
 C patre, & insufflauit, & Spiritum sanctum impartiuit.
- Præterea quod in cælis, vbi nihil est nisi nuda veritas, sol-
 ui dicitur, verissimè absque omni ambiguitate soluitur.
 Sed quæ Apostoli soluebant in terris, eadem ipsa dicuntur
 in cælis soluta esse. Ergo etiam in terris Apostoli verissi-
 mè à peccatis absoluebant; nec aliud est, cum de peccatis
 agitur, soluere, quàm remittere & liberare.

Quem-

Matt. 2.1 Quemadmodum soluendi verbum in comparatione **D**
Ioan. 1.1 ad rem ligatam dicitur, sic per ligatæ rei solutionem opti-
 mē declaratur. Quando autem Christus Asinam alligatam
 solui, & Lazarum pedes & manus ligatum solui iussit, ve-
 rissimē à vinculis suis soluti sunt, ergo etiam animæ homi-
 num verissimē à peccatorum suorum funibus soluuntur,
 quando Apostoli eis remittunt peccata: hæc enim signa
 corporalia verē & palam facta sunt, vt internæ operationis
 veritatem patefacerent.

Matt. 16 Clauium est non ostium opertum pronūtiare, aut aper-
Esa. 22. tum ostendere; sed ostium prius clausum verē aperire, aut
Apo. 3. prius apertum re vera claudere. Clauēs enim ostij seram
 aut ligant cum claudunt, aut soluunt cum aperiunt. Mini- **E**
 sterium igitur clauium Apostolicarum in operando confi-
 stit; nec id solū, sed etiam in transferendo eos, quorum
 peccata remittūtur à Diaboli vinculis in libertatem Chri-
 sti. Vnde Apostolico ministerio noua creatura in Chri-
2. Cor. 5. sto fit, nec id tantū quod prius factum erat, factum pro-
 nuntiatur.

Clauēs, de quibus agitur, non præcipuē Petri aut Apo-
Ioan. 1. stolorum, sed ipsius Christi sunt. Nam hic est qui baptizat.
2. Cor. 2. Vnde & Paulus in persona Christi, Corinthio fornicato-
 ri condonauit. Petrus clauium Christi non nisi minister
1. Cor. 4. est, & dispensator. Qui ergo negat peccata per clauēs Pe-
Ioan. 1. tri verē tolli, negat Christum esse agnum Dei tollentem **F**
 peccata mundi.

Luc. 5. Si Christus cum paralytico dixit, Remittuntur tibi pec-
 cata tua, verē illi peccata nō remisit; nec idem paralyticus,
 in testimonium quod filius hominis habet potestatem in
 terra dimittendi peccata, verē lectum suum substulit, & in
 domum suam abiit: sin hæc verē facta sunt, etiam peccata
 ei verē sunt remissa. Porrò cum Petrus non suarum, sed
Aff. 3. Christi clauium sit administer, etiam vt cum Petrus ad ho-
 minem ab vtero matris suæ claudum dixit, In nomine Ie-
 su ambula, is verē ambulauit; sic omnino cum ad peniten-
 tem dicit, In nomine Iesu te absoluo, is verē à peccatis ab-
 soluitur,

A absoluitur, & non tantū absolutus pronuntiatur.

Præterea cum antiqua hæresis antiquo etiam pharma-
 co sit curanda, quod Nouatianis hanc eandem Protestan-
 tium hæresim condentibus Ambrosius olim opposuit, **De peni-**
 nos quoque Protestantibus opponamus: Improbè, inquit, **ten. lib. 1**
 quòd etiam in Ecclesia donari peccata negant posse, cum **cap. 6.**
 Petro dictum sit; Tibi dabo clauēs regni cælorum. Nam
 & Nouatiani negabant sacerdotes absoluere posse pænité **Socra. l.**
 tem à peccatis. **4. c. 23.**

Postremò sacerdotes, qui peccata in Ecclesia remittūt,
 non instar concionatorum ad omnes pænitentes ex æquo
 & in genere loquuntur, sed (vt B. Cyprianus loquitur) exa **Lib. 1. e-**
 minatis singulorum causis, pacem lapsis dant, secundum **pi. 2.**
B iudicandi potestatem (vt S. Maximus ait) à Christo illis da- **Homil.**
 tam. Iudicium verò sententia efficax est, executioniq; se- **de pote-**
 cundum leges eius Reipublicæ in qua fertur, mandatur. **state cla-**
 Cumq; apud Christianos in persona Christi feratur, para- **uium.**
 tam secum affert executionem: quia cum Dominus quip- **2. Cor. 2.**
 piam dicit siue per se, seu per ministrum suum, mox fit
 quod dicitur.

*Verbis ligandi & soluendi amplissimam leges con-
 dendi, ac de criminalibus tum iudicandi, tum
 pœnam statuendi, auctoritatem Christi
 ministris dari. Cap. IX.*



X ordine quo Euangelium, in fratre, qui in nos **Matt. 18**
 peccat, corripiendo, nos vt iubet; clarissimum
 est de publico iudicio ad postremum agi, & ta-
 li iudicio publico, in quo Apostolus aliquis,
 aut Apostolorum successor causa cognita sententiam fe-
 rat. Ab vno enim solo fratrem delinquentem corripiente,
 venit ad testes duos aut tres; à duobus aut tribus testibus
 ad Ecclesiam sub pœna excommunicationis audiendam. **Ibidem.**
 Per Ecclesiam intelligitur publicum tribunal, in quo iu-

dex ecclesiasticus præfidet. Qui enim iudicem ecclesiasticum pro tribunali iudicantem non audit, Ecclesiam cuius ille iudex personam gerit, non audit. Nam quòd ea verba [dic Ecclesię] non aliter accipi debeant, quàm vt is qui fratrem corripit, si priuatus est, iubeatur delinquētem ecclesiastico iudici denuntiare; sin autem ipse, qui fratrem corripit, ecclesiasticus iudex est, eundē rectè atq; ordine prius admonitum coram omnibus arguere; vt saltem vel totius Ecclesię, multarumq; personarum facies reuereatur, si vnquam se emendabit; vel si contumax permanferit, ab omnibus cauendus & deuitandus sciatur: hoc quidem ex actis Apostolicis & totius Ecclesię vsu abundè constat.

Ac primùm quidem simulatque Christus dixerat, Dic Ecclesię, si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus & Publicanus, statim subiunxit, Amē dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: perinde ac si dixisset; Vos Apostoli estis, qui hac in causa personam Ecclesię sustinetis: & ideo tam constanter affirmo vestrum iudicium & sententiam non in terris modò, sed etiam in cælo ratam esse; quia si vestram sententiam publicè interpositam peccator non audierit, Ecclesiam non audit.

Deinde grauissimus Ecclesię doctor Chrysostomus, ea Christi verba [dic Ecclesię] ita interpretatur, Dic præpositis Ecclesię.

Præterea Paulus Timotheo præscribens, vt accusationem aduersus presbyterum non recipiat, nisi sub duobus aut tribus testibus, peccātes verò coram omnibus arguat, vt & ceteri timorem habeant: eo ipso declarat Episcopi seu Ecclesiastici iudicis munus esse vel accusationem recipere, cum quis ab altero accusatur, vel peccantem Ecclesię denuntiare, cum ipse Episcopus eum alia via reum esse deprehenderit.

Quid, quòd idem Paulus Tito etiam Episcopo præcepit, vt hæreticum hominem post vnā & secūdā correptionem deuitet, seu rejciat; tamquam eius officium sit tertio loco

A loco de causa cognoscere, & contumacem ex Ecclesia eicere, nempe, quia ille personam Ecclesię gerit.

Cum alter Apostolus in Iudę præuaricatoris locum subrogāndus esset, nonne solus Petrus in medio fratrum exurgens, sententiam depositionis in Iudam manifestum proditorem tulit secundum Prophetiam dicens, Episcopatum eius accipiat alter? Is ergo publicum peccatorem toti Ecclesię, non velut accusator, sed velut iudex denuntiauit.

Nonne cum vxorem patris sui aliquis Corinthi haberet, Paulus congregatis Corinthiis & suo spiritu, eum hominem Satanæ tradendum solus iudicauit? Congregata est Ecclesia, vt cum auctoritate ad aliorum timorem sententia promulgaretur; sed promulgata est à Paulo solo in Iesu Christi nomine & persona, aliis Corinthiis in testimonium rei gestę, non in gerendę potestatem adhibitis.

Ioannes etiam Apostolus cum Diotrepes non susciperet hospitio fratres, quinimò eos, qui suscipiebant, prohiberet, ac de Ecclesia eiceret, nonne liberè audacterq; scripsit, Si venero, commouebo eius opera quę facit, verbis malignis garriens in nos?

Idem Ioannes in persona Christi ad episcopum Ephesi dicit, Memor esto vnde excideris, & prima opera fac. Sin autem venio tibi, & mouebo candelabrum tuum de loco suo, nisi penitentiam egeris. Vbiq; Apostoli suscipiunt in se cognitionem criminum & ius ferendę sententię. Ex quibus facillè perspicitur Episcoporum esse ligare & soluere, nec id tantùm in sacris & spiritualibus negotiis, verùm etiam in aliis omnibus, quādo illa ad salutem animarum spectant: & hoc videbitur expedire Ecclesię, Qui enim Angelos iudicant, quanto magis sæcularia? & addit Apostolus, Si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Cui ergo iudicia spiritalia subiecta sunt, eidem sæcularia ob finem spiritalem consequendum multo magis subiiciuntur. Itaque in vniuersum quæcunque Apostoli in Ecclesia salutis animarum causa ligāt,

& soluunt, ea coram Deo ligantur & soluuntur. D

Ligare igitur cum ad crimen publicum refertur, est in publico iudicio ritè celebrato eum, qui reus est cōdēnare, & cōdēnato pœnam salutarē pro qualitate criminis in hac vita subeunda imponere. Quam pœnam si recipit, tāquam *Hebr. 12* filius corripitur & emēdatur: si non recipit, spurius aut nothus est, & non filius, atque ideo tamquam Ethnicus & publicanus habetur. Ita Paulus fornicatorem Corinthium *1. Cor. 5* Satanæ velut tortori cuidam tradidit in interitum & vexationem carnis, vt spiritus saluus esset in die Iesu Christi: qui quoniam suscepit, & non neglexit disciplinam Domini, Corinthiis eum publicè obiurgantibus, & apud Paulum pro eo intercedentibus, ab vltiore pœna solutus & liberatus est, eodem Paulo interloquente & condonante, sicut ipse scribit. Sufficit illi qui eiusmodi est, obiurgatio hæc, quæ fit à pluribus; cui autē aliquid donatis, & ego. *2. Cor. 2* Nam & ego quod donauī, si quid donauī, propter vos (donauī) in persona Christi, vt non circumuentiamur à Satana. Hinc apparet non modò portam regni cælorum à ministris Christi cum clauditur ligari, & cum aperitur solui, sed etiam vel singulos homines, vel plures tum ligari ad pœnam ex arbitrio iudicis subeundam, tum ab eadem (vbi æquitas postulat, vel potestas relaxat) solui & liberari. Nā persæpe accidit, vt quem sui criminis pœnitet, tum ab æterna pœna soluatur, quia cōtristatur secundum Deum, quæ tristitia pœnitentiam in salutem stabilem operatur; tum ad temporalem pœnam exoluendam ligetur, quia Deus flagellat omnem filium quem suscipit. Omnis enim disciplina exercitatis per eam, pacatissimum iustitiæ fructum reddit. Nō immeritò igitur Christus in vniuersum dixit, Quęcunque alligaueritis siue homines seu res, & quęcunque solueritis super terram, hoc est in Ecclesia militante, erūt ligata & soluta in cælo. *Hebr. 2*

Ligationis cuiusq; (vt ante dixi) pars quędam est pœna, quæ delinquentem manet. Nam secundum mensuram delicti erit & plagarum modus. Vnde Christus in die iudicij

non

A non solūm impios à se ablegabit dicens, Ite à me maledicti: verūm etiam pœnę modū adijciet, in ignem æternum qui paratus est Diabolo, & Angelis eius. Quem verò iudex non punit, nec eum condemnat, sicut Christus ad peccatricem dixit, Mulier nemo te condemnat? id est nemo te in adulterio deprehensam punit? nemo in te lapidem mittit? nec ego te condemno. Vade & iam amplius noli peccare. Ecce in peccato deprehēsa est, & à Christo velut peccatrix corripitur; & tamen quia secundū legem lapidata non fuit, negatur esse cōdemnata; adeo verum est eius sententię, qua ligatur aliquis, partem aliquam esse pœnam, aut multam. *Matt. 25*

B Cum ergo is, qui habet ligandi potestatem, primū ad suę iurisdictionis tuendam auctoritatem, deinde ad eius qui condemnatur vel iniquitatem corrigendam, vel obstinationem manifestandam, denique ad timorem aliorum, & Ecclesię salutem condemnato pœnam infligere & semper possit, & plerunque debeat; pœnæ verò criminum singulorum in lege Christi atque in nouo Testamento designatæ aut expressę non sint; necessariò efficitur, vt eędem arbitratu episcoporum de nouo statui debeāt. Nam cuius rei statuendę potestatem non acceperunt, quibus dictum est, Quęcunque alligaueritis & solueritis? Apud Iudęos *Deuter. 17*

C Et nunc spiritus & iustitię ministri, ne minimam quidem pœnam poterunt infligere? A morte inferenda episcopi meritò abstinent, eo quòd Christus cuius sunt ministri, non vult mortem peccatoris, sed magis vt cōuertatur & viuat. Nullus autem post mortem pœnitentię locus relinquitur: sed alię pœnę ad eò non impediunt fructum pœnitentię, vt potius eum prouehant & adiuuent (Vexatio enim dat intellectum) certè ad noui Testamenti ministros maximè omnium spectat, ceteras pœnas, quæ ipsi delinquenti salutare sunt, indicere atque inferre. Hinc Paulus fornicatorem Corinthium non modò abstulit de medio fidelium, & à sacramentorum Communionē repulit, verūm etiam *1. Cor. 5*

etiā Satanæ illū tradidit, non sanè occidendū, sed in interitum carnis, hoc est ad subeundā vexationem & afflictionem corporalem, quam Satanæ ei velut quidam tortor Deo permittēte intulit. Sicut enim Satanæ Dei permisso iustum Iob ad maiorem ipsius gloriā, sic & Apostoli permisso hunc hominem puniuit ad celeriore[m] ipsius cōuersionem ex Apostoli consilio procurandam.

Iob. 1. et
2.

Si grauior multò pœna est hominem ex Ecclesia prorsus eijcere, quàm eundem in Ecclesia delinquentem corporali pœna coercere, & tamen illud episcopis conceditur: nonne multo magis hoc etiam concedetur? nonne de ijs qui intus sunt, vos iudicatis? Quis verò iudicat de aliquo, & eum pro qualitate peccati non punit? Quis filius, quem non corripit pater? Episcopi autem sunt patres Ecclesiæ. Et ideo quæritur Paulus, an velint Corinthij vt in virga veniat ad illos? Deniq; disertis verbis ait, in promptu se habere vlcisci omnem inobedientiam.

1. Cor. 5.

Heb. 1. 2.

1. Cor. 4.

2. Cor. 10.

In Concilio
Late-
ranen. et
Viennē.

Rom. 13

Luc. 11.

Luc. 12.

Hinc iam inde ab Apostolorum temporibus receptum est vt in Cōcilijs præsertim Oecumenicis, canonicę quędam pœnę in ea saltem crimina, quę frequentius committebantur constituerentur. Inter ceteras verò pœnas & illā sancti Pastores infixerunt, vt si quis etiam Dominus temporalis hæresim docuisset, propugnasset, aut cum plurimorum scandalo secutus fuisset, illam dignitatem deinceps in Christianos (nisi honori suo restitutus esset) non exerceret. Huic decreto necesse est vt omnes Christiani reges & principes obediant. Si enim regum Ethnicorum ciuiles constitutiones ita ligant, vt illis non modò propter iram, sed etiam propter conscientiam parere nos oporteat: quāto magis ecclesiasticę ministrorum Christi constitutiones coram Deo nos obligant? Qui enim Præpositos Ecclesię non audit, sed spernit, Christum ipsum spernit: qui verò Christum spernit, Deum spernit, qui misit illum. Horrendum est incidere in manus Dei viuentis. Cum rex in sola corpora & bona externa, non item in animas hominum potestatem acceperit, si tamen propter conscientiam

ei

A ei subdimur, ne videlicet homo, qui ex corpore & anima constat, hanc fragilem & caducam vitam sine causa contemnens, coram Deo reus peccati fiat; quanto magis propter consciētiam illorum decretis parendum est, qui peruiuant quasi rationem pro animabus nostris reddituri? Nam ipsa conscientia Pastoribus animarum nostrarum ex institutione Christi, cuius ministri sunt, directè subest. Qui autem in animam potestatem habet, etiam in bona, in iura, imò & in corpus potestatem habet, quoties hæc omnia salutem animæ vel impediunt, vel prouehunt.

Rom. 13.

Hebr. 13

1. Cor. 4.

Petrum in clauium regni cælorum & gladij sui spiritalis, qui est verbum Dei, secundum ouium quas pascere iubebatur condicionem, etiam politici gladij non ciuile aut politicū, sed cælestē ius à Christo accepisse. Cap. X.

B



C

Lauis & potestas, quæ iussu Dei amplissimum regnum iubetur gubernare, necessariò est clauis regia. Ecclesia verò Christi, nō domus tantum, sed & ciuitas, nec tantum ciuitas, verum etiam regnum est. Mittet enim filius Angelos suos, & tollent de regno eius [id est de Ecclesia Christi] omnia scandala, & eos qui faciunt iniquitatem. Imò Ecclesia non quodlibet regnū, sed regnum cælorū est, quod grano sinapis, fermēto abscondito in tribus farinæ satis, sagenę ex omni genere piscium congreganti, ac decē Virginibus, quarū quinque sunt prudentes, & quinque fatuæ simile dicitur. Qui ergo Christi oues, quæ hoc Dei regnum sunt, pascere iubetur, & in eum finem clauis regni cælorum accipit, regiam utiq; potestatem accipit. Et quia regnum Ecclesiæ in terris adhuc agens, non spiritali tantum, sed etiam ciuili, & politico ritu hic viuit, emens, vendens, locans, conducens; mutuū dans, & accipiens, pa-

1. Tim. 3

Apoc. 21

Matt. 13

Ibidem

Matt. 25

Ioan. 21

Matt. 16

1. Cor. 7.

1. Cor. 5. ciscens, nubens, & nuptui tradens (alioqui debuerat de hoc mundo exisse) qui talis regni clauē accipit, pro subiectæ rei natura & conditione, etiam talem regiam potestatem accipit, quæ licet propter cælestem suam originē, **Ioan. 3.** tota sit spiritalis: tamen ob mixtum humanæ conditionis statum, non solum spiritalem, sed & omnem politicam potestatem (sine qua in hoc mundo Ecclesia regi, vt debet non potest) sub se complectatur. Cum enim Christus regnum cæleste in terris instituerit, cui tamen politicè ciuilerq; agendi necessitatem non abstulerit, ac pastorem ad id regnum gubernandum præfecerit, (idem est autem pastor populi, quod rex populi:) quis dubitet quin omnem potestatem, quæ iuxta eius regni statum necessaria est, ei tradiderit? Quomodo aliqui ouibus Christi, tritici mensuram in tempore suo daret? Ponamus enim esse aliquem Christianum populum, qui (velut populus Israel olim de **Exod. 3.** Aegypto egressus Moysen ducem à Deo constitutum sequebatur) ita nunc Petrum à Christo constitutum sequi velit, nec alium supra se quàm Christum regnare patiatur; nunquid Pastor à Christo constitutus non poterit hunc Christi gregem pro natura & conditione ipsius regere, & gubernare? Nunquid etiam ciuiles ipsius controuersias non poterit decidere & definire? Nunquid & sanguinis causam non poterit per iudices à se constitutos cognoscere & iudicare? Quasi verò quidquid Moyses in hoc genere fecit, aut præscripsit, non fuerit figura eius rei, quæ in **1. Cor. 10** Ecclesia Christiana compleri debebat: Omnia enim in figuram cōtigerunt illis: scripta sunt autem propter nos. Et certè Moyses fuit famulus in domo Christi, hoc est in Ecclesia. Quidquid autem potestatis famulus in domo habet, **Gal. 4.** à patrefamilias accipit. Non minus autem est famulus Christi, Petrus, quàm Moyses. Nec minor est Ecclesia, quàm synagoga. Nec minor clauis regni cælorum data Petro, quàm virga olim data Moysi. Nec minor est potestas in hoc verbo, Pasce agnos & oues meas, quàm in hoc, **Mit tam te ad Pharaonem; vt educas populum meum filios Israel**

A rael de Aegypto. Porrò Moyses habuit ius gladij politici, quem per manus Leuitarum in eos, qui coluissent idolum, strinxit; & Petrus non habebit ius gladij politici, quem in hostes Dei ad salutem gregis per ministrorum militarium manus, cum opus est, stringatur? Quid enim si oues Christi nunc ad Petrum dicant, vt olim Iudæi ad Samuelem dixerunt, Constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes? nūquid quod Samuel Christi propheta & Leuita in Dei nomine facere non potuit, Petrus Christi Apostolus, imò primus Apostolorum, & fratrum confirmator in Christi nomine vi clauium suarum facere non poterit? Samuel tulit lenticulam olei, & effudit super caput Saulis, & deosculatus est eum, & ait, Ecce vnxit te **1. Reg. 10** Dominus super hæreditatem suam in principem. Et nunc Petrus, qui omnia ligare & soluere in terris potest, nihil tamē simile in Ecclesia Christi potest facere? Moyses fuit pastor spiritalis, hoc est non ob temporalem, sed ob æternam populi salutem præfectus. Si ergo sub spiritali Moysis potestate gladius politicus continebatur; quanto magis sub spiritali principis Apostolorum potestate eiusdem gladij politici ius continetur? Quāto enim populus Christianus populo Iudaico dignior est & maior; tanto dignius & maius ministerium sortitus est Petrus quàm Moyses. Ac Moyses quidem potestas ad vnum aliquem ordinariū successorem tota non transijt. Nam rerum spiritalium præfecturam Aaron ac posteri eius: profanarum verò administrationem Iosue, ceteriq; iudices & reges consecuti sunt; nisi quod qui sacris ministrarunt, interdum etiam profana rexerunt, vt Heli, Samuel, & Machabæi. Numquam verò profanarum rerum administratores poterant sacris rebus præesse, nisi præterea de genere sacerdotali fuissent: maior enim principatus ad se minorem trahit, nō item minor maiorem. Sed hoc ipsum in Iudæorum sacerdotio imperfectioni dandum est, quod à gladij politici iure diuidi poterat: ab initio enim non erat sic. Noe sacerdos Dei etiam gladij potestatem suo sacerdotio annexam **Gen. 9.** habuit

- habuit, vt si quis ex eius domo fudisset sanguinem humanum, sanguinem illius funderet. Melchisedech sacerdos Dei altissimi, fuit etiam rex Salem. Abraham, qui vnigenitum suum super altare offerens, arietem pro illo immolauit, etiam in reges irruit, & fratrem suū iure gladij à seruitute vindicauit. Ruben primogenitus Iacob, iure ordinario debuerat esse prior in donis, (hoc est in gratia sacerdotali) & maior in imperio, nisi quòd ob peccatum suum hac dignitate priuatus est. Si quis etiam dixerit, Aaronem gladij potestate priuatum, eo quòd vitulum cōflatilem passus est à populo adorari, nihil quòd à recta ratione alienū videatur, senserit. Vtrumq; fit, sacerdotium Leuiticum à prima institutione sua non fuit regale, sed potius priuatum & subiectum: si quando enim regiam potestatem sortitum fuit, ab extrinseco id euenit. Itaq; alia fuit apud Iudæos regia, & alia sacerdotalis tribus: adeo vt tribus Iudæ, quæ fuit regia, legem sacerdotibus nonnumquam indiceret; eosq; loco suo moueret, sicut Salomon rex sacerdotem Abiathar abieciisse legitur, ne ministraret in templo Domini. At Christus sacerdos in æternum iuxta ordinem Melchisedech, ex tribu regia ortus, secundum naturam non minus rex quàm sacerdos fuit: populumq; Christianum vtriusque doni ex gratia participem fecit. Sumus enim (vt B. Petrus ait) sacerdotium regale. & vt B. Ioannes loquitur, Fecit nos Deo nostro regnum & sacerdotes. Nō ergo vt olim Iudæis accidit, alia tribus est regia & alia sacerdotalis; sed ordinaria populi Christiani gratia hæc est, vt Ecclesia Christi sit sacerdotium non legale, quòd secundum regis alterius, qui sacerdos ipse non sit, legem administretur: sed regale, quòd ex vi sua legem Christianis omnibus præscribat. Sacerdotij enim regalis est, præesse, non subijci legem dare, non accipere alios ducere, non sequi.
- Quamobrem Paulus à regali ministerio suo alienum non putauit, vt Corinthiis auctor esset, quòd iudices apud se constituerent, qui de sæcularibus cognoscerent & iudicaret. Et certè sæcularia iudicia constituere politicæ potestatis

- A statis est, quam Apostolus nunquam sibi vsurpasset, nisi spiritalis ipsius potestas etiam de politicis rebus legem ferre posset. Cum ergo huius regalis sacerdotij nostri maximus administrator B. Petrus fuerit, qui vt olim David rex Iudæos; sic nunc oues & agnos Christi pascere iubebatur, omnino efficitur, vt B. Petrus in ministerio suo regali potestatem politicam & regiam complectatur. Ipse Christus homo cælestis non terrenus erat. Sed an propterea expers fuit veræ & corporeæ illius naturæ quam nos accepimus? nequaquam. Licet enim virtute Dei, non operatione viri carnem acceperit, & ideo cælestis homo fuerit, non tamen idcirco minus verè homo fuit, per omnia nobis assimilatus, excepto peccato. Eodem igitur modo quamquam regnum Ecclesiæ spiritale sit, tamen omnem politici regni vim & potestatem in se complectitur. Deinde sacerdotiū Christi, an terrenum fuit, aut humanum? nihil minus. Non enim secundum legem mandati carnalis factus est sacerdos, sed secundum virtutem vitæ insolubilis. Quemadmodum igitur licet sacerdotium Christi nec politicum, nec legale, sed diuinum atque æternum fuit: tamen omne sacerdotij corporei verum ius, veramq; naturam in se habuit atque administruit, (vnde semetipsum obtulit Deo super aram Crucis vsque à mortem); sic & regnū Christi quamquam non sit politicum & terrenum, sed diuinum & spiritale; tamen omne ius politici cuiuscunque regni intra se comprehendit. Atque ideo potest cum hoc sapientiæ Dei æquum videbitur & gladij ius instituere vbi antea nō fuit, & tollere vbi fuit, & transferre de vno Christiano in alterum, sicut olim factum est per manum Leuitæ, Samuelis, Sadoc sacerdotis, Abiæ Silonitæ, Heliæ Prophetæ, ac denique sicut ad Hieremiam in figura Christi dictum est. Cōstitui te hodie super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & edifices, & plantes.
- Dicimus ergo Petrum quo tempore à Christo accepit clauēs regni cælorum, accepisse à Christo ius destruendi & ædificandi regna in Ecclesia Christi, quando id expedi-

ret. Quod ius de celo est, sed ad Ecclesie in terra agentis vtilitatem spectat. Itaq; politicum gladium habet Petrus, non iure ciuili, aut politico, sed iure diuino, & spiritali concessum, nec ad finem politicum, sed ad finē spiritalem eo vti debet, nempe ad animarum salutem.

Obiectio Dicet aliquis, gladium qui sit proprius regni celorum, non esse gladium politicum sed spiritalem, qui est verbum Dei: quid autem commune est verbo Dei cum gladio politico? *Cōcessio* Equidem concedo non gladium politicum, sed verbum Dei esse proprium gladium regni celorum. *Respōsio* Sed dico, gladium hunc spiritalem tam efficacem viuum & potentem esse, vt non minus gladium politicum quàm cetera omnia, quæ intra Ecclesiam Dei sunt, moderetur & gubernet: imò etiam si opus est, instituat, tollat, transferat.

1. Reg. 10 Gladius enim Samuelis, qui erat verbum Dei, Saulem vni-
1. Reg. 13 xit in regem, eidem præscripsit quid in bello ageret, eun-
1. Reg. 15 dem regni iure priuatum denuntiavit, quòd gladio spiri-
1. Reg. 16 tali, hoc est verbo Dei non obedisset. Denique in Davidẽ
1. Reg. 11 Saule adhuc viuente ius regni transtulit. Ita etiam gladius Ioiadæ sacerdotis Athaliam tyrannam post septem regni sui annos imperio deiecit; & Ioiadas quidem spiritali gladio suo etiam gladium politicum instituit. Centuriones enim, duces & milites introduxit in templum Domini, & præcepit illis quid agerent, & dedit eis hastas & arma regis David, quæ erant in domo Domini. Elias etiam per gladium spiritalem, qui est verbum Dei, euocauit ignem de celo, qui milites regis inuito rege deuorauit. Denique Mathathias sacerdos auctoritate gladij spiritalis, quem à Deo acceperat, gladium politicum sibi sumpsit, ac filiis suis reliquit, quo regem Antiochum, qui Iudæis imperabat, iure eius imperij priuarunt. Ac ne quis ministrorum Christi gladium spiritalem, qui est verbum Dei, putet minoris potestatis esse, quàm veterum Prophetarum aut sacerdotũ fuerit; is etiam sciat Paulum vi spiritalis gladij percussisse Elymam Magnum cæcitate; Petrum verò Ananiã & Saphiram vita corporali priuasse; Leonem tertium restituif-

se

A se Imperatoriam potestatem diu ante sublatam in Occidente; & Carolum Magnum imperatorẽ salutasse: Zachariam Pontificem ius regni abiudicasse Chilperico Francorum regi, & id in Pipinum ex Francorum voluntate transtulisse; denique alios Petri successores iure imperij priuasse Henricos, Fridericos, Ludouicos, Boleslaos, Ioannes, & alios reges atque Imperatores Christianos. Et quòd illi hac in re ligarunt in terris, hoc ipsum in cælis Deus ligauit, eos abijciẽs à regni folio, quos Petri successores abieciissent, eosq; in folio regio confirmans, quos Petri successores erexissent. Est enim sermo Dei, hoc est gladius spiritalis ministrorum Christi, efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti: tãtũ abest, vt ideo iure politici gladij careat, quia spiritalis gladius est. Nam ob id ipsum potentior est, non imbecillior, sicut scriptum est: Quod infirmum est Dei, potentius est hominibus. cum autem Deus sit spiritus, quod spiritale est, maximè proprium Dei censi debet. Qui verò ius gladij ministris Christi concessum esse negant, ab illis quæro, Vtrum ius gladij maius esse putent, quàm vt ministri Christi eo digni sint: an minus, quàm vt tam excellenti ministerio conueniat; an tam diuersum, vt ex diametro eorum ministerio repugnet? Nõ est tam eximium ius gladij, vt ministri Christi eo indigni iudicari debeant. Nam vt anima plus est quàm esca, & corpus plusquam vestimentum; sic remittere & retinere peccata, quibus anima in æternum perditur, plus est quàm corpus occidere, quod solũ politicus gladius facere potest. Quem ergo Christus maiore ministerio dignum facit, non est ob id ipsum gladij iure indignus. Deinde non est tam humile & infirmum gladij ius, vt indignum sit ministrorũ Christi vacatione. Si enim Deus non dedignatur ius gladij penes se habere, nec Apostolus possit esse maior illo, qui misit eum; quomodo dedignentur ministri Christi iuris gladij, quod penes Deum est, ministerium aliquod obtinere? Nam si aliquid foedi esset in iure gladii obtinendo, nec Deus ipse ius gladij haberet.

Hebr. 4.

1. Cor. 15
Ioan. 4

Luc. 12.
Ioan. 20
Luc. 12.

Dan. 2.

Po.

Gen. 9. Postremò ius gladij non repugnat Ecclesiastico mini- **D**
Gen. 14. sterio: alioqui Noe, Melchisedech, Abraham, Moyfes,
Exod. 32 Phinees, Elias, Iudas Machabæus, alijq; multi aut Patriar-
 chæ, aut Prophetæ, aut Pontifices, qui ministerio Ecclesia-
 stico functi sunt, ius gladij non habuissent; quod secus cõ-
 paratum esse Scripturæ sacræ demonstrant. Imò constat si-
 dem Christi per ius gladij propugnatam, atque adeo propa-
 gatam esse, tum à Constantino & Carolo Magnis, tum à
 Theodosio & sacris ordinibus B. Ioannis, B. Iacobi Cruci-
 gerorum, & aliis eiusmodi militiis. Et quomodo repugna-
 ret Ecclesiastico ministerio quod ei tam vtiliter subseruit?
 Vñus quidem gladij habet plerūq; aliquid indecori, & ideo
 non decet clericos: ceterum nos iam de iure gladij, non **E**
 de vsu agimus. Satis est nobis quòd Pastor ouium Christi
 habet potestatem eos præficiendi populo Christiano, qui
 vtantur gladio politico ad Ecclesiæ salutem.

*Christum iussisse Apostolos (quamquam Magdebur-
 genses frustra id oppugnent) etiam corpora-
 lem gladium habere & portare.*

Cap. X I.



Vod Deus vehementer commendatum nobis **F**
 esse cupit, non solùm verbis insinuat, sed præ-
 terea rebus ipsis exprimit; nec minus oculis
 subiicit quàm auribus proponit, vt penitus in-
 excusabiles fiant qui vsque adeo confirmatæ veritati re-
 sistunt.

Christus præcepit Apostolis, vt gladium si haberent,
 tollerent; si non haberent, emerent, etiam si tunicam emē-
 di gladij causa vendi oporteret. Magdeburgenses & ceteri
 tam Lutherani quàm Calvinistæ, dicunt hæc verba non
 designare corporalem gladium, sed tropo quodam & figu-
 ra orationis admonere certamine spiritali opus esse. Som-
 niabant boni Discipuli (aiunt Magdeburgenses) suum
 præce-

Centur. 1
 lib. 1. c. 4.
 pag. 190.

A præceptorem de corporalibus gladiis dicere, vt erant ad-
 huc imbecilles, & non capientes quod Christus expressis
 verbis dixerat, Oportet impleri in me, & cum iniquis de- **Luc. 22.**
 putatus est. hæc illi.

Valeret quidem hæc Magdeburgensium argumentatio, **Respōsio.**
 si quisquam diceret gladio corporali ad mortem Christi
 arcendam opus fuisse. Verùm non ideo Christus voluit
 Apostolos gladium habere, vt ipsum ab impetu Iudæorū
 tuerentur (oportebat enim illum iuxta scripturam cum
 iniquis deputari) sed vt nulla re necessaria, ne gladij qui- **Cur gla-
 dii neces-
 sarius.**
 dem potestate carerent, ad ea vel constituenda, vel propul-
 sanda, quæ ad Ecclesiæ ædificationem quandoque specta-

B rent. De morte autem Christi facta est mentio, vt diuini
 præcepti iam mutatio redderetur. Semel enim dum **Matt. 10**
 Christi mors longius adhuc aberat, iussit Apostolos prædi-
 catum ire absq; sacculo, pera, & virga, hoc est, gladio: nimi-
 rum quia ipse adhuc visibilem Ecclesiæ monarchiã secun-
 dum carnem administrans, illis tamquam paruulis de om-
 ni re necessaria prouidebat. Nunc verò quia tempus adue-
 nerat, in quo ipsum oportebat mori, & cum iniquis depu-
 tari, iubet Apostolos tollere sacculum, & peram, maximè **Luc. 22.**
 omnium virgam seu gladium; quia videlicet iam audacio-
 res facti, & visibilem Ecclesiæ monarchiam administra-
 turi, debebant sibi ipsis & aliis Christi ouibus consulere.

C Vt autem hæc tota quæstio dilucidius explicetur, oportet
 summam rerum, de quibus in Euangelio tunc agebatur,
 breuiter proponi.

Facta est contentio inter Discipulos, quis eorum vide- **Ibidem.**
 retur, esse maximus.

Christus respondit ne cogitarent quidem de tali fastu
 qualis apud gentium Reges vsurparetur sed qui maximus
 inter illos foret, is gereret se tamquam minimum. Nam se
 ipsum re vera maximum, tamen in medio illorum fuisse
 velut ministratorem.

Tum autem nominatim ostendit Petrum esse illum ma-
 ximum, iubens eum confirmare fratres suos, atque ita de-
 mum

D mum admonet quę cura tum Petro, tum ceteris Apostolis incumbat de rebus ad victum & auctoritatem necessarijs, tam sibi, quàm fratribus prouidendi. Vnde tam sacculum & peram tollere, quàm gladium si habent, portare, si non habent emere iubet; idq; quoniam ipse ex hoc mundo trāsit, atque Ecclesię administrandę potestatem ipsis (cuiq; videlicet pro suo gradu & loco) relinquit; hæc est historica series verborum Christi.

*Propositi-
um.* Nunc breuiter subiiciemus quot & quantę rationes conuincant Christi verba de gladio corporali accipienda esse.

Principiò nec impudētissimus quispiam negare potest sonum verbi à nobis stare. Apertè enim dictum est, Vendat tunicam suam & emat gladium. Quis ignorat quid sit vendere, quid emere, quid tunica, quid gladius? In dubio autem verba vt sonant intelligenda sunt: alioqui omnia in incertum vocarentur, si aliter quàm propriè significant vt plurimùm interpretanda essent.

Deinde verba coniūcta, videlicet sacculus & pera, non possunt aliter intelligi, quàm de corporali sacculo, & de corporali pera. Iuerant enim quandoque Apostoli prædicatum sine corporali sacculo; & nunc iubentur secum tollere sacculum (nam Christus expressè dicit se mutare præceptum suum) ergo iubentur tollere sacculum corporalem. At eadem est ratio de gladio, quia hæc tria coniunguntur, sacculus, pera, & gladius, iubentur ergo tollere & portare gladium corporalem.

*Matt. 10
Marc. 6.* Iusserat ab initio Christus, vt Apostoli non possiderent virgam, referente id Matthëo Apostolo. At apud Marcum legitur; Præcepit eis, ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum. Hic necesse est cum in eodem præcepto virga eodem tempore & ferri iubeatur & ferri vetetur, vt aliam atque aliam virgam intelligamus. Est autem virga quædam, quę tantum sit in fulcimentum peregrinantis, & non in testimonium potestatis: hanc ferri ab initio permisit. Est autem alia virga, quę non minus auctoritatem quam

A dam in eo, qui eam gestat esse testatur, quàm gladius aut sceptrum. De qua scriptum est, Reges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli confringes eos. Vnde & Paulus ad Corinthios scribit: Quid vultis in virga veniam ad vos? [hoc est in potestate corripiendi, & puniendi] an in charitate & spiritu mansuetudinis? Hanc posteriorem virgam Apostoli ab initio ferre prohibebantur. cum autem paulò ante mortem Christi iubeantur portare gladium: & posterius hoc præceptum reuocet nominatim illud prius de sacculo & virga non portanda; necesse est vt ea virga, quę potestatem perinde ac gladius significat, non ante potuerit tolli, quàm & ipse gladius. Iam verò virga quę apud Matthæum tolli vetabatur, fuit virga corporalis, quę significare solebat potestatem quandam eius, qui eā gestasset. Gladius ergo, qui nunc illi virgę opponitur, & tolli iubetur, fuit etiam gladius corporalis.

B Præterea de primatu iam agebatur, & facta est mentio regum, qui gladios portant; neque id in eis reprehensum est, sed tantum fastus, arrogantia, & tyrannis. Igitur cum Apostoli in hac de primatu disputatione iubeantur gladium tollere, intelligendum est de tali gladio, qualem reges inculpatè ferunt, quem constat esse corporalem: nam vt maioritas & præcedentia Petri fuit visibilis, & similis illorum regum, nempe Davidis & Iosifę principatui, qui benè præerant: sic & de gladio visibili actum esse, ratio suadet.

C Apostoli verò non dubitantes Christum de corporali gladio locutum, monstrarunt duos gladios. Et certè qui tum meminerant prioris præcepti de virga & pera non portanda, tum id obseruarant; iamq; aliud nouum & planè contrarium dari audiuerant, non poterant non capere quod dicebatur, vt cumq; Magdeburgenses dicant eos somniasse.

Porro Christus, qui nūquam passus esset Apostolos in re tam graui, quę ad perpetuū Ecclesię statum pertineret, errare, adeò eorum de corporali gladio intelligentiam non correxit

correxerit, vt eandem cōfirmaret, dicens, Satis est. Iam enim D
agebatur de perpetua maiestate, seu primatu Ecclesiastico, in quo etiam quilibet minimus error non nisi grauis esse poterat: sicut neuis plus in facie offendit, quàm vlcus in alia parte corporis. Iam quātus error hic fuisset, vt Christo loquente de precibus, & spiritali certamine (vt Magdeburgensibus non rectè videtur,) Apostoli eum putarēt de corporalis gladij potestate agere?

Quòd si Christus hunc errorem ad tempus dissimulasse dicatur, tamquam eundem postea per Spiritum sanctum illis reuelaturus, quin tandem factum est, vt Lucas Euangelista, qui Spiritum sanctum antequam Euangelium scriberet, acceperat, nihil de Apostolorum errore, nihil de silentio Domini, & dissimulatione, nihil de verborum vera interpretatione adscripserit? Nunc enim actore Spiritu sancto quod legimus id credimus, vtique de corporali gladio id esse dictum, quod & Apostoli sic intellexerunt, & Christus sic approbavit, & Euangelista sic recensuit, vt nullum signum contrariæ sententiæ vsquam colligi queat.

Adde his, quòd Petrus vnum ex illis duobus gladiis portauit inspectante ipso Christo, & nequaquam prohibente. Quomodo enim prohiberet Petrum gladio accingi, propter cuius primatum etiam in sæculi rebus (non sæculi, sed æternæ salutis causa) demonstrandum ad mentionem gladij peruentum est?

Plus dico, abusus est Petrus eodem gladio corporali; cū absq; Domini iussu aurem Malchi præscindit, ac neque sic quidem iussus est abijcere, sed tantum in vaginam recōdere corporalem illum gladium. Cum enim sine pænitentia sint dona Dei & vocatio, Petrus per abusum gladij sui, ius eiusdem gladij non amisit.

Rom. 11 Quinimò, Christus postea confirmavit illum verè esse Petri gladium, dicens ad eum: Conuerte gladium tuum in

Matt. 26 locum suum. Locus autem tui gladij est non manus tua, sed vagina tua. Nec enim ideo iussus es gladium portare, vt ipse eo ferires, (indignum hoc tam spiritali & eminenti

A te persona) sed vt contestatum fieret te habere ius gladij, siue nouum ex causa instituere, seu priorem tibi subiectum ab eo, qui iniuste illo vteretur, auferre opus esset.

Præclare Bernardus ad Eugenium Petri successorem scribit: Quid tu vsurpare gladium tentes, quem semel iussus es ponere in vaginam? quem tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis sic, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse tuo forsitan nutu, & si nō tua manu euaginandus: alioqui si nullo modo ad te pertineret, & ijs dicentibus Apostolis, Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus, Satis est; sed, nimis est. Vterq; ergo Ecclesiæ & spiritalis scilicet gladius, & materialis: sed is quidem pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia exercendus. Iste sacerdotis, is militis manu; sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc Bernardus.

Iam opinor tam ex rerum, quàm ex patrum testimonij s liquidò constare, Christum de corporali gladio locutum esse. Ne tamen quisquam putet solum Bernardum ex antiquis Patribus ita sensisse; audiamus quid etiam Augustinus omnium Doctorum sapientissimus, & figuratæ locutionis acerrimus explorator, hoc in genere scribat:

Pro temporum, inquit Augustinus, diuersitate vel consilia, vel præcepta, vel permissa mutantur. Atque obtemporantium quoque discipulorum facta in Euangelio secuta sunt. Nam & tunc (idest ab initio prædicationis Apostolicæ) sine sacculo & pera ierunt; & dixerunt ei, cum de gladio emendo iussisset, Ecce sunt hic duo gladij; & ille respondit, sufficit. Hinc & Petrus armatus inuentus est, cum aurem persecutoris abscidit. Quibus in verbis Augustinus non solum ostēdit sentire se quòd Dominus de corporali gladio loquebatur, sed etiam quòd iussit emi gladium, & quòd ratione illius præcepti Petrus inuentus est armatus, cum aurem Malchi abscidit. Imò etiam argumentatur & ex voce Domini, & ex factis Apostolorum, vt manifestè appareat non casu hæc dixisse Augustinum, sed re

De consi
derat. li.

2.

Contra
Faust.
Manich.

optimè perpenſa & diiudicata.

Matt. 26

Quod verò Proteſtantes vrgere ſolent, Petrum à Chriſto ſeueriſſimè reprehenuſſe eſſe quòd gladio percuffiſſet, adeò vt Chriſtus ei dixerit, Omnes qui acceperint gladiũ, gladio peribunt; hoc inquam nihil noſtram ſententiam lædit.

Dicimus enim & nos Petrum erraſſe, idq; duabus de cauſis. Nam nec erat Petrus adhuc paſtor Eccleſiæ, aut publica perſona, quæ ſua auctoritate poſſet gladium ad alium ſtringere & ferire, (adhuc enim Chriſtus in terris agebat, & paſtorali primatu functus eſt) & quamquam Petrus iam fuiſſet magiſtratu ſuo potitus; non tamen ſuis manibus debuiffet gladium ſtringere.

Contra
Manich.

Vtrumq; inſigniter expreſſit Auguſtinus: Spontanea, inquit, Petri coercetur audacia; quia non vt iuſſus fuerat, ferrum tollere, ita iuſſus fuerat & ferire. Latebat certè Domini voluntas cur arma portare præcepiſſet, quibus eos vti noluiſſet. Hic Auguſtinus ex vna parte culpam ſpontaneam Petri audaciam, qui præſentis Domini iuſſum non expectans, auctoritate priuata perſecutorem percuffit.

Ex altera verò parte ingenioliſſimè perſpexit, non eam fuiſſe Domini mentem in præcipiendo Apoſtoliſ ut arma portarent, quaſi voluiſſet eos armis aut pro ipſo, aut pro ſe ipſis decertare: Noluit eos, inquit Auguſtinus, vti armis, quæ tamen vt portarent præcepit.

1. Cor. 1.

Cum autem Chriſtus Dei ſapientia nihil fruſtra potuerit præcipere, & tamen præceperit Apoſtoliſ atque in primis Petro, vt arma portarent; nec id vtendi armis cauſa: igitur ob aliam aliquam cauſam. ob quam obſecro, niſi vt oſtenderet ius armorum corporalium penes Apoſtoliſ, maximeq; omnium penes Petrum eſſe? Arma enim quibus vti non queas, iuſſu Chriſti portare, eſt ius non vſum armorum habere. Niſi fortè ius armorum non habet, què Dominus noſter Dei iuſtitia & fortitudo arma portare iubet. Vtrumque ergo effectum eſt, vt & Dominus de gladio corporali ſit locutus, & eo verbo declarauerit, ſe ius gladij

A gladij corporalis Petro, & per eum ſucceſſoribus Petri, ac toti Eccleſiæ ſuæ dare.

Dixit Chriſtus Apoſtoliſ ſuos eadem facturos, quæ ipſe fecerat, & maiora hiſ. Et præ omnibus Apoſtoliſ ad Petrum ſignificantiffimè dixit, Tu me ſequere. Quemadmodum igitur Chriſtus viſibili primatu in Eccleſia ſua fungens pro auctoritate ſua iuſſit Petrum, quem iam designauerat maximum inter Apoſtoliſ, gladium corporalem tollere & portare, ſic Petrus Domini exemplum imitatus, poteſt auctoritatem ſuam interponere, vt alius etiam ſi erat antea priuatus, iam deinceps velut publicus Magiſtratus gladium tollat, & portet.

Ioan. 14.

Ioan. 21.

B Scio & vltro fateor, tam Petrum quàm Apoſtoliſ accepiffet à Chriſto maiorem quendam gladium, quàm corporalis hic fuerat, quem Petrus iam portauit: ſed quanto alium gladium hoc digniorem Petrus à Chriſto accepit, tanto indignius eſt, & hunc ei à Chriſto datum negare. Nam vt Deo indignũ non eſt gladij corporalis & politici, vel ius penes ſe habere, vel eiufdem aliis donandi auctorẽ eſſe; ita nec indignum ſpiritali gladio Petri videri debet, vt & hunc corporalem ſuo ſpiritali ſubiectum habeat, & ita ſubiectum, vt eum pro ædificatione Eccleſiæ vel donare alteri, vel auferre poſſit: donare, iuſtè vtendum; auferre, iniuſtè vtenti.

C

Quòd Petrus poſt Aſcenſionem Domini legitime ſit vſus gladio ſuo, non manu ſed ore illum vibrans. Cap. XII.



Egauimus cum Auguſtino & Bernardo licuiſſe Petro gladium, quem iuſſu Domini portabat, ſua manu ad alium ferendum ſtringere aut vibrare. At certè non donaſſet id Chriſtus Petro, quod Petro nulli vſui futurum erat. Quo autem vti nõ poſſis, cui tandem eſt vſui? Quid ergo eſt? Dicimus quidem licuiſſe

licuiſſe

licuisse Petro armis corporalibus uti, non tamen profus carnali, sed velut spiritali modo. Qui enim acceptis à Christo armis, alij (velut publicæ personæ) arma portandi potestatem facit, utitur iam armis suis modo quodam spiritali, os & linguam suam armans ad brachium aut manum alterius armandam. Neque verò ipse Christus, quem Propheeta optat accingi gladio suo super femur suum, legitur unquam prodiisse in publicum armatus. Qui tamen in Apocalypsi conspicitur gladium ex utraque parte acutum de ore suo emittere, quid est gladium acutum ex ore emittere, nisi solo verbo vitam auferre? Nihil autem est aliud ius gladij, quàm vitæ condonandæ, necisquæ inferendæ potestas. Qui ergo uitam verbo aufert, is verè tum ius gladij habet, tum spiritali modo gladium suum exercet.

Psal. 44 Petrus ergo videns Ananiam & Sapphiram de pretio agri, quem Deo vouerant, partem abstulisse, ad Ananiam dixit, Quare posuisti in corde tuo hanc rem? non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiens Ananias hæc verba, cecidit, & expirauit. Et paulò post ad Sapphiram dixit: Ecce pedes eorum qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te; confestim cecidit ante pedes eius, & expirauit. Et factus est timor magnus in vniuersa Ecclesia, & in omnes qui audierunt hæc. Si ergo Ananias verba Petri audiens, expirauit, si cum idem Petrus ad Sapphiram dixisset, efferent te, illa confestim cecidit, & expirauit: verbi sui ministerio Petrus vitam illis abstulit: & hoc quid est aliud, quàm Petrum gladio suo usum esse, ita ut ceteri timorem haberent, & eò minus peccarent? Vnde Gregorius in Ezechielem scribit, Petrum verbo mentientes occidisse. & alibi: Cum Petrus Ananiæ, & Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super ceteros excreuisset, ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutantem deprehendit, & summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit. Magnus igitur Gregorius ex eo quòd Petrus vitam eorum verbo abstulit, potentiam ipsius summam in tota Ecclesia esse meritò intulit. Nam si reges postquam

corpus

A corpus occiderunt, nihil amplius habent quod agant: & tamen ob hanc vitæ necisquæ potestatem, gladium portant, & merum imperium habent; quanto magis Petrus, qui & verbo corpus occidere, & præterea peccata vel remittere, vel retinere ministerio suo potest, non negabitur & gladij potestatem, & quiddam etiam diuinius habere? Quod autem Petrus verbo mero tunc fecit, hoc nunc (quia signa post fidem constitutam cessarunt) Petri successores verbo etiam agunt; sed tali, quo Christianum aliquem ad Ecclesiam propugnandam sua auctoritate armant. Semper igitur Petrus & Petri successor gladium Ecclesiæ non manu sua, sed ore aut nutu suo vibrant.

B Cur Apostoli Neronem aut Domitianum iure imperij non priuarint. Cap. XIII.



Vnquam ego hanc quæstionem tam facilem & expeditam attigissem, nisi Aclerus quidam, quouis, ut videtur, Catechumeno rudior, eam mihi velut rem alicuius momenti opposuisset. Nam quis ignorat Petrum non orbis terrarum, sed regni cælorum clauēs à Christo accepisse? Nec ei dictum est à Christo, Pasce omnes qui vspiciunt sunt homines; sed, pasce agnos meos, & oues meas. Nero & Domitianus de regno cælorum aut de agnis & ouibus Christi non fuerunt: itaque non est mirum, si Petrus qui nullam in tyrannos gentium potestatem accepit, iure imperij eos non priuauit. De ijs enim qui intus sunt iudicauit, non de ijs qui foris. Nam eos qui foris sunt Dominus iudicabit. Quinimò tam Petrus quàm Paulus iussit omnem animam potestatibus à Deo constitutis, & regi tamquam præcellenti obedire. Nec in re tam perspicua pluribus argumentis, aut etiam verbis opus erit. Dignior aliquanto est ea, quæ iam sequitur interrogatio.

Cur

Cur Apostoli cum haberent auctoritatem constituenti regis politici, tamen Christianum aliquem in regem non euerunt, qui gladios persecutorum à fidelium ceruicibus arceret? Cap. XIII.



Vas ego causas potissimum fuisse crediderim, cur Apostoli aut eorum primi successores, nullum Christianum regem constituerint. Vnam quòd ea res tam difficilis & periculosa videbatur, vt à prudentibus viris tentari non deberet. Alteram, quòd manifestè illis constitit Deum voluisse, vt Ecclesia illis temporibus aliter administraretur. Quis primum neget difficillimum factu fuisse; cum nulla gens tota fidem Christi adhuc amplexa esset, sed Christiani quamuis infiniti, & innumerabiles, tamen vbiq; infidelibus commixti habitarent, vnum aliquem regem Christianum agnoscerent, & obseruarent? Oportuerat singulos è domo, ciuitate, ac patria sua emigrasse, vt Cæsaris, qui tunc regnabat, iugo abiecto, alterius Christiani regis legibus obedirent. At quò migrassent cum orbis iam totus vel plenus incolarum esset, vel plenus esse putaretur? Quomodo autem fuisset Christianus rex sine populo Christiano? aut quomodo populus Christianus fuisset, qui curiam, forum, tribunal, postremò ciuitatem, & regionem Christianam non habuisset? Porro nulla fuit regio, nulla ciuitas maior in mundo, quæ abiectis idolis, vnicam Christi fidem coleret, ac confiteretur. Nec etiam licuit alios ad fidem Christi primum suscipiendam vi & armis cogere: nec sine iniuria infideles potuissent de sedibus suis, quas gentium aut ciuili iure occupassent, deturbari. Tanta igitur Christiani regis constituendi erat difficultas, vt meritò nihil tale cogitari, ne dum suscipi debuerit.

Prima ratio.

Ceterum illa fortior etiam ratio est, quòd Deus noluit aliquem

A aliquem Christianum regem adhuc fieri & creari. Primum ne fides Christi putaretur humanis potius quàm diuinis modis propagata. Mahometis enim aut Otomanni alicuius est, qui alia via id facere non potest, solo gladio suam religionem asserere & commendare. Christus, qui auctor naturæ est, vim creaturæ suæ non facit, vt ei quidquam persuadeat. Cuius enim vult, miseretur; & quem vult, inducat, operans in omnibus ipsum velle & perficere pro sua bona voluntate.

Rom. 9.

Deinde stulta & infirma mundi elegit Deus, vt fortia & sagacia confunderet: tantum abest, vt regibus Christianis ei opus foret ad ferendum aut multiplicandum semen suum. Per duodecim homines facie tenus abiectos, idiotas, ignobiles totum orbem terrarum scientia Philosophiæ inflatum, opibusq; turgidum, & potentia elatum sibi paulatim subiecit & subiugauit, vt non hominis, sed Dei solius hoc opus esse cognosceretur.

I. Cor. 1.

Præterea expediebat, vt ad omnes gentes Christo subiugandas, Christiani non vno aliquo in regno congregarentur, sed per omnes prouincias dispergerentur, partim enarraturi mirabilia Dei, partim tanto foecundius multiplicandi, quanto magis in terram cadentes mortificarentur.

Tob. 13.

Exod. 1.

Ioan. 10.

Caput omnium est, quòd cum sit duplex fortitudinis potestas, vna in faciendo res arduas animosè: altera in patiendo res aduersas constanter; cumq; illa virtus, quæ in patiendo consistit, magis excellat, propterea quòd licet iam corpore tenus victa & oppressa, etiam ad alienum arbitrium asperrima quæque & molestissima sustineat; non cedit tamen, sed etiam tunc animo superior, non modò rerum externarum voluptates negligit, sed & sui corporis, imò & sensibilis animæ dolorem atq; adeo dissolutionem paruit, quin potius lucrosam gloriosamq; sibi iudicat: meritò sanè hanc fortitudinis partem, hanc patientiæ virtutem prius sibi ac suis elegit Christus, vt per eam contraria quæque; vinceret, mundumq; vel repugnantem in admirationem suæ potentiæ conuerteret. Hinc Dei sapientia maluit moriendo

Philip. 2.

P

riendo

riendo humiliter in Cruce, quā gloriosè in acie dimicando Diabolum & membra eius superare. Hoc igitur verbū patientiæ Christi fuit & prædicandum, & sæculis aliquot exercendum, antequam Christiani arma in fidei suæ defensionem susciperent. Ac sanè ab initio mundi primum victoriæ genus, in quo fides nostra Deo consecrata est, fuit patientia & mors iusti Abelis. A quo die numquam in Ecclesia Dei defuerunt, nec vsque ad finem mundi deerunt, quibus iniuste pro iustitia patientibus coronam iustitiæ reddat iustus iudex. Hoc mysterium Apostoli & primi Apostolorum successores non ignorantes, meritò à Christiano rege creando, itemq; ab armis pro fide sumendis abstinerunt, non quòd numquam tale quippiam fieri aut posset aut deberet, sed quòd nondum eius rei faciendæ tempus aduenerat.

Gen. 4.

2. Tim. 4.

Fidem Christianam debuisse tandem etiam armis defendi, regesq; & fideles constitui, & hereticos priuari. Cap. XV.

Eccle. 3.

Ioan. 18

Act. 5.



Mnia, inquit Salomon, tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub cælo. Tempus occidendi, tempus sanādi. Cum Christus Malchi persecutoris aurem sanauit, erat tempus sanandi: cum Petrus verbo Ananiam occidit, erat tempus verbo saltem, & si nondum gladio, occidendi.

Post aliquot verò sæcula futurum erat, vt Christiani fidem suam armis propugnantes, tam Saracenos quā Turcos & Mauros gladio etiam occiderent, sicut Heraclio Imperatore, & deinceps factum est. Manichæi aliquādo bella Patriarcharum, & Prophetarum (sicut Protestantes nunc Pontificum) in calumniam trahebant. Sed quòd tunc Augustinus Manichæis, hoc idem nos Protestatibus nunc respondemus. Bella (inquit Augustinus) gesserunt Patriarchæ & Prophetæ, vt tales quoque victorias appare-

August.
contra
Faustum

ret

A ret Dei voluntate præstari. Non resistendo interfecti sunt Apostoli, vt potioem docerent esse victoriam, pro fide veritatis occidi. hæc Augustinus. Cum igitur vtraq; victoria sit à Deo: quis dicat Ecclesiæ Christi non esse permissum, vt illo etiam modo hostes suos vincat, quo illos Patriarchæ olim & Prophetæ vicerunt?

Cum enim Gedeon, Barach, Samson, Iephte, David, Samuel, per fidem vicerint regna, operati sint iustitiam, adepti sint repromissiones; nec fieri possit, cum hoc sit tēpus fidei & gratiæ, quin liceat etiam Christi ministris ita per fidem regna vincere, sicut Samueli aut Machabæis licuit; omnino efficitur, vt etiam Pontifices Christiani possint bella indicere & gerere, non suis quidem manibus (quia hoc eorum spiritali, & incruento ministerio indignū videtur) sed tamen auctoritate sua. Nam cum Petri fides tanta fuerit, vt omnium Apostolorum non modò aliorum Christianorum, fidem in se tam contineret, quā confirmaret; (Christus enim satis oratum pro Apostolorum fide putauit, cum pro vnius Petri fide orasset) nullus vtiq; fidei actus in vlllo Christiano esse potest, quem Petri fides efficaciter exercere non queat. Est autem actus fidei regna per fidem vincere, hostesq; Dei & Ecclesiæ debellare.

Hunc igitur fidei actum poterit Petrus, Petriq; successor maximè omnium exercere, cum tēpus ad eam rem opportunum occurrit. Nec vlllo modo id aut melius, aut decen-
C tius fit, quā cum vexillum Christi erigitur, & dux Christianus à Vicario Christi constituitur, qui prælietur prælia Domini. Quod vtiq; magis magisq; ab octingentesimo incarnationis Dominicæ anno, & deinceps factum esse legimus. Nunc satis sit ostendisse, vt primas fuisse Christianæ patientiæ partes, ita necesse nullas bellicæ victoriæ laudes, quas Petro aut Petri successoribus negare non debemus, cum Christus eos iusserit pascere agnos, & oues suas, quæ interdum præclaro belli duce ad hostes Crucis Christi deturbandos instituto saluberrimè pascuntur.

Hebr. 11.

Luc. 22.

Heb. 11.

Ioan. 21.

Apostolos priuasse Imperatores adhuc infideles omni
spontanea Christianorum obedientia etiam in
secularibus causis. Cap. XVI.



Vamquam Apostoli nullam in ipsos Imperatores adhuc infideles potestatem acceperant, & ideo non poterant eos aut Imperio ipso, aut illa Christianorum obedientia, quæ eis ratione Imperij necessariò debebatur, priuare; tamen priuarunt eisdem omni spontanea Christianorum obedientia, non tantum in sacris, verum etiam in secularibus causis. Paulus enim obiurgat Corinthios, quòd litigarent apud iniquos & infideles; cum potius debuerint Christianos etiam contemptibiles ad iudicandum constituere, quàm secularia iudicia apud Paganos exercere.

1. Cor. 6.

Hinc primum constat Apostolos & Episcopos accepisse à Christo potestatem constituendi res politicas in Ecclesia, cuiusmodi sunt secularia iudicia. Nec enim Paulus falcem suam in messem alienam misisset, aut quicquã de his rebus locutus esset, si rerum politicarum ratio ab ipsius uocatione aliena esset. Imò sic argumentatur Apostolus: Nescitis quia Angelos iudicabimus? quanto magis secularia?

Ibidem.

Quasi dicat, cui maiora quædam absolutè commissa sunt, illi etiam minora eiusdem ciuitatis negotia commissa intelliguntur: Sed iudicia spiritalia committuntur Christianis, ut videlicet Angelos, apostatas, & preuaricatores iudicent: multo igitur magis ijdem Christiani possunt de minimis, hoc est de secularibus eiusdem Ecclesiæ negotiis iudicare. Si ceteri Christiani hoc possunt facere, an & Episcopi non possunt? Deinde, si Paulus Christianos, in quos potestatem accepit, quantum potest à foro & curia profana reuocat; nonne multo magis id faceret, si & ipse Christianorum rex fuisset Christianus? Tunc enim qua potestate Christianos vetat apud infideles litigare, eadem vetaret Cæsarem Christianum sed hereticum iudicandi auctoritatem

tem

A tem exercere, ut hinc facillè perspicias idem fuisse facturos Apostolos erga Imperatores hereticos, quod nunc illorù successores faciunt, si tempora & causæ eedem fuissent. Nunc autem ut idola non subuerterunt Apostoli, quoniã ea non erant ipsorum potestati tunc subiecta, quæ tamen posteri eorum magna cum laude ex omnibus templis & lucis proiecerunt: sic etiam Imperatores impios iure imperij non priuarunt, quoniam eos pascendi mandatum adhuc non acceperat. At postquam Imperatores facti sunt Christiani, iam ab Episcopis & pascuntur ut oues, & segregantur ut hoedi, & non modò præesse Christianis, verum & interesse Christianorum etiam ciuilibus colloquiis & commerciis prohibentur, ne modicum fermèti totam massam

Gal. 5.

B corrumpat. Nunc admonere tantum volui, Apostolos omnem quam poterant obedientiam Imperatoribus Ethnicis subtraxisse: ut inde cernamus omnem omnino subtracturos fuisse, si ijdem Imperatores de ouili & domo Christi extitissent. Non enim carebãt Apostoli potestate, ad quicquam ligandum aut soluendum, quòd intra Ecclesiam fuisset, verum Imperatores nondum erant intra Ecclesiam; sed tamen ipsam Ecclesiam prohibuerunt Apostoli apud Cæsarianos iudices sponte sua se sistere, aut litem aliquam vtrò apud illos mouere.

Matt. 18



DE CLAVE DAVID

LIBER TERTIVS.

*Posita ipsorum Protestantium etiam falsa Evangelij
interpretatione; tamen inde conuinci vnum ali-
quem Petro in primatu succedere debere.*

C A P. I.



Mat. 16.

Vm petra, super quam ædificatur **E**
Ecclesia, non minus & perpetua,
& firma necessariò sit, quàm Ec-
clesia ipsa; meritò ante omnia ex-
plicandum est, quæ nam sit illa pe-
tra, de qua Petro Christus dixit:
Tu es Petrus, & super hæc petram
ædificabo Ecclesiam meam.

Catholici credunt hanc petram
esse personam Petri, & successorum eius dono Dei ad hoc
munus vocatam & assumptam, vt Christum & veram
Christi fidem ad ædificationem Ecclesiæ semper cum opus
est, in medio fratrum confiteatur. Vident enim Chri-
stum Petri personam verbo suæ promissionis ante omnia **F**
præuenisse, & præparasse, dum ad eum non dū confitentē
diceret, Tu es filius Ionæ, tu vocaberis Cephæ, hoc est ru-
pes. Iam vt hoc promissionis verbum ritè atque ordine
compleatur, Christus interrogat Apostolos quem dicant
esse filium hominis? Deus reuelat potissimum vni Petro
Christi diuinitatem. hæc reuelatio parit cælestem illam
Petri confessionem: Petri confessio parit hanc aliam pro-
missionem, qua Christus dixit, Tu es Petrus, & super hanc
petram ædificabo Ecclesiam meam. Hæc igitur promissio
& in Petri persona primùm fundata, & ad Petri personam

Ioan. 1.

Mat. 16

311

ad

A ad postremum facta; semper in persona Petri aut successo-
rum eius impletur.

At Protestantes non à persona Petri (vt deberent, quia
& Christus ita fecit) verùm ab eo quod in Petri confessio-
ne vltimum fuit, primum inchoantes, modò aiunt Chri-
stum esse hanc petram, modò fidem & confessionem diui-
nitatis Christi. Quod vt ita se habere illis donemus; non-
ne tamen siue Christus à Petro ita confessus, seu Petri fi-
des & confessio hæc petra dicatur, talis necessariò intelli-
genda est hæc petra in æternum manere, qualis tunc fuit in
ore Petri? Nam & soli Petro Deus hoc mysterium reue-
lauit, & solus Petrus tunc est confessus, & soli Petro di-
xit Christus. Tu es Petrus. Itaq; etiam si dicatur super hanc

Reuela-
tio.

Confessio
Promis-
sio.

A conces-
sis.

B petram, idest super Christum, quem tu Petre confessus es,
ædificabo Ecclesiam meam: tamen petra hæc super quam
ædificatur Ecclesia, non est iam solus Christus, sed Chri-
stus à Petro confessus & prædicatus. Super Christum
igitur à Petro confessum, & prædicatum, super Christum
non ab Ario, non à Nestorio, non à Berengario, non à
Viclefo, nõ à Luthero, non à Caluino, sed à Petro & Prin-
cipis Apostolorum successore annuntiatum, ædificatur Ec-
clesia. Quemadmodum enim Christus ab vno eoq; pri-
mo Apostolo, in medio Apostolorum omnium semel an-
nuntiat; tunc fuit hæc petra super quam ædificata est Ec-
clesia: sic idem Christus ab vno semper eoq; primo Pasto-
re in medio pastorum omnium annuntiat; in æternum
manet hæc petra super quã ædificatur Ecclesia: Nam Iesus
Christus heri, & hodie, ipse, & in sæcula. Nec enim petrã
semel in fundamēto positã iterum tollit & mutat, sed quo
fundamenti genere ædificationem suam inchoauit, eodem
ipso ædificationem suam complebit: quia Dei sapientia
est, quæ nihil inconsultò facit, & Dei fortitudo, cui nihil
resistere potest.

Mat. 16

Hebr. 13

Luc. 14.

Eodem modo cum Christus vnum Petrum iussit agnos-
& oues suas pascere; Protestantes dicunt hoc Christi præ-
ceptum ad omnes ex æquo Apostolos, quorum personas

Ioan. 21.

Petrus

A concessis. Petrus sustinuit, pertinuisse: falsò quidem illi; quoniam Christus iam tunc Petrū à reliquis segregauit dicēs, Amas me plus his? pascē oues meas. Sed demus ad omnes ex æquo Apostolos, atque etiam Episcopos hoc verbum spectare: tamen vt tunc Petrus, ad quem solum necesse est fateantur Christum esse locutum, ex institutione Christi reliquorum omnium personas illis etiam presentibus, sustinuit: sic maneat semper vnus aliquis pastor ex institutione Christi reliquorum pastorum personas sustinens, ad quem hoc præcipuè dicatur, quod ad omnes alios pastores ex æquo pertineat. Nam quis neget ita semper progredi debere ædificationem Ecclesię, vt primū ab auctore Christo instituta est? Soli Petro ante alios omnes Apostolos, iisdem etiam presentibus, clauēs regni cęlorum promittuntur. At & alij (inquis) ex æquo ligant & soluunt. Demus ita esse: nonne tamen vnus in Ecclesia semper manere debet, qui seruet eas clauēs solus, sicut eas Petrus accepit solus, etiam si earundem vsus ad omnes pastores ex æquo spectaret? Nam si frustra vni ab initio à Dei sapientia commendari non potuerunt, frustra conantur Protestantes ab vnus custodia eas auellere.

Matt. 10 Primus Apostolorum Petrus, inquit Matthæus, fatemur (inquiunt Protestantes) Petrum esse primum enumerationis ordine, sed non officij dignitate. Demus & hoc ita esse: tamen cum omnia, quę scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sint; maneat semper in Ecclesia vnus aliquis Apostolorum successor, qui saltem enumerationis ordine sit pastorum primus. Si negatur primatus dignitatis, saltem maneat primatus ordinis, quem ipsi Protestantes inter primos illos Ecclesię pastores exitisse non negant. Cur aliquid omnino quod Christum instituisse concedunt, Ecclesię Christi auferunt, præsertim cum id quod infimum & minimum Dei est, maius sit omni humana potentia & robore?

1. Cor. 1. Pro fide Petri Christus rogauit, vt ea non deficeret: ille autem conuersus fratres suos confirmaret. Quocunq; seru-

D

E

F

su

A concessis. A su hæc verba interpretentur Protestantes, dent nobis saltem in eodem sensu alium Pastorē, qui sit instar vnus Petri vnus, cuius fides non deficiat, sed fratres suos cōfirmet.

Centur. 1 lib. 2. Postremò ipsi Magdeburgenses dicunt, Petrum inter Apostolos visum fuisse præcipuum, siue propter insignia dona, seu propter ætatem. Cum ergo petra vnde Petrus cognominatus est, moueri loco illo nō possit, in quo Christus eam collocauit, semper maneat in Ecclesia vnus aliquis siue propter insignia dona, seu propter ætatem præcipuus, modò id ipsum quod Protestantes in petra præcessisse concedunt, ab Ecclesia quæ super illam petram ædificatur, non tollant. Posita ergo ipsorum Protestantium

A concessis. B interpretatione; tamen id efficitur etiam ex illorum confessione, vt debeat aliquis vnus Petro succedere in eo loco & ordine, quem Petrus ex institutione Christi accepit. Iam talem vnum quocunq; modo vel clauēs regni cęlorum seruantem, vel fidem Christi confitentem, vel fratres confirmantem, vel agnos & oues pascentem, vel inter pastores primum, Protestantes non habent; Catholici verò habent: Protestantes igitur etiam ex suæ interpretationis vi non possunt esse illa Christi Ecclesia, quæ super hanc petram, de qua Christus ad Petrum locutus est, ædificatur.

Nota.

C Quàm parum docti sint, qui Petrum negant Romæ sedisse. Cap. II.



I penitus abnegarem, inquit Aclerus, vnquam Romæ sedisse Apostolum (quod multi fecerunt homines doctissimi) facefferem sibi credo negotium.

Responsio.

Quos tãdem vocat iste doctissimos homines? vtrum eos qui nihil ipsi legerunt, nihil ab altero audiuerunt? At quomodo sunt docti, quos neque muti neque loquentes Magistri quicquam docuerunt? An igitur eos vocat doctos, qui

Q legerunt

legerunt quidem & audierūt multa, sed omnia illa quamquam à sacris Doctoribus & grauissimis viris prodita contemnant, & pro vanissimis habent? At hos ego infortunatos potius dixerim, quam doctos; propterea quòd cum in ea re multum operæ posuerint, tamen nihil didicerunt. Discentem enim oportet magistro suo credere: quòd qui non facit, dediscit quàm discenti similior est. Qui verò dediscit quòd audit, non sanè discit, atque ideo nec omnino quidem est doctus, tantum abest vt sit doctissimus. Dicis tu quidem te sex Monarchiæ meæ libros attentissima cogitatione percurrisse; quòd re vera si fecisti, quàm illic auctoritatum seriem ex omni antiquitate repetitam vidisti, qua demonstratum est Romæ sedisse Petrum? fundasse illam Ecclesiam? Cathedram illic posuisse? & quidē cathedram vnā primā & singularem, in qua vna, vnitās ab omnibus seruaretur? Homines igitur illi doctissimi; de quibus agis, aut Clementis, Irenæi, Hegesippi, Tertulliani, Origenis, Cypriani, Eusebij, Athanasij, Ambrosij, Optati, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, Orosij, Prosperij, & aliorum Patrum atque historicorum libros, qui Petrum Romæ sedisse, contestantur, non viderunt: (& parum docti sunt, qui tantos magistros numquam gustarunt) aut viderunt quidem, sed illorum nullam habuerunt rationem, & ne sic quidem docti habendi sunt, qui tam consentientem pastorum, Doctorumq; Ecclesiæ vocē contemnant. Quid enim? cum Paulus dixerit, Deum Ecclesiæ suę dedisse Apostolos, Euangelistas, Prophetas, Pastores, & Doctores; Tu ne alios præstantiores habes Ecclesię pastores, & doctores, quàm ego nunc nominavi? Nullos enim habere non potes, cum Deus Ecclesiæ suę (cuius tu membrum videri vis) pastores, & doctores dederit. Aliquos ergo aut istis præstantiores, aut etiam pares si habes, qui Romę non sedisse Petrum testantur; profer iam tandem in lucem quòd orbis terrarum nondum vsquam vidit, nondum vel fando audiuit. Sin quos proferas nullos habes, desine doctissimorum hominum inanissimas vmbas

De visit.
bil. Mo-
narch. li.
6. cap. 10

Ephes. 4.

- A** bras nobis opponere, quibus tu iam diu nimium deluderis in re non ludicra, sed omnium maximè seria. Dices fortè, illos tuos doctissimos homines Apostolorum auctoritate adduci, vt credant Petrum Romæ non sedisse; Et vbi hoc scriptum reliquerunt Apostoli? quæ sunt istæ litteræ sanctæ, quas nemo præter tuos doctissimos magistros vidit? scio nonnullos proferre illa Pauli ad Galatas verba, quibus ait, se post annos quatuordecim ascendisse Hierosolymam, & contulisse Euangelium, quòd prædicauit cum Petro. Sed quid? an propterea quòd Petrus post annos quatuordecim à conuersione Pauli, Hierosolymis fuit, numquam Romæ sedit? quæ nam hæc est conclusio, aut
- B** argumentatio? Alij vrgent quòd Petrus circumcisionis Apostolus fuit quasi vero & Romę circumcisionis Apostolum agere non potuerit, præsertim cum Iacobum Iudæis qui Hierosolymis viuebāt, Episcopum consecrasset? Imò propterea voluit Deus Petrum Romæ sedere, vt scirent fideles Iudæi pastorem suum nō Hierosolymis inter Iudęos quærendum esse, vt olim; sed inter gentes, sicut prædictū erat: Quicumq; remaneret de domo Heli, hoc est de stirpe sacerdotali Iudęorum, veniret vt oraretur pro eo, & peteret buccellam panis, partemq; unam sacerdotalē, quo significatum est, Iudęos atq; adeo sacerdotes Iudęorum subiiciendos esse ministris Christi, etiam si de tribu leuitica non essent, & ex eorum manibus sacramenta fidei percepturos. Et quid præclarius quàm vt cum Christus totum orbem terrarum per Apostolos suos domare, suauiq; iugo suo subicere vellet, caput gētium Romam, per caput Apostolorum Petrum, aggrediretur? Cathedramq; eius ibi fingeret, vnde nunquam moueri posset, donec omnia membra sua in vnum ouile sub pastore vno per Dei gratiam congregasset, vt sic totus Israel saluus fieret? Deinde si ex sacris litteris euidenter deduci potest Petrum Romæ non sedisse; nonne ea opinio omnes antiquos Patres tam Græcos quàm Latinos tum erroris, tum imperitię couincit, qui non modò hanc deductionem non viderunt, sed

Gal. 2. 9.

Ibidem.

Deut. 17

1. Reg. 2

Mar. 16

Ioan. 10

Rom. 11.

planè contrarium vna voce omnes, nemine profus ex-
cepto, docuerunt? Ergo vt illos pro doctissimis habeamus,
quos Aclerus nunc laudat, omnes Ecclesiæ Christi Pasto-
res & Doctores quos Paulus nobis commendat, in scitiæ
& mendacij accusabimus? hoc quidem non est Ecclesiam
ædificare, vt sacri Doctores solent, sed demoliri, vt hæreti-
corum moris esse, Tertullianus iam olim tradidit.

Præterea qui sit, quòd isti homines doctissimi (quibus
ausim dicere nihil vniquam fuisse indoctius) non perpen-
derunt ea B. Petri verba, quibus ait: Salutat vos Ecclesia,
quæ est in Babylone collecta, & Marcus filius meus? Quæ
nam fuit ista Babylon? Respondit Papias Apostolorum di-

scipulus, vrbem Romam fuisse, vnde Petrus hanc Episto-
lam scripsit. Papiæ astipulantur Eusebius, Hieronymus,
Oecumenius, & alij permulti. Conuenit etiam huic
sententiæ res ipsa, cum ibidem Petrus Marcum nominet,
quem Romæ Euangelium suum scripsisse inter omnes
constat. Si ergo Romæ fuit Petrus, idque in sacris litteris
proditum est: ibiq; eum sedisse omnes ad vnum Pastores,
& Doctores Ecclesiæ tam certò crediderunt, vt propterea
primitas in omnibus Romano Pontifici deferrent, eiusque
Ecclesiam & principalem, & cathedram vnam, & Petri se-
dem, & sedem Apostolicam, & petram fidei, & petram Ec-
clesiæ, & caput omnium Ecclesiarum appellarent; qualis
est horum homuncionum doctrina, qui nunc tot sanctis
Doctoribus, & Spiritui sancto in illis loquenti resistunt?
Sed quid si eis daremus Petrum numquam sedisse Romæ?
an propterea Pontifex Romanus Petri successor esse non
potest? Quemadmodum enim licet Christus Romæ dum
in terris ageret, non fuit; tamen Vicarium Christi Romæ
federe credimus: eodem etiam modo potuit successor Pe-
tri sedisse Romæ, quamquam Petrus ipse illic non sedisset.
Talis enim & tam necessaria erat Petri potestas in omnes
Christi agnos atq; oues, vt vbi cumq; sedisset, successorem
aliquem omnino habere debuerit; siue is Romæ siue alibi
sedem eligeret. Sic autem diuinitus (attestante Ambrosio)

Ioan. 21.
In orat.
de basil.
trad.

compa-

A comparatum est, vt is Romæ sedem collocaret: Quod ita
factum fuisse in Monarchia satis superq; demonstrauimus.
Non ergo Romani Pontificis primatum id tollit, etiam si
verum esset quod iste ex suis indoctissimis magistris hausit,
Romæ videlicet numquam sedisse Petrum.

De institutione Romanæ cathedræ. Cap. III.



Andem Aclerus concedit, & Romæ fuisse Pe-
trum, & Ecclesiam Romæ instituisse: verum
non talem, quæ ceteris omnibus Ecclesijs præ-
e se deberet; nam ex quibus, inquit, archiuis
hoc mandatum proferunt?

Roman.
arch. c. 8

Responsio.

Opera Dei sacris litteris, & Ecclesiasticis monumentis
consignata, quid aliud quàm cælestia quædam sunt Archi-
uia? Ipsa opera, inquit Christus, quæ ego facio, testimoniū
perhibent de me. Dicturus ergo de illis operibus Dei, quæ
ad rem de qua iam agitur, spectant: quorum alia instituerūt
Romanæ Ecclesiæ primatum, alia iam institutum manifesta-
runt; vtraq; verò eiusdem primatus signa & testimonia di-
ci possunt: agam primū de institutione Romanæ cathedræ;
deinde autem de profectu eius, ac fide Christi per illā
propagata; tūc autem de vnitatem Ecclesiæ per illam nutri-
ta, & conseruata: demum verò de claritate fidei Romanæ.
Ac de his quidem in hoc tertio libro. In quarto agam præ-
terea de auctoritate Romanæ Ecclesiæ tam in concilia Oe-
cumenica, quàm in Episcopos extra Concilia: de persecu-
tionibus, quas inuicta sustinuit, de accepto diuinitus seu
acquisito vrbis Romæ dominio, de eo quod & Petrus ipsi
Abrahæ, & successores Petri semini Abrahæ respondeant:
postremò de gentium à fide & primatu Romano defe-
ctione.

Ioan. 5.
& 10.

Primum

Primum Dei opus in admirabiliter præparando Romanæ cathedræ loco versatur.

Gen. 10. & 11. Postquam filij Noe apud turrim Babel partim ad luedam superbix suę poenam; partim ad terram habitatoribus replendam in tot ferè gentes & linguas quot erant capita familiarum, dispersi fuissent; Deus ex infinita misericordia sua, eam corporum dispersionem ad maiorem animorum vnitatem in Christo consummandã reuocaturus, ita rem interim disposuit, & paulatim præparauit, vt primùm dispersas familias aueret, deinde auctas rursus ad vnum vicum reuocaret; mox plures vicos in vnam ciuitatē, plures autem ciuitates in vnam prouinciam; plures prouincias in vnum regnum; plura deniq; regna in vnam colligeret Monarchiam. Ac ne vna quidem Monarchia contentus, aliam alij, in alia atque alia orbis parte eo vsque voluit

1. Tim. 2. succedere, donec veniret ille vnus mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui omnes omnium vnitates intra se complectens, filios Dei antea dispersos iam à quatuor ventis euocatos in vnum ouile suum congregaret. Hinc ad regem Babylonix, qui reliquias Monarchię Assyriorum tunc administrabat, Daniel dixit, Tu rex regum es: & Deus cęli regnum & imperiũ dedit tibi, & sub ditione tua vniuersa constituit. Et post te consurget regnum aliud minus te; & regnum tertium, quod imperabit vniuersę terrę, & regnum quartum quod comminuet & conteret omnia hæc. Iam quia hæc omnia regna Christi proposito præparabantur, propterea ibidem subiungit, In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cęli regnum, quod in eternũ non dissipabitur; & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in eternum.

Adde his, quòd hæc omnia regna veram vnius Dei fidẽ aliquo modo prædicarunt, & confessa sunt, vt cui potissimum instituto deseruirent, ea ex re manifestum fieret.

Verè Deus vester (inquit Nabuchodonosor Babylonix rex

A rex ad Daniele) Deus deorum est, & Dominus regum. potestas Dei, potestas sempiterna. *Dan. 2. & 4.*

Darius quoque rex Medorum scripsit decretum, vt in vniuerso imperio eius pauerent Deum Danielis, cuius regnum non dissipabitur. *Dan. 6.*

Cyrus Persarum rex, etiam per scripturam in vniuerso regno prædicauit, Dominum Deum cęli dedisse ei omnia regna terræ, & iussisse vt ædificaret ei domum in Ierusalẽ. *2. Paralip. 36.*

Alexander Magnus & Iaddum Pontificem Dei adorauit, & in templo Hierosolymitano hostias Deo immolauit. *Ioseph.*

B Romam verò Imperatores non solùm Dei nomen, sed & Christi fidem; nec eam à quolibet prædicatam, sed Romanis à Petro traditam, publico edicto in scriptum relato, & in totum orbem terrarum emisso, palam aperteq; confessi sunt. finis ergo regnorum omniũ Christi fides, & Ecclesię ipsius regnum est. quibus ita constitutis, progrediamur in eo quod instituimus. *In cod. In sin. lib. 1 de Trin.*

C Ex omnibus politicis Monarchiis, cum Romana, quæ instar ferri alia omnia domat, maxima & potentissima fuerit, eius autem Monarchię caput vrbs Roma extiterit, vtq; in vna vrbe Roma totus terrarum orbis ad tantam voluntatem, & animorum coniunctionem rediisse videtur, quanta per externam rerum humanarum administrationem obtineri potuit; aut etiam sperari. Iam enim omnium oculi studia, officia in vnius Romæ vel obseruantia, vel societatem, vel admirationem conuertebantur. Iam ipsa Iudæa, quam Deus ex toto mundo velut quoddam pæculium sibi elegerat in prouincię formam redacta, regebatur à præside, quem vrbs Roma designasset. Et vt nihil ad tam late patentis imperij perfectionem deesset, datus est huic summæ Vrbi vnus Monarcha Cæsar Octavianus; & huic vni Monarchę nouum Augusti nomen, & huic primo Augusto Cæsari diuturnus quinquaginta sex annorũ principatus, & huic diuturno principatui summa pax & tranquillitas. Ecce autem ne verus finis ad quem hæc omnia

Hist. lib. 2. c. 13. fuit. Cum Christus duodecim Apostolos & septuaginta duos haberet Discipulos, non aliquem ex Discipulis, ac neq; ex minoribus aliquem Apostolis ad constituendam Romanam Ecclesiam misit, verum (vt Eusebij verbis vtar) fortem, præpotentem, ac reliquorum omnium propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum. Atque exinde (inquit Orosius) Christiani Romæ esse cœperunt.

Matt. 5. Nunc si hoc secūdum opus Dei cū illo priore coniūgamus, liquidò apparebit, quàm aptè & pulchrè Deus Petrū Apostolorum principem, velut spiritalem lucernam Christianorum maximè omnium accensam & inflammatam, non sub modio posuerit, sed in maximo illo & eminentissimo vrbis Romæ candelabro erexit, vt inde luceret omnibus, qui in domo Christi sunt: & quia dum in hoc sæculo Christi oues manent, necessariò etiā pastor eiusmodi, ex officio plus alijs oues diligens (qualem Christus Petrum ab initio instituit) in hoc eodem sæculo manere debet; cui tãquam primæ inter Apostolorum successores lucernæ, primum Ecclesiæ Christi candelabrum aptissimè respondet; efficitur vt singularis illa & primaria Petri successio non alibi quàm in Ecclesia Romana semper stabilis da fuerit & conseruanda.

Ioan. 21. Tertium Dei opus circa instituendum Ecclesiæ Romanæ primatum.

Act. 22. Vt Ecclesia Romana non solùm haberet primatum, sed testatius eum & abundantius haberet, Christus Iesus cum antea præcepisset Paulo, vt quia eum in gentes longè missurus erat, velociter ex Ierusalem exiret; postea etiam *Act. 23.* adiunxit, Sicut testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romę testificari.

Gal. 1. Quid? nonne Paulus tum antea de Christo pluribus in locis testificatus est, nempe in Arabia statim post baptismum suum; in Damasco, vbi per murum in sporta dimittebatur; in Epheso, quando ad bestias pugnabat; tum post hanc

Act. 13. **A** hanc reuelationem insigne testimonium pro Christo dicturus erat coram Felice præside, & Agrippa rege? Quorsum ergo alijs locis omnibus omissis, hinc de sola Ierusalem, inde autem de sola Roma fit mentio; nisi quia vt Christi fides à Iudæis ad gentes transibat; sic etiam summa prædicandæ fidei cathedra & auctoritas à Ierusalem Iudæorū Metropoli, ad vrbem Romam gentium Metropolim transferre significabatur? Paulus ab Ierusalem per circuitum vsque ad Illyricum replebat Euangelium Christi, & identidem ascendebat in Ierusalem, velut manipulos suos in horreum Domini reportans. Is enim erat locus, quem Dominus olim elegerat vt templum, & nomen suum esset ibi: sed quoniam Iudæi corda sua obdurauerant, irritumq; Dei pactum fecerant, Deus etiam illos abiecit; & propterea Paulum iubet relicta Ierusalem ad vrbem Romam se conferre, vbi Petrus Apostolici ordinis princeps, nouam Christo Metropolim fabricabat, quæ antiquam Ierusalem longo post se interuallo relinqueret. Non misit Christus Paulum ad vrbem Romam ante Petrum; vt nouæ huius Metropolis fundamenta non per alium iacerentur, quàm Petrum, qui sacerdotalis vnitatis visibile principiū & radix erat, non solùm quod vocatione Christi primus Apostolorum confirmator fratrum, & agnorum atq; ouium pastor esset, etiam plus alijs Christum diligens, verum præterea quòd sortis suæ beneficio, circumcisionis, hoc est Iudæorum præcipuus doctor & Apostolus fuerat. Salus enim ex Iudæis, ex quibus est Christus secūdum carnem: quòd si delibatio sancta est, & massa, si radix sancta, et rami. Gentes autem non sunt radix & fundamentum, sed supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum hoc est, fidelium Iudæorum edificantur filij Abrahæ secundum promissionem, qui est pater omnium credentium siue ex circumcisione, seu per præputium.

Quamquam ergo Paulus non minus esset Iudæus quàm Petrus: tamen quia & extra numerum duodecim Apostolorum, qui primùm ad duodecim tribus Israel missi sunt

Act. 13. Apostolus est creatus, & non Iudæorum, sed gētiū Apo- **D**
Galat. 2. stolus dicebatur: addo etiam quia natus est ciuis Roma-
Act. 23. nus: ob has causas, si Paulus in noua Metropoli Ecclesiam
 principalem primus fundasset, videretur Ecclesię Christianę
 visibile fundamentum non tam à Iudæis (vt verè est, at-
Gal. 2. que esse debet) quàm à gentibus exortum fuisse. Nunc
 autem cum Petrus ob circumcissionis digniorē Apostola-
Rom. 11. tum oliuam pinguem & vberem (quam Dominus Iesus,
Rom. 15. & ipse minister circumcissionis in Patriarchis et Prophetis
Gal. 2. ab initio plantauerat) excellenter figuret. Paulus verò pro-
Rom. 11. pter Apostolatū gentium potius typum oleastri gerat,
 qui aliunde in oliuam, vt pinguedinis oliuę particeps fiat,
Act. 23. iuferitur, nec radicem ille, seu radix illum portat: Vtique **E**
 cum Paulus ad Ecclesiam Romanā à Petro iam prius fun-
Rom. 15. datam deducitur, vt Romę testificans de Christo, supra fun-
 damentum alienum (quod aliàs facere non solebat) edificet:
 tunc inquam gentium à se conuersarum surculos tam-
Act. 23. quàm oleastrum in Petri circumcissionis Apostoli oliuam
 inferere iubetur, vt fiat, tum ex vtroq; Iudæorum & gentiū
 populo vna Ecclesia, & ea Romana; tum ab vtroque Iu-
 dæorum & gentium Apostolo vna cathedra, & ea Ro-
 mana.

Quartum Dei opus circa instituendum Ecclesię Romanę primatum . **F**

Iam dudum Romę fuerat Simon Magus, qui deserta fi-
Act. 8. de Christi, virtutem Dei se mentiens, per magias suas ob-
Tertull. tinuerat, vt statua ei poneretur cum hac inscriptione, Si-
in Apo- moni Deo sacrum: sed cum venisset hora, in qua princi-
loget. pem mūdi ex virtute Christi foras eijci oportebat, Simon
 Petrus inter cetera ob hoc ipsum Romam deductus, Simo-
Hieron. nem Magum in miraculorum certamine prius victum, ac
in Catalo postea in aerem Dæmonum vehiculo sublatum tam suis,
go. quàm Pauli Apostoli, ac totius Ecclesię Romanę preci-
 bus in terram deiecit, multis etiam ex ijs, qui magum an-
 tea

A tea suspiciebant, miraculo rei ad Christi fidem conuer-
 sis. Negari autē nō potest, quin & maxima prerogatiua fue-
 rit, primum Ecclesię Christianę Apostatam, atque omniū
 hereticorum principem expugnasse, & hæc ipsa prerog-
 atiua solius Romanę Ecclesię, in qua sola ex præfinito
 Dei concilio expugnabatur, propria fuerit. Quamquam
 enim hi duo Simones etiam alibi fuerant congressi, tamen **Act.** 8.
 Deus noluit alibi totius hereseos caput alligari, vasaq; **Matt.** 12
 in quibus Satanus confidebat, hoc est corda gentium, diri-
 pi, quàm in Ecclesia Romana; quę in omnium gentium
 oculis exposita erat, vt pote in capite gentium constituta,
 & totius fidei magistra ex virtute Christi permanens, here-
 tici corporis reliquam speciem, iam vti que mancam, &
 mutilam, debebat in æternum superare. Fides enim Petri
 non deficit in Ecclesia Romana, quod tum res ipsa loqui-
 tur, tum alibi planum fecimus. **Luc.** 22.
B *Lib.* 8. de *visi.* *Mo-*
narch.

Quintum Dei opus circa instituendum Eccle- się Romanę primatum .

Postquam Petrus & Paulus ob Simonem Magum de
 cælo in terram deturbatum, iram Neronis (cui chariores
 erant Magi, quàm Apostoli) in se prouocassent, & ideo ad
 cædem quærerētur; Petrus fratrum precibus inflexus, qui **Egesip-**
 vitam eius adhuc ipsis necessariam iudicabant, ex Vrbe cœ- **pus lib.** 3
 pit egredi. Ceterum Dominus Iesus ad portam ei occur- **cap.** 2.
 rens, voluntatis suę esse docuit, vt in vrbe Roma pro Chi-
 sti nomine Cruci suffigeretur. Narrat hoc Ambrosius; nar-
 rat & Egesippus, narrat deniq; perpetua Ecclesię Roma-
 nę traditio, quę in huius rei memoriã facellum quoddam
 in via publica Christo dedicauit sub nomine Petri ad
 Christum dicentis, Domine quò vadis? Roma igitur est lo-
 cus, in quo Deus elegit, vt Petrus, & vltimū maximumq;
 nec vñquam reuocandum fidei charitatisq; suę testimo-
 nium Christo diceret, & pastoralis præfecturæ suę vlti-
 mum, maximumq; nec vñquam reuocandum successorē
 acci-

Ioan. 12. acciperet. Quid enim? nonne vbi Deus præordinauit vt **D**
 electi frumenti granum seminetur, & in terram iaciatur,
 ibi etiam maximè omnium elegit, vt idem granum radicē
 agat & fructificet? Seminatur enim, vt iterum exurgat; mo-
 ritur, vt reuiuifcat; radicem agit, vt ne vento quopiam de
 loco suo proijciatur; crescit, vt fructum vberiolem afferat.
 Et qualem fructum produceret visibilis pastorū princeps
 Romę feminatus & mortuus, nisi visibilem Ecclesię Ro-
Gen. 1. manę principatum? Nam vnumquodq; lignum sementem
 secundum speciem, quam Deus ei ab initio dedit, semper
 in se habet, nec alterius generis fructum producit. Num-
Matt. 7 quid enim colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus?
 Romana igitur Ecclesia, in qua Petrus Apostolorum prin-
 ceptus ita ex prædestinatione Dei seminatur, vt fructum sui
 generis ibidem producat, eo ipso fit & in æternum man-
 sura declaratur omnium Ecclesiarum totius mundi ra-
 dix & matrix.

Sextum Dei opus circa instituendum Ec- clesię Romanę primatum.

Petrus à Christo de morte sua Romę obeunda præmo-
Clem. ep. nitus, eoq; ipso intelligens successorem primatus sui Ro-
1. mę surrogandum, in conuentu fratrum manu Clementis
Damasus apprehensa: hunc, inquit, Clementem episcopum vobis
in Pōrist. ordino, cui soli, meę prædicationis & doctrinæ cathedram
Ruffi. in ligandi; & soluendi traditam mihi à Domino potestate **F**
prafat. re trado. Hinc Tertullianus: Romanorum, ait, Ecclesia Cle-
cognitio. mentem à Petro ordinatū edit. Hinc Eucherius ad Vale-
Clemētis rianum scribens, Clementem ait in via iustorum ita excel-
Tertull. lenter floruisse, vt principi quoque Apostolorum (vtique
de p̄scri. in ipso principatu) successor extiterit, nec iniuria. Cum
Eucher. i enim fieri nullo modo possit, quin fratres confirmandi,
epist. ad agnosq; & oues pascendi primatus in vno Petro Aposto-
Valeria- lorum primo eximiè institutus ad vnum aliquem vnus
num. Petri successorem ordinariū transire debuerit, nec is pri-
Luc. 22. matus
Ioan. 21.

A matus ab ipsa Petri persona, dum adhuc viueret, in alium
 aliquem potuerit transferri, propterea quòd charitas non
 vulgaris, sed qua plus aliis Christum diligeret, in ipso Pe-
 tro ad pascendas oues electa est; efficitur vt Petrus nec in
 Hierosolymitanum, nec in Antiochenum, nec in Ale-
 xandrinum, nec in alium aliquem episcopum à se an-
 tea institutum potuerit sui primatus cathedram & ordi-
 nariam successionem transferre: sed tantum in illum, qui
 ex vltimæ voluntatis Petri dispositione, quam Romę in
 medio fratrum diuulgauit, Petro ex hac vita decedenti, &
 iam non amplius agnorum & ouium visibili pastori succe-
Heb. 9. deret. Vbi enim testamentum est, mors necesse est interce-
B dat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatū;
 alioqui nondum valet, dum adhuc viuit qui testatus est.

Animaduersione dignum est & illud, quamquam hoc
 tempore tam Paulus quàm Petrus Romę essent; tamen
 solum Petrum sibi in Ecclesia Romana successorem no-
 minasse, Paulum non item. Petrus enim & ob circumci-
 sionis Apostolatam, quem gerebat, & ob primatum Apo-
 stolicum, quē acceperat, & ob ipsum nominis priuilegiū,
 quo rupes & petra dicebatur, fundamentum erat ab ipso
 Christo iactum, supra quod & reliqua Christi Ecclesia, &
 ipse Paulus ædificabatur. Vnde Paulus ad minimum, bis
 ad Petrum ascendit, semel honoris causa, vt eum inuiferet,
C iterum necessitatis, vt prædicationis suæ testimonium ab
 eo acciperet. Hinc Romani Pontifices dicuntur aut solius
 Petri, aut tam Petri quàm Pauli, nūquam verò solius Pau-
 li successores. nam in maiore Petri potestate etiam Pauli
 potestas (in ijs quidem quę ad Ecclesiam reliquam perti-
 nebant, æqualis; in ijs autem quę ad ipsos Apostolos & Pe-
 trum inter se ipsos pertinebant, minor) comprehendeba-
 tur. Quo factum est, vt Cyprianus diceret, vnam esse cathe-
 dram super Petrum Domini voce fundatam: quam eandē
 vnam vnus Petri cathedram Aurelius Prudentius primā;
 Optatus verò singularē; Augustinus postremò Apostoli-
 cę cathedrę principatum in Ecclesia Romana semper vi-
 gentem

Heb. 9.

Nota.

Galat. 2.

Matt. 10

Mat. 16.

Galat. 1.

et 2.

Act. 15.

Luc. 22.

Matt. 18

et 28.

Ioan. 21.

Cyprian.

l. 1. et 8.

Pruden.

in hymno

S. Laur.

Optatus

de schif.

Dona. l. 2

August.

epist. 162

gentem vocat. At his quidem sex Dei operibus perfectissimè institutus est Ecclesiæ Romanæ primatus, sed non dum Petri morte confirmatus.

Septimum Dei opus circa Ecclesiæ Romanæ primatum confirmandum.

Euseb. l. 2. c. 24. Dato à Nerone præcepto Petrus & Paulus comprehēsi, eodem die, Paulus via Ostiensis, Petrus in monte Ianiculi martyrium subiuerunt.

Haec tamen timeri poterat, ne vel Petro alibi quàm Romanæ, vel Paulo alibi quàm vbi esset Petrus obdormiente; tres Ecclesiæ de primatu contendissent. primum Romana, quod caput esset gentium, ad quas iam Christus fidem suam transtulisset; deinde illa, vbi quiesceret Petrus, quod is fuisset princeps Apostolorum: denique & illa vbi quiesceret Paulus, quod is fuisset Apostolus gentium, ut nihil interim de Antiochena, Hierosolymitana, & Alexandrina Ecclesia dicam.

Præuidens hæc pericula humanitas Dei & benignitas, nec Paulum voluit alibi quàm vbi esset Petrus; nec Petrum alibi quàm vbi esset gentium caput & Metropolis, ex hac vita migrare.

Matt. 1. Luc. 2. Quemadmodum enim altissima Dei sapientia in homine redimendo non alium voluit esse filium hominis, quàm qui esset filius Dei, nec aliam personam inter Deum & hominem mediatorem constitui, quàm quæ in mysterio Trinitatis media esset: sic omnes Ecclesiastici primatus causas in vnum eundemque locum voluit concurrere, ut in re tanti momenti constituenda, nullus non modo non altercandi, sed nec ambigendi locus relinqueretur. Si enim caput mundi Roma prius erat, si caput Apostolorum & Apostolus circumcisionis Petrus eodem accessit; si caput gentium Paulus eodem à Christo mittebatur; si caput hæreticorum Simon Magus ibidem non sine miraculo extinctus est; si Deus prohibuit ne Petrus aliò migraret; si vnica & singularis

laris

A Iaris cathedra ibidem Clementi tradita est: si tam Petrus quàm Paulus ibi demum quiescunt; quis præterea locus in toto mundo vel vnã talem primatus causam obtendere potest, quales Roma septem demonstrat? Nam quid? nonne vbi visibilis petra quiescit & figitur; ibi tantum illius visibilis Ecclesiæ, quæ super eandem petram ædificatur visibile fundamentum esse statuetur? Petrus dum adhuc viueret, huc atque illuc spiritu Dei agebatur. sed cum iam in Ecclesia Romana vsq; in diem aduentus Domini quiescat, factus est in Ecclesia Romana per mortem suam petra immobilis, nec aliò ab hominibus transferri potest. Vnde Gregorius Magnus Petrum dicit sedem, in qua etiã quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est sublimasse.

B Augustinus quoque asserit eam partem orbis Iuliano Pelagiano sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo martyrio coronare. hæc illi. Sed parum est solam mortem tantorum principum considerare, nisi etiam genus mortis (in quo nobis licet octauum Dei opus ponere) admiremur.

Octauum Dei opus circa Ecclesiæ Romanæ primatum consummandum.

C Tertullianus^a, Eusebius^b, Egesippus^c, Hieronymus^d, Dorotheus^e, & Sulpitius Seuerus^f, vnã cum omni antiquitate contestantur Petrum crucifixum esse, Paulum vero ense percussum.

Quid autem hac re significatum sit Augustinus (quamquam aliud agens) omnium optimè explicauit. Nam cum Ioannes Baptista de Christo dixisset, illum oportet crescere, me autem minui; Augustinus pulchrè animaduertit, Ioannem Baptistam (velut in figuram eorum, quæ ventura erant) minutum esse dum caput ei gladio defectum est: Christum verò etiam typo quodam significante, creuisse, dum in cruce extendebatur. Quod idem mysterium adeò non

S

est

Matt. 16

Lib. 6.

ep. 37.

Contra

Iul. lib. 1

a. de preser.

b. lib. 2. c. 24

c. lib. 3. c. 2.

d. in catalo

go.

e. in Synopsi

f. in sacra h

storia.

Ioan. 3.

In serm.

de Io. Ba

pista.

In lib. de prescrip. est à Petri & Pauli morte alienum, vt Tertullianus tot ab hinc sæculis scriptum reliquerit, Petrum Dominicæ passio ni adæquatum, (ob supplicium crucis) Paulum Ioannis exitu coronatum, quia gladio truncatus est. Imò Dominus ipse de manuum Petri extensione, quam in cruce facturus erat, prædixit, velut de magno quopiam Dei opere, Amen

Ioan. 21. amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas vbi volebas; cum autem senueris, extends manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò tu non vis. Hoc (inquit Ioannes) dixit significans qua morte clarificaturus esset Deū. Quemadmodum igitur, cum Ioannis Baptistæ gloria post mortem eius minuenda esset (eo quòd tunc futurum erat, vt sciretur homo tantum fuisse;) Christi autem gloria post mortem ipsius augenda foret, (quia tunc futurum erat vt Deus, & homo esse crederetur) in huius rei signum, Ioannes in morte sua capite truncatus, at Christus in cruce est extensus; sic omnino in Petro & Paulo videmus euenisse.

Gal. 1. Nam Paulus dum viueret, maximum quendam primatum, & eum nõ ab hominibus acceptum, exercuit; adeo vt plus omnibus laboraret, nec aut paucis tantum gentibus, aut humanae fortitionis distributione, (vt ceteris Apostolis accidit) sed tum diuinæ vocationis præcipua electione, tum plurimis per orbem populis Euangelium annuntiaret. Ceterum vbi hora mortis aduenit, Paulus hanc gloriam primatus sui ad posteros propriè suos non transmisit, in cuius rei typum capite truncatum fuit. Contra verò Petrus, licet in vita etiam fuisset maximus, tamen postquam ceteri Apostoli ex hac vita migrauerant, tunc demum multo illustrior factus est. Tunc manus eius ab Oriente in Occidentem (id quòd crucis habitus significabat) porrectæ sunt, & extensæ. Cum enim clauium suarum, hoc est, omnem ligandi & soluendi plenissimam & planè regiam atque adeo cælestem potestatem ad posteros suos maximè omnium in Ecclesia Romana transmitteret; ad sedem Petri venit ex Oriente Polycarpus Asiæ princeps, de quæstionibus Ecclesiasticis cum Aniceto Pontifice acturus, venit ex Occiden-

D

E

F

te

A te Irenæus, ob causas itidem Ecclesiasticas à martyribus Galliarum ad Eleutherium Põtificem Romanum missus: Tunc Pius Pontifex, tunc Victor decreta sua de Paschatis celebratione in Orientem atque Occidentem emisertunt: Tunc Stephanus Papa irritum fecit octuaginta Episcoporum Africæ, aliorumq; in Cappadocia de rebaptizatione decretum. Tunc Dionysius Episcopus Alexandriæ apud Dionysium Romanæ vrbs Episcopum de fide accusatus, se ipsum purgavit. Tunc Cæcilianus Carthaginensis Episcopus conspirantem in re Episcoporum Africæ multitudinem non curauit, eo quòd cum Romana Ecclesia integram retineret communionem, in qua semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus. Et hæc quidem omnia primam Synodum Nicænam antecesserunt, ne nuper nãtam putes sedis Petri gloriam. Non ergo frustra vel Paulus capite orbatus, vel Petrus in cruce legitur extensus. Decuit enim Christi vicarium, non alium sequi magis quàm Christum, qui tum per crucem intrauit in gloriam suam, tum ad Petrum dixit, Tu me sequere.

Accedit eodem, quòd ita crucifixus est Petrus, vt caput eius in terrâ verteretur, pedibus in sublime eleuatis. Quid obsecro significat Petri caput ipsius rogatu in terram conuersum, nisi eum, non quidem Ecclesiæ triumphantis in cælo, (instar Christi) sed tantum eius partis, quæ militat in terra Vicarium, caput esse? Petri autem pedes in cælum eleuati, quid aliud designant, quàm eum esse finem primatus Petri, vt iter Ecclesiæ cælum versus dirigat?

Postremò cum homo capite in terra verso, pedibusq; sursum erectis, figuram arboris gerat; hac etiam ex parte significatum est, Petrum fore tamquam oliuam plantatam iuxta decursus aquarum cuius folium non defluit, eo quòd fides Petri non deficiet aliquando, sed fructum confessionis fidei, qua fratres confirmet, semper in tempore suo dabit.

Hieron. ibidem.

Euseb. in Chron.

Vincen. tius Lirenen.

Athan. de sententia Dionysij. Aug. ep. 162.

Luc. 24. Ioan. 21.

Hieron. in Catalog.

Psal. 1.

Luc. 22.

Nonum opus, quo Deus Ecclesiam Romanam abundantius adhuc alijs omnibus Ecclesijs prætulit.

Quàm solidè primatus Ecclesiæ Romanæ tum auctoritate Apostolorum Petri & Pauli, tum operibus Dei multis, & ijs admirandis fundatus fuerit; iam cœpimus explicare. Nunc autem plus dico: Et si Petrus & Paulus nunquam Romæ fuissent, Ecclesia Romana, quamquam non talem ac tantum, tamen verum aliquem primatum non solum ex prærogatiua loci, verum etiam ex alio dono, & vocatione ipsius Dei sortita esset. Nam vbi ab eccellente illa Apostolorum prærogatiua semel discesserimus, inter omnes omnium Ecclesiarum Episcopos, nullus ratione sui proprii Episcopatus, ad tam eximium, & singulare ministerium vocatus fuisset, ac Romanus Episcopus. Cum enim omnibus in vniuersum Episcopis ea cura ex officio incumbat, vt oues Domini contra omnes mundi ac Dæmonum potestates tueantur, vitamq; si opus est, pro salute gregis impendant: certè quidem ceteris Episcopis, pro loci, quem vnusquisq; tenebat, ratione, nihil amplius mandari potuit, quàm vt inferioribus quibusdam Diaboli membris per vniuersum orbem dispersis resisterent: Romano autem, eo ipso quòd Romanam Ecclesiam administrare iubetur, mandatur, vt cum totius infidelitatis capite, vrbe Roma, cumq; ipso rege Babylonis Romano Imperatore, in virtute Christi manus conferat, & victoriam reportet.

Iam etsi Romanus Pontifex officio suo in hac causa defuisset; salua tamē & incolumis persisteret diuinę vocationis prærogatiua; quæ non secundū facta hominū, qui mentiuntur, sed secundū veracis Dei certissimā præscriptionē, æsti mari debet. Dei autē iudicio præcipuus est episcopatus, cui præcipua Satanę potestas oppugnāda & vincenda cōmittitur: quam præcipuam aduersarij potestatem cum sine præcipua Christi virtute superare nō posset; necesse est fatea-

mur

A mur præcipuam virtutem Episcopo Romano diuinitus concessam, qua ipsum Draconis caput expugnet: quę præcipua Christi virtus, nihil est aliud, quàm ille, quem nunc defendimus, Pontificis Romani primatus.

Decimum Dei opus circa eundem Ecclesiæ Romanæ primatum comprobandum.

Nunc autem nec Romani quidem Pontifices vocationi diuinę defuerunt. Nam præterquam quòd ceteros vrbis Romę viros fideles ad certamen pro Christi nomine subeundum ex officij sui pastoralis præcipua gratia, & gradu studiosissimè inflammarūt; etiam ipsi ante omnes alios ad supplicium quęsiti, (adeo vt B. Cyprianus testetur, nihil fuisse aliud in Petri cathedra sedere, quàm corporis sui carni- fices, & tyranni ferocientis vltiores expectare) per annos trecentos quasi continuos, animam suam pro Christi ouibus, tamquam boni, & non mercenarij pastores, gloriosè posuerunt; & ita posuerunt, vt cum generalis persecutio ante Constantini Magni tempora non nisi per decē ferè interualla, in alios Christianos etiam Romę habitantes exerceretur; tamen in ipsos Pontifices penè continua, & vix vnquam intermissa tyrannorum sæuierit manus. ne que mirum: Imperator enim partim probè sciēs tum quot essent in mundo Christiani, tum omnes illos esse vnius Christi gregem, vni primo in terris pastori, Pontifici Romano maximè omnium obedientem; partim etiam indignans esse in sua imperiali ciuitate, qui & Deos ipsius contemnere, & in os ei resistere auderet; aliosq; vt idem facerent, auctoritate sua commoueret; ita hinc ira, inde metu, afficiebatur, vt B. Cyprianus ibidem scribat, tyrannum infestum sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminantem, multò patientius & tolerabilius auditurum leuari aduersus se emulum principem, quàm constitui Romę Dei sacerdotem. hæc ille. Quòd si alia nulla Ecclesia tot mihi dabit Episcopos, qui temporis spatium tam breui, ordine

mar-

Nota.

Dempto primatu Petri, cur Papa Romanus Episcopus sit primus. Act. 20.

Ioan. 10

Rom. 13.

Ioan. 15.

D

E

F

Cyprian. l. 4. ep. 6
Ioan. 10

August. de ciuit. Dei lib. 18. c. 52.
Damas. in Pontifi.

Cyprian. l. 4. ep. 6

Principatus martyrij.
Ioan. 21.
1. Cor. 4.
 D martirum tam longo, persecutiones tam graues pro Christi nomine subiuerint; relinquitur vt in Romana cathedra fit saltem martyrij principatus. Cum ergo Pontifices Romani plus alijs Episcopis animam pro fratribus ponentes, inde etiam plus alijs Christum & Christi oues dilexissent monstrantur: vtiq; tum opere ipso probauerunt, se Principes Apostolorum veros esse in ipso dilectionis principatu successores; tum maiorem pascendi auctoritatem se à Domino accepisse declarāt, pro eo quòd oues Christi plus alijs pauerunt, quid enim habere poterant quod non accepissent? habebant verò principatum pascendi, & cum martyrij sui principatu fati abundeq; contestatum: necessariò igitur fatendum est, Episcopos Romanos pascendi principatum à Christo accepisse. Iam verò quamquam certissimum sit hæc summa priuilegia Episcopis Romanis ideo concessa esse, quòd Petro Apostolorum principi in ipso pascendi principatu successerint: tamen etiam si quis tam impudens sit, vt neget Petrum aut Romę fuisse, aut saltem primariam Ecclesię cathedram ibi collocasse; certè quidem non poterit negare aut hoc ipsum Martyrij excelens opus quod oculis videt, manibusq; contrectat verè ita se habere: aut cum ita se habeat, certum signum alicuius Ecclesiastici primatus esse.

F Vndecimum Dei opus circa primatum Ecclesię Romanę adhuc etiam abundantius comprobandum.

Quid, quòd iidem Pontifices Romani tam feliciter cum Cæsare adhuc infideli pro Christi honore dimicarūt; vt non modò nulla in re ipsius perfidię cederent, de quo iam dixi; sed tandem etiam ipsum Cæsarem ad fidem Christi conuersum Christo lucrifacerent? Quod quamquam Christus mox ab initio Ecclesię suę ipsius Petri Apostoli ministerio præstare potuisset; tamen neque citius id fecit, vt sci-

- A vt sciret mundus Cæsarem Christo aduersantem subuertere Christi Ecclesiam nec in vrbe quidem Roma, ne dum in orbe toto potuisse: & tandem id fecit, vt sciret mundus Christum posse quando vellet Cæsarem vel inuitum superare, vel fidelem sibi subditum facere: nec id tantum per Apostolum Petrum, sed etiam per successores eius facere posse, vt sciremus vnam eandemq; pascendi potestatem non minus in successore Petri, quàm in ipso Petro existere: nec differentiam in conspectu Dei esse in principe Apostolorum, aut in principe Episcoporum vincere. Christus, inquit Augustinus, volens superbiorum frangere ceruices, de piscatore (hoc est de successore Petri piscatoris) B lucratus est Imperatorem. Magnus Cyprianus orator, sed prius Petrus piscator, per quem postea crederet non solū orator, sed & imperator. Quibus verbis Augustinus Pontificem Romanum quemcumq; appellat Petrum & piscatorem, quia piscatoris Petri locum, & sedem tenet. Cum ergo Deus Imperatorum conuersionem per Episcopos Romanos operatus sit; nonne prærogatiua effecti operis; facilè demonstrat ministri efficientis prærogatiuam? Si enim Paulus dicebatur vas electionis, quia inter cetera nomen Christi coram regibus, quos tamen ad fidem haudquaquam conuertit, portaturus erat; nonne illa sedes, quæ nomen Christi per annos trecentos continuos coram maximis totius mundi monarchis portauit, & ita portauit, vt tandem ipsos monarchas faceret Christianos; multo magis inter sedes episcopales vas electionis ob hoc ipsum censebitur? Vas autem electum ceteris à quibus segregatur, dignius meritò habetur. C Dignissimus igitur omnium episcoporum Romanus.

*Ioan. 21**August. 2
Ioan. tra
Et. 7.**Act. 9.**Act. 13.*

Verè Apostolicum Ecclesię Romanę primatum in fide **D**
 propaganda, in docendo, & baptizando om-
 nes gentes, admirabiliter elucere.

Cap. I I I I.

Duodecimū Dei opus, quo tum illustrior fit pri-
 or ille de quo iam egi Ecclesię Romanę pri-
 matus, tum si nullus antea fuisset, nouus
 constitui iure optimo posset.

2. Cor. 5.



Galat. 2.

Matt. 7.

Matt. 28

Rom. 3.

E Verè Apostolicum opus est, pro Christo legatio-
 ne fungi, & efficacem operam in gentibus ad
 Christum conuertendis exhibere. Nam & Pau-
 lus hoc potissimū argumento probauit se
 Apostolum, non ex hominum, sed ex Dei uocatione con-
 stitutum, & Petrus, Ioannes, ac Iacobus cum uiderent
 Deum Paulo cooperatum in plurimarum gentium con-
 uersione, dexteram societatis ei dederunt: scientes huius-
 modi opus esse uerum & legitimum diuinę uocationis si-
 gnum. Ex fructibus enim eorum cognoscetis eos. Quin
 etiam Christus promisit se futurum omnibus diebus usq;
 ad cōsummationem sæculi cum Apostolis (& eorum utiq;
 successoribus) qui docerent ac baptizarent omnes gentes:
 quod quidem Ecclesia Romana tam eminenter supra om-
 nes in mundo Ecclesias omni ætate præstitit, atque in ho-
 diernum diem præstat, ut non modò certum sit, Christum
 qui nullo modo mentiri potest, omnibus diebus fuisse at-
 que esse cum Ecclesia Romana, uerum etiam necessariò
 fateri oporteat eandem Ecclesiam tanto ceteris omnibus
 Ecclesijs coram Deo & hominibus præcellere, quanto
 excellentius præ omnibus aliis hanc Apostolici muneris
 prerogatiuam exequitur & administrat. Nam & nouas gē-
 tes ad fidem Christi conuertit incomparabiliter plures,
 quàm vlla umquàm Ecclesia, & eas, quæ ab Apostolis, aut

uiris

A uiris Apostolicis conuersæ fuerant, auctoritate sua pasto-
 rali perpetuò docet, & fide confirmat.

De Alexandrinæ Ecclesię institutione, & ordi-
 ne patriarchalium Ecclesiarum.

B. Marcus Euangelio Romæ conscripto, & auctoritate *Euseb. li.*
 S. Petri comprobato ex vrbe Roma, Alexandriam à Pe- *2. c. 14.*
 tro missus, partim sua, partim successorum suorum opera *& 15.*
 Aegyptum, Lybiam, & Pentapolim ad fidem Christi con-
 uertit. Vnde prima Synodus Nicæna morem antiquum *Can. 6.*
 fuisse docet, ut Alexandrinus episcopus horum omnium
 habeat potestatem, idq; quoniam hoc Episcopo Romano
 consuetum est. Cum enim B. Marcus in B. Petri nomine,
 postquam is iam Romæ ex Dei uoluntate confederat, Ale-
 xandrinam Ecclesiam fundauerit, hoc opus non solum Pe-
 tro ut Apostolo, sed etiam ei ut Episcopo Romano ascribi
 tur, & tam efficaciter ascribitur, ut hæc noua Ecclesia in
 Alexandria per Petri discipulum constituta, præferatur
 Antiochenæ Ecclesię, ubi Petrus ipse prius tamquam epi-
 scopus confederat. Petrus ergo iam Romæ in candelabro, *Matt. 5.*
 quod ei Deus tam mirabiliter præparauit, positus, tanto
 maior (in episcopali saltem potestate) se ipso factus uide-
 tur, ut maioris dignitatis ea Ecclesia sit, quam nunc per le-
 gatum suum in Aegypto fundat, quàm illa, quæ prius An-
 tiochię à se ipso fundabatur. Cuius rei ratio, ut plenius ali-
 quanto intelligatur, paucis repetendum est quod antea ex
 Daniele, & antiquis patribus planum fecimus, politicas *Can. 3.*
 monarchias constitutas esse, ut cęlesti monarchię Iesu *Dan. 2.*
 Christi, & fidei Christianę subseruirent. Itaque Petrus
 militantis monarchię Christi primus administrator, An-
 tiochię primum sedit, ut Christi nomine, totius orientis, *Matt. 10*
 hoc est, imperij Assyriorum, Babyloniorum, Medorum,
 Persarum, Syrorum, Asię, & Põti possessionem acciperet.
 Nam & dispersio filiorum Noe in oriente primum facta *Gen. 11.*
 est, & ibidem primę institutę sunt politicę monarchię, qui- *Dan. 2.*

T

bus

Ioan. 1. 1. bus filij hominum in vnam societatem iterum congregarentur: Vnde ibi etiam decuit cęlestę Christi monarchiã per Apostolorum principem constitui, ad dispersos filios Dei in vnum congregandos.

Euseb. 1. 2. c. 13. Inde autem Petrus in vrbem Romam deductus est, vt sicut Imperium ex oriente translatum, & ipse oriens Romanis iam erat ex magna parte subiectus, sic etiam Ecclesię orientales, quas Petrus Antiochię sedens, ad Christi ouile cōgregauerat, eodem Petro in vrbem Romam principatus cui sedem transferente, Ecclesię Romanę subijcerentur, non quòd primatus Ecclesiasticus imperij sæcularis primatum velut dominum suum comitetur, aut subsequatur; sed quòd imperium sæculare tamquam thronus quidam sit ad primatum Ecclesiasticum accipiendum præparatus.

Ioan. 21. In sede autem sua oportet Christi Episcopum collocari. Quare cum Petrus sit Vicarius Christi, omnia orientis & occidentis imperia sedes Petri sunt. Hinc & Antiochiã primùm in oriente, & Romam deinde in occidente in sedes suas ex Dei voluntate accepit. Sed quia nec tertiam quidem Græcorum monarchiam, ac neque antiquissimũ Aegypti regnum oportebat extra Petri ouile excludi, (cum nec has quidem gentes Christus negligat) Petrus

Euseb. 1. 2. c. 15. Dei spiritu afflatus, B. Marcum Alexandriam, ad vrbem Græcam tam Aegypti caput & Metropolitim, quàm ab Alexandro Græcorum imperatore conditam & denominatã, ex vrbe Roma transmisit, vt is Petri nomine, eam quoque orbis terrę partem Christo subiugaret. Iam quia sub impe-

Luc. 22. rio Romano Christus in Iudęa nasci dignatus, ipsum Romanum imperium, quod tempore ceteris posterius; sed Christo vicinius erat, omnibus aliis prætulit, & ita vnumquodque ex aliis maiore gloria, per cęlestis monarchię suę cathedras præditum esse voluit, quòd id recentius & vicinius Christi temporibus fuisset. idcirco sicut Romam constituit primam totius mundi sedem, sic Alexandriam constituit secundam, & Antiochiam demum tertiam.

Post-

A Postquam verò & Constantinopolis facta est orientalis imperij sedes, facillè passa est Romana Ecclesia, vt ibi quarta sedes collocaretur, non item secunda aut tertia, quamdiu saltem Alexandria & Antiochia fidem retinebāt. Quare honor Ecclesiarum totius mundi, à Petro quidem primo Christi ministro, verùm nõ à Petro absque vlllo adiuncto, sed à Petro in vrbe Roma cathedram sacerdotale constituyente, potissimùm sumitur. Inde fit, vt **B. Hieronymus** scribat ad Theophylum Episcopum Alexandrinum, Scito nobis nihil esse antiquius, quàm Christi iura seruare, nec Patrum transferre terminos, semperq; meminisse Romanam fidem Apostolico ore laudatam, cuius se esse participem Alexandrina Ecclesia gloriatur. Animaduertat studiosus lector, non de humanis rebus agi, cum de ecclesiarũ Christi dignitate agitur. Termini patrum, & iura Christi hæc sunt, qui orbi terrarum in suis ministris præsidet.

B Idem Hieronymus alibi quoque Aegyptios cōfessores appellat Papę Damasi collegas. Adhærebant enim Aegyptij Romano Pontifici tamquam post Christum auctori, & conditori suo. Nam ceteri Asię atque Orientis Episcopi, quos aut alius quilibet Apostolorum, aut etiam **B. Petrus**, antequam Romę federet, conuerterat, non tam equo ferè animo Ecclesię Romanę primatum ferebāt, eo quòd in Oriente primùm fides prædicata, & inde in Occidentẽ deducta esset, quod ipsum in suis ad Iulium Papam litteris Eusebiani expresserunt. Verùm oportuit istos meminisse, quòd in omnibus Christi mysterijs minor natus filius, maiori præfertur: Abel Caino, Iacob ipsi Esau, Iudæis gentes, ex gentibus Latini Gręcis, occidentales orientalibus; idque quoniam prius quod est animale, posterius autem quod est spiritale. Qui enim se exaltauerit per primogenituræ superbiam, velut ex se altero sit dignior, per mutationem dexteræ excelsi humiliabitur, dum secundo genitum ex gratia sibi prælatũ videt, vt gratia non ex vlla re alia, quàm ex vocatione Dei cognoscatur esse. Fuit ergo Romana

T 2 Eccle-

Epist. 68

Ep. 57.

Sozom.
lib. 3. c. 7

Gen. 4.
Malach.

1. Cor. 11

Rom 9.

Rufinus lib. 1. c. 9. Ecclesia mater, & magistra, tum Ecclesiæ Alexandrinæ, tum per eam omnium Ecclesiarum Aegypti, Libyæ, & Pentapolis. Quin & Indorum gentes, quibus Athanasius Frumentium consecrauit Episcopum, eo ipso Romanæ sedis auctoritate ad fidem conuersæ intelliguntur. Sicut enim filia nullo modo facere potest, quin liberi quos parit, matris suæ nepotes existant; sic neque Alexandrina Ecclesia, quæ filia Romanæ est, parere ullam gentem Christo potest, quin Ecclesia Romana eiusdem gentis auia sit. Nam Alexandrina Ecclesia in ea potestate, quam à Christo per Ecclesiam Romanam accepit, Indorum populos conuertit. Vnde Gregorius Magnus ad Eulogium Alexandrinum Patriarcham scribens, Alexandrina, inquit, sedes nostra est: & alibi ait, eam sedem semper ad magistri sui gremium, vnde illi prædicatio salutaris exorta est, recurrere, & tota se deuotione conferre.

Lib. 11. Indi. 6. ep. 46. & lib. 5. ep. 60.

De Ecclesijs Italiae, Siciliae, Sardiniae, &c. per Ecclesiam Romanam institutis.

Cum in hac causa nihil difficultatis, ne Protestantium quidem iudicio sit, nolo singula persequi, sed tantum verba Innocentij, & Leonis Papæ referam, quibus ille ad Decentium Eugubinum scribens, Manifestum est, ait, in omnem Italiam atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Episcopus Petrus, aut eius successores constituerint sacerdotes.

Epist. 4. Leo autem Magnus Episcopos Siciliae certa de causa reprehendens, Quam culpam, inquit, nullo modo potuisset incidere, si vnde consecrationem honoris accepistis (videlicet ab Ecclesia Romana) inde legem totius obseruantiae sumeretis, & B. Petri Apostoli sedes, quæ vobis sacerdotalis mater est dignitatis, esset Ecclesiasticae magistratationis.

Gre-

A Gregorius Magnus vnum ex Episcopis Italiae misit in Sardiniam, ad conuertendos Paganos. *Lib. 4. ep. 33.*

De Corinthiorum Ecclesia per Pontifices Romanos edocta, & instituta.

Et si Romana Ecclesia Corinthios ad fidem minimè conuerterat; tamen eosdem post conuersionem non rectè ambulantes, ad viam veritatis reuocauit, & erudiuit. Vnde Irenæus de Romanæ Ecclesiæ Episcopis agens, Sub hoc, inquit, Clemente, dissensione non modica inter eos qui Corinthi erant, fratres facta, scripsit quæ est Romæ Ecclesia potentissimas litteras Corinthijs, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recenti ab Apostolis acceperant traditionem. Hæc Irenæus. Cum autem non minoris ferè virtutis sit, conseruare quàm acquirere, fidemque reparare, quàm ab initio eam docere: Deus verò per Ecclesiam Romanam Corinthios doceri, & institui voluerit, eo ipso docuit, Ecclesiam Romanam esse matrem Corinthiorum. Deus enim filijs per matrem lac præbere solet; nec aliter eam rem aut Romanam, aut Corinthiam videntur accepisse. Nam & Soter Episcopus Romanus ad eosdem Corinthios alteram postea conscripsit epistolam, & Corinthijs, tam Clementis quàm Soteris epistolam publicè in Ecclesijs ad fidelium institutionem legerunt, vt Dionysius Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium attestatur. *Lib. 3. c. 3. Euseb. lib. 4. c. 22.*

De Galliarum & Hispaniarum Ecclesijs per Pontifices Romanos institutis.

Idem Papa Clemens Dionysium Areopagitam, qui prius fuerat Atheniensium Episcopus, in Gallias misit, ad prædicandum illis gentibus Christi Euangelium: qua ex re apparet tum veteres Apostolorum discipulos Ecclesiæ Romanæ primatum in Græcorum Episcopos agnouisse, tum popu-

In libro de gloria confessorum.
Histor. li. 10. n. 31.
Inter ep. Leonis.
 D **populos Galliarum opera Ecclesiæ Romanæ ad fidem conuerfos esse. Quin etiam Gregorius Turonensis tradit alibi quidem primos Pontifices Romanos Martialem Episcopum in urbem Galliarum Lemouicinam prædicatum misisse, alibi verò Gratianum Episcopum anno imperij Decij primo à Romanæ sedis Papa transmissum esse in urbem Turonicam, vbi de paganis nonnullos prædicatione sua conuertit ad Dominum: vt mirandum non sit, si Galliarum Episcopi ad Papam Leonem scripserunt, se gratias Domino agere, quòd tantę fidei Antistitem dedisset Apostolicę sedi: Vnde, inquit, religionis nostrę propitio Christo, fons & origo manauit.**

Cyp. lib. 1. ep. 4.
 E **innocentius Papa narrat, nullum instituisse Ecclesias in omnem Galliam & Hispaniam, nisi quos Petrus aut Petri successores constituerunt sacerdotes.**

Lib. 4. indist. 13. ep. 51.
 Gregorius etiam Magnus, Quia cunctis, inquit, liquet, vnde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis Apostolicę fraternitas vestra repetit, quid aliud quàm bona soboles ad sinum matris Ecclesię recurrit? hæc ille. Infinitum verò esset, per singulas etates planum facere quomodo easdē Gallorū & Hispanorum Ecclesias Pontifices Romani varijs modis confirmarunt: quod potius eorum opus deberet esse, qui præter auctoritates in antiquorum Patrum libris inuentas, etiam singularum Ecclesiarum Archiua, & monumenta indagare possunt, & scrutari.

De Britannorum Ecclesijs per Pontifices Romanos institutis, & in fide conseruatis.

Dam. in Pont. & Beda hist. lib. 1. c. 4. Lib. contra Iudeos.
 Eleutherius Pontifex Romanus, à Petro duodecimus, Lucium Britannię Regem vnà cum optimatibus suis & populo per fugatium & Damianum tam fidem Christi docuit, quàm baptizauit. Vnde (vt Tertullianus testatur) Britannorum loca etiam Romanis inaccessa, Christo subdita fuerunt. Atque in hac primùm Insula, post etatem Apo-

A **Apostolorum, liquidò apparere coepit Romanæ urbis amplitudinem, quæ vt orbem terrarum in vnitatem quãdam reuocaret & colligeret instituta est, magis auctam esse & propagatam arce religionis Christianæ, cui Pontifices Romani præerant, quàm solio terrenę potestatis, quod Imperatores Romani tenebant. Nam plus in Britannijs Petri, quàm Iulij Cæsaris successores vrbi Romę adiecerunt; vt interim nec illud omittam, quòd Imperatores Romani etiam in ipsa vrbe Roma potius corpora quàm corda ciuium sibi subiecerant. At Romani Pontifices, etiam peregrinorum corda, quanto magis ciuium & sociorum in Christianam & Romanam fidem adunabant. Hęc qui perpendit, facilè animaduertet, tum Imperij Romani monarchiam vnitati per Christum introducendæ viam præparasse, tum Romanę Ecclesię primatum & totam priorem imperij Romani monarchiam complexum esse, & præterea Christianam vnitatem multo latius propagasse.**

De visibili Ecclesię Catholicę vnitatem, cuius & prima parens propter Petri cathedram, & præcipua nutrix Ecclesię Romana est. Cap. V.

C **Decimum tertium Dei opus, Non minus visibilem quandam, & externam vnitatem in Ecclesia esse, quàm internam.**

Vltas quidem gentes Ecclesia Romana Christi baptismo imbuit; plures veram Christi fidem omni etate docuit; omnes omnino in Apostolorum doctrina perseuerantes, in vnum visibile ac militans ouile collegit semper & adunauit.

Vnitas autem Ecclesię tum interna est ob internam fidei & spei vnitatem, quam vnus Dei spiritus in interiore nostro

Prosper de vocat. gent. lib. 2. c. 16.

Ephes. 4. 1. Cor. 12

- D** nostro homine operatur; tum externa, & visibilis, ob sacri
Ioan. 1 baptismi vnitatem, in honorem verbi quod Caro factum
 est, externis quibusdam signis exhibitam, & perceptam.
- Rom. 10.** Quemadmodum enim corde creditur ad iustitiam: sic dum
1. Tim. 6 credentes baptizantur, tum ore confitentur ad salutem,
1. Pet. 3. confessionem vtique bonam coram multis testibus, vt
 saluos faciat eos baptisma, non carnis depositio sordium,
Matt. 28 sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurre-
Ephes. 5. ctionem Iesu Christi, tum sanctissimæ Trinitatis nomen
 palam super eos inuocatur; quod est verbum vitæ, in quo
1. Cor. 12 mundantur per lauacrum aquę. Porrò qui baptizatus non
 est, non dum in corpus Ecclesiæ accensetur. Etenim om-
E nes nos, ait Apostolus, in vno spiritu, in vnum corpus ba-
Gal. 3. ptizati sumus. Quicumq; enim in Christo baptizati sunt,
 Christum induunt. Ante baptismum verò etsi non desint
 qui credant in nomine Christi, tamen (vt scriptum est) ip-
Ioan. 2. se Iesus non credidit semetipsum eis. nisi enim quis rena-
Ioan. 3 tus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in
 regnum Dei.
- Ephes. 4.** Vnde cum Apostolus obsecrasset nos, vt solliciti esse-
 mus seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis; mox de-
 clarans vinculum pacis de quo egit, nō solum interna, sed
 etiam externa quadam vnitare constare, subiungit, vnum
Ibidem. corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe voca-
 tionis vestræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.
F Quemadmodum enim spiritus est inuisibilis, sic corpus
 est visibile, nempe externa coitio, & communio Ecclesiæ.
- Phil. 2.** Inuisibilis fides, at visibile baptisma. Spes vocationis oc-
 culta. Sed qui vocati sunt in medio nationis prauæ, & per-
 uersæ, lucent sicut luminaria in mundo, & sicut ciuitas in
Esa. 61. monte posita, quæ non potest abscondi. Omnes qui vide-
 rint eos, cognoscent eos: quia isti sunt semen cui benedi-
 xit Dominus. Neque verò eum qui Ecclesiā non audit
Matt. 18 tamquam Ethnicum & publicanum habere, aut hæreticū
Tit. 3. hominem post vnam, & alteram correptionem vitare pos-
 semus, si Ecclesia nullo modo videri à nobis, aut cognosci
 posset.

- A** posset. homo enim non intuetur cor, sed videt ea quæ pa- **1. Reg. 16**
 tent. Vnitas ergo Ecclesię propter quam ab alio desertā,
 ipse à nobis deserendus est, tam ab illo, quàm à nobis per-
 spicue videri potest.

Cum vnitas Ecclesiæ per Christi ministros
 alijs conferatur, ipsos multo magis
 inter se vnitos esse.

- Vnum illud baptisma, quo in vnum Ecclesię corpus ba- **Ephes. 4.**
 ptizamur, non rectè (extra necessitatis articulum) confer- **1. Cor. 12**
B tur, præterquam ab iis, quos Christus ad docendum, & ba- **Matt. 28**
 ptizandum misit: Nec enim quisquam sumit sibi honorē, **Hebr. 5.**
 sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Itaque si quis ab
 hæreticis Ecclesiastico ritu baptizatus, ad Ecclesiam po-
 stea voluisset accedere, quamuis iam Christi baptisma
 (quod vbicumque ministraretur vnum atque idem est, eun-
 demq; in anima characterem imprimit) percepisset, nec **Ephes. 4.**
 vlllo pacto rebaptizari debebat (quoniam qui semel est lo- **Ioan. 13**
 tus non amplius opus habet vt se totum, sed tantum vt pe-
 des, hoc est affectus suos, lauet) tamen iam inde ab Apосто-
 lorum temporibus numquam Ecclesię vnitatem adeptus
C existimabatur, præterquam si manus ei ab aliquo ex catho- **Euseb. 1.**
 licis Episcopis aut presbyteris imponeretur, vt ita schisma **7. c. 2. et**
 tici ministerij vitio emendato, bonum, quod ante non be- **3.**
 ne fiebat, ad salutem ei proficeret. Nec enim quicumque
 baptizati sūt, sed quicūq; in Christo, idest in corpore Chri-
 sti, quod est Ecclesia, baptizati sunt, ij Christū induerunt. **Gal. 3.**
 Vnde constat ad vnitatem Ecclesiæ percipiendam non suf-
 ficere, aut solam fidē, aut sola Christi sacramenta, nisi etiā **1. Cor. 5.**
 Ecclesiæ Dei minister ea conferat: Neque verò intus, sed **Ioan. 10.**
 foris sunt, quicumque per ostium in ouile non intrant. **Matt. 16**
 Ostium autem ouilis non aperitur nisi per ostiarios, qui
 clauēs regni cælorū ex mandato Christi portant: & ij sunt **1. Cor. 4.**
 dispensatores mysteriorum Christi.

Cum ergo vnitas Ecclesiæ absque ministrorum Christi D
 opera minimè obtineatur, nonne quò ij sunt plures, &
 quò longius à se mutuò tam spatiis locorum, eò magis
 opus habent, vt arctissimo quodam vinculo inter se con-
 uertantur & copulentur? Nam alioqui diuisa & dissoluta
 multitudo, quid aliud quàm diuisionem & separationem
 operabitur? Ita fieret, vt qui maximè omnium filios Dei
 dispersos in vnum ministerio suo congregare, & regnum
 Dei pulsantibus aperire debebant, ij ante alios omnes gre-
 gem dissiparent ac spargerent, regnumq; Dei occluderēt,
 nec introeuntes ipsi, nec alios qui cuperent finentes in-
 trare. Dei verò sapientia, quæ pacis non dissensionis est au-
 ctor, numquam tali multitudini vnitatis Ecclesiasticæ mi-
 nisterium cōmisset. Vnde Cyprianus ait, copiosum cor-
 pus Sacerdotum & Episcoporum concordia glutino atq;
 vnitatis vinculo copulatū esse, Vt si quis, inquit, ex colle-
 gio nostro heresim facere, & gregem Christi lacerare, &
 vastare tentauerit, subueniant ceteri.

Matt. 23

1. Cor. 14

Lib. 3.

ep. 13.

Supereſt ergo, vt quodnam sit hoc sacerdotalis concor-
 diæ glutinum, atque vnitatis vinculum indagemus.

Sacerdotalis vnitatis vinculum esse vnum pri-
 mum visibilem pastorem.

Sub lege Moyſis cum tot Leuitarum millia essent, & il-
 li per vniuersum orbem terrarum diffunderentur, certum
 est non aliud visibile huius sacrae multitudinis vinculum
 extitisse, quàm vt omnes obedirent sacerdoti, qui pro tem-
 pore loco quem elegerat Dominus, præesset.

Deuter.

17.

Rom. 15.

Ioan. 10.

Certum est etiam dum Christus visibilem circumcisio-
 nis ministrum in terris ageret, non aliud fuisse omnium
 Apostolorum & Discipulorum Domini visibile vincu-
 lum, quàm vt vnus Christi primi pastoris sui vocem au-
 dirent.

Certum est & illud, Christum de Iudæorum & gæti-
 um adunatione agentem, prædixisse, Fiet vnum ouile & vnus
 pastor.

A pastor. Quo verbo manifestè docuit vnitatem ouilis ita cō-
 stitui & fundari per vnitatem pastoris; vt vnum visibile,
 ac militans ouile nihilo magis absque vno visibili ac mili-
 tante pastore consistere quæat, quàm vnum visibile ac
 triumphans ouile absque vno inuisibili nobis, ac trium-
 phante pastore. Nam vt vna in hoc mundo familia & do-
 mus meritò habetur, cui vnus visibilis paterfamilias, &
 vnum regnum, cui vnus visibilis rex; sic vnum in hac vita
 ouile habendum est, cui vnus visibilis pastor præest. Et
 quemadmodum Christianorum & Turcarum regna, etiã
 si verissimè vni æterno regi Deo subsint, non propterea
 vocantur, aut in hoc mundo sunt vnum visibile ac tempo-
 rale regnum: sic neque illæ innumerabiles Christianorū
 Ecclesiæ, quæ per vniuersum mundum propagantur, idcir-
 co rectè vocarentur aut verè omnino essent vna visibilis
 & militans Ecclesia, quoniam omnes vni æterno in visibi-
 li, & iam in cælis triumphanti pastori subsunt, nisi præterea
 ex eiusdem pastoris iam inuisibilis institutione, vnus visi-
 bilis pastor earum omnium visibilem in terris curam ge-
 reret. Nam vt in qualibet particulari Ecclesia quæ à duo-
 bus aut tribus Episcopis simul occupatur, etiam si plures
 illi pastores dicant se vni Christo parere, non vnitas vera
 existere, sed factio & schisma regnare dicitur (sicuti Antio-
 chiæ accidit cum Paulinus & Flavianus, uterque Catholi-
 cus, Episcopalem cathedram simul arriperent:) sic in uni-
 uersali Ecclesia, si omnes Episcopi ex æquo præessent, nec
 uni cuiquam primo pastori visibili, & militanti obedire iu-
 berentur, quamuis vnum inuisibilem pastorem omnes
 agnoscerent; nulla vnitas visibilis regnaret, sed factio, &
 schisma vbique tumultuaretur. Debet enim vnitas quæ
 multitudinem Episcoporum longè lateq; diffusam conne-
 ctet, eiusdem generis, & conditionis esse, cuius est & ipsa
 multitudo. Sicuti enim ferrum testæ misceri non potest,
 sic neque sola inuisibilis vnitas visibilem multitudinem
 adunat. Cur alioqui, cum finis omnium hominum hic sit,
 vt Deum videant sicuti est, tamen in hac vita nullus non

Dan. 2.

1. Ioan. 3.

Sap. 8. modò eum non videt, sed neque potest videre; nisi quia alia est rerum præsentium, alia futurarum ratio? Dei autē sapientia suauiter omnia disponens, præsentī vitæ secundum præsentem rerum condicionem prouidet. Cur aliqui

Hierony. singulos Episcopos singulis maioribus Christianorum ciuitatibus, cur singulis Ecclesijs singulos Archipresbyteros præfecit? Non enim quasi ope aliorum indigens hæc fecit, verum vt homini iuxta naturæ humanæ statum confuleret. Nam si filius Dei parum putauit, vt cum hominibus fieret homo, nisi etiam cum mortalibus fieret morti obnoxius, & cum iis, qui mala patiebantur, passibilis, quo per omnia fratribus assimilaretur, quid iam deinceps omis-
 Heb. 2. sisse putandus est, quod ad homines visibiles, visibili vnitate gubernandos pertineret? Constituuit Episcopos in singulis dioecesibus, ne inter singularum dioecesum presbyteros hæreses aut schismata nascerentur. Et non multo
 Cyprian. magis toti Ecclesiæ militanti, vnum præfecit militantem Episcopum, cui dum omnes Episcopi tamquam Christi vicem gerenti obedirent; in tota Ecclesia vnitas conseruaretur? Quid istorum Christo antiquius fuisse putabimus, vtrum vt singulis seorsim dioecesibus, an potius vt toti corpori in commune confuleret? Si alterū istorum dumtaxat faciendum fuisset, utiq; maiorem totius Ecclesiæ, quàm singularum dioecesum habuisset rationem: Qui enim toti communitati prouidet, etiam singulis partibus eadem opera prouidet. Nūc autem Christus & multis dioecesibus multos visibiles Episcopos, & vni Ecclesiæ per omnes gentes propagatæ, vnum visibilem Episcopum, cui ceteri omnes adhærent, designauit.

Lib. 5. Hinc B. Cyprianus, qui plurimum operæ in vnitate Ecclesiæ exponenda posuit, tum hoc diuina lege fundatum esse affirmat, vt Ecclesia super Episcopos constituatur: tum & vnitatem totius Ecclesiæ vnitati Episcopatus, & multitudinem Ecclesiarum particularium multitudi-
 Lib. 4. ni particularium Episcoporum accepto ferendam esse docet. Vna est, inquit, Ecclesia per totum mundum in

multa

A multa membra diuisa. Item Episcopus vnus Episcoporum multorum concordī numerositate diffusus. hæc ille. Ac sanè si multitudo Episcoporum verissima causa est multitudinis Ecclesiarum, quæ vnus vniuersalis Ecclesiæ membra sunt; profectò etiam vnitas alicuius Episcopi, à quo ceteri omnes oriuntur, verissima causa est, cur vna sit per totum mundum Ecclesia. Quamquam enim Ecclesia ramos suos (vt idem Cyprianus ait) in vniuersam terram extendat, & profluentes largiter riuos latius expandat; vnum tamen, inquit, caput est, vna origo, & vna mater, foecunditatis successibus copiosa. Iam ob hoc vnum Episcopatus caput, & hanc vnā originem, dicit vnā esse per totum mundū
 B Ecclesiam, licet multa sint illius membra: Sicut, inquit, cū de fonte vno riuī plurimi defluunt, licet numerositas diffusa videatur exundantis copię largitate, vnitas tamen seruat in origine.

Ac ne quis dicat Cyprianum dixisse vnum Christum esse hoc vnum caput, & vnā originem tam Episcopatus quàm Ecclesiæ; is animaduertat Cyprianum eodem in libro hæc habere verba: Dominus vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab ipso incipientem auctoritate sua disposuit. Est ergo præter Dominum Iesum alia vnitatis Ecclesiasticæ origo, quam idem Dominus auctoritate sua disposuit, & ita disposuit, vt non solūm vna esset, verum etiam ab vno inciperet. Hanc originem ab vno incipientem & à Domino dispositam nunc demonstramus.

Visibilis vnitas tam Episcopatus quàm Ecclesiæ ex institutione Christi oritur ab vno Petro.

Deus per naturam vnus, & in personis trinus, atq; ideo nec vnitatis primum fabricandæ, nec multitudinis ex vnitate postea propagandæ vnquam immemor, sicut primum firmavit vnum Adamum, ac deinde ex illo vno fecit omne genus hominum: itemq; sicut populum sibi peculiarem
 Deuter. 6
 Matt. 28
 1. Tim. 2
 se-

De vnit.
 Eccles.

Ibidem.

Ibidem.

Act. 17. selecturus, primùm vocauit vnum Abrahamum (vt Esaias **D**
Esaię 51 ait) ac deinde benedixit ei, & multiplicauit eum. Sicut
 etiam ex Aegypto populum suum educurus, primùm vo-
 cauit vnum Moysem, ac deinde tulit de spiritu eius, tradi-
 ditq; eum septuaginta viris, vt sustinerent onus populi vnà
 cum illo: sic etiam veteribus adaptans noua, naturam per-
 ficiens, figuram adimplens, & legem statuens, vnum Simo-
 nem Ioannis filium vocauit Cepham, hoc est petram, dein
 de Iesu Christi diuinitatem ei primùm, ac per eius confes-
 sionem alijs reuelans, promisit se superhanc petram ædi-
 ficaturum Ecclesiam suam. Mox eidem Petro claues re-
 gni cælorum cõtulit, quarum vsum postea ceteris Aposto-
 lis communicauit. Eum quoque fecit primum Apostolo- **E**
 rum, cui postea vndecim socios adiunxit, qui onus Ecclē-
 siasticę molis vnà cum illo sustinerent. Ei præterea fidem
 contulit tam stabilem & firmam, vt fratres suos confirma-
 re tum posset tum deberet. Eum postremo in gradu sin-
 gulari, quo Christum ceteris Apostolis plus amauit pasto-
 rem ouium atque agnorum constituit, alios postea simul
 cum illo addocendum ac baptizandum omnes gentes mit-
 tens. Ita & in Ecclesia ædificanda primus ac solidissimus
 militantium lapidum est Petrus, & in familia gubernanda,
 princeps moderandarum clauium est Petrus, & in lega-
 tione obeūda, Chori Apostolici choriphęus est Petrus, &
 in fidei causis decidendis columna maxima immobilis est **F**
 Petrus, & in grege plus alijs amando, pascendoq; vnus ac
 singularis pastor est Petrus. Vndique igitur Apostolici or-
 dinis caput est; cui Dominus tam eminentem gratiam ac
 potestatem contulit, vt nemini maior, nemini par, nemini
 aliqua omnino potestas daretur, nisi vnitate Petri & prius
 à Domino constituta, & ab omnibus postea discipulis in
 eternum obseruanda. Hinc Augustinus dicit, Petrum pro-
 pter Apostolatus sui primatum figurata generalitate per-
 sonam Ecclesię gessisse: vt videlicet sicut Adam omnes ho-
 mines in se continebat per naturam: sic Petrus omnes fi-
 deles in se complecteretur per gratiam, & donum Chri-
 sti.

In Ioan.
 tract. 34.

A sti. Vnde alibi ait idem Augustinus, Petro Dominus oues *Homi. de*
 suas sic commendauit, vt esset Christus caput, Petrus figu- *pastor.*
 ram corporis portaret, id est, Ecclesię; & tamquam spon-
 sus & sponsa essent duo in carne vna. hæc ille. Si ergo
 Petrus personam Ecclesię à Christo impositam gessit, si
 hoc fuit Spōso Christo, quod Adamo Heua, quod Abrahę *Gen. 3.*
 Sara, quod sponsa viro; certum est vt Heuam fuisse ma-
 trem omnium viuentium, itemq; Saram fuisse cauernam *Esa. 51.*
 laci, de qua Israelitę præcisi sunt, sic & Petrum velut in vte-
 ro suo portasse omnes Christianos. Vnde idem Augu-
 stinus alibi quoque ait, omnes Apostolos (de quibus maxi-
 mē dubitandum videbatur) in Petro contineri, sicut in *Ex nou.*
B præposito populus corripitur aut laudatur. Denique vt *test. q. 45*
 ex Augustino plura non repetam, In ipso Petro, inquit,
 Dominus vnitatem commendauit. In vno enim Petro fi-
 gurabatur vnitas omnium pastorum. Cyprianus idem *Homil.*
 omnino sentiens, Ecclesia, inquit, quæ vna est, super vnum *de pastor*
 qui & claues eius accepit, Domini voce fundata est: & ite- *serm. de*
 rum, Vna est Ecclesia & cathedra vna super Petrum Domi- *sanct. 24*
 ni voce fundata. Aliud altare constitui aut sacerdotium *Ad Iu-*
 nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium *baian.*
 non potest: quisquis alibi collegerit, spargit. Non solùm *Lib. 1. ep.*
 igitur in Petro vera est Ecclesia, sed etiam extra eum nulla *8.*
 est. In Petro tota sacerdotij potestas, totumq; Ecclesia-
C sticum ministerium comprehenditur. Extra unitatem Petri
 nec baptizare, nec Euangelizare, nec manus imponere
 quisquam legitimè potest.

Locutus est Dominus ad vnum, inquit Pacianus, vt *Ad Sym-*
 vnitatem fundaret ex vno; mox id ipsum in commune præ- *phor. ep.*
 cipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit. *3.*

Opratus ait, omnium Apostolorum capiti Petro epi- *Lib. 2.*
 scopalem cathedram primo collatam, ne ceteri Apostoli *aduer.*
 singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus es- *Parm.*
 set, qui contra singularem cathedram alteram collocaret.
 Quid multis? Eusebius in Chronicis dicit, Petrum fuisse
 primum Christianorum Pontificem. Arnobius (in psal.

138.) Episcoporum esse Episcopum. Leo (serm. 2. in an-
 niuersario assumpt. ad Pontificatum) Episcoporum om-
 nium esse primatem. Gregorius lib. 4. ep. 38. primum ef-
 se membrum vniuersalis Ecclesię: Paulum verò, Andream,
 & Ioannem, quid aliud quàm singularum esse plebium ca-
 pita? nec iniuria. Cum enim ipsi Apostoli tamquam Do-
 mini oues Petri curę commissi essent priusquam adhuc vl-
 los populos ad fidem conuertissent; tum ipsi inter se non
 alio visibili vinculo quàm Petri p̄fectura, & pastorali vni-
 tate colligati erant; tum quos singuli Christo acquisue-
 runt, eorum Episcopi, & pastores ita facti sunt, vt ad vnũ
 Domini ouile, quod Petrus ex Christi mandato pascebat,
 non minus agni sui, quàm & ipsi necessariò pertinerent.
 Alioqui tot fuissent in terris Ecclesię nullo pacis externę
 vinculo coniunctę, quot erant Apostoli. At cum Petrus
 post Linteum de cælo dimissum (in quo erant omnia qua-
 drupedia, omnium gentium typus) occidere illa & mandu-
 care iubebatur; tunc significatum est omnes gentes cuius-
 cumque opera conuersas, ad Petri sacerdotium, velut apud
 altare Domini per illum immolandas, & ad Petri commu-
 nionem, velut in eius ventrem per manducationem spiri-
 talem transferendas, omnino afferri & alligari; vt vndiq;
 vnitas Ecclesię tum à Petro in hoc mundo incipiat, tum
 per Petrũ conseruetur. Ceteris Apostolis assignati sunt gre-
 ges, singuli singulis, Petro vniuersi crediti sunt, vni vnus.

Quod Moyſes Iudæis, Christus dum in carne
 ambularet, suis discipulis, Petrus Apосто-
 lis fuit, hoc iam esse Romanā Eccle-
 siam omnibus Christianis.

Deut. 17 Si ante Christi aduentum, omnes Iudæi per vniuersum
 Matt. 23 mundum in varias synagogas diuisi, dum vni summo Sa-
 cant. 6. cerdoti secundum ordinem Aaron in cathedra Moyſis se-
 denti parebant, vnus Dei populus, vnaque visibilis, & mi-
 litans

A litans Christi Ecclesia fuerunt; qui verò illam cathedram
 cõtempserunt, inter schismaticos & profanos cum Core, Num. 16
 Dathan & Abyron reputati sunt.

Si Christus dum in terris ageret, omnes discipulos suos
 eo visibili modo connexit, vt dum singuli eum in summũ
 pastorem acciperent, interim omnes vnus grex, & vnus
 visibile corpus inter se fierent; qui verò ab illo defecerũt,
 aut eum vsque ad finem vitę suę persecuti sunt, cum Iuda
 & Pharisæis à Deo reprobati sunt.

Si post Christi Ascensionem in cælos, singulę fidelium
 plebes & parocię per suos rectores & archipresbyteros:
 singuli autem rectores & archipresbyteri per suos singu-
 los Episcopos & primates: singuli verò Episcopi & pri-
 mates per Apostolos, qui eos primũ constituerunt: sin-
 guli demum Apostoli per Petrum Apostolorum princi-
 pem & pastorem omnium à Christo constitutum, in vnũ
 visibile corpus Ecclesię collecti sunt, & adunati:

Profectò cum Ecclesia Christi eodem ordine, quo in-
 choata est progredi, & vsque ad finem sæculi perseuerare
 debeat; Pontifex autem Romanus in prima, singulari &
 vna principali principis Apostolorum cathedra sedeat, id
 quod & multis antiquorum Patrum testimoniis in mo-
 narchia nostra, & multis admirandis Dei operibus in hoc
 ipso libro comprobauimus, & adhuc planius in hoc etiam

C loco facturi sumus: Vtiq; tam Episcopi omnes, quàm cetè-
 ri fideles per vnã Apostolicam & principalem Roma-
 ni Pontificis cathedram, eo visibili modo inter se conne-
 ctuntur & copulantur, vt qui extra vnitatem Romani
 Pontificis degat, membrum Ecclesię Christi esse, aut cõ-
 munionis Sanctorum particeps fieri nullo modo possit:
 Quam quidã iam inde ab Apostolorum temporibus per-
 petuam Ecclesię Christi fidem & doctrinam fuisse multis
 modis declarabimus: qui tamen omnes ad hęc duo capita
 referri possunt, videlicet, Apostolicam sedem Romanam
 & principium seu originem in terris, & custodem seu altri-
 cem esse totius potestatis & vnitatis Ecclesiasticę.

Romana Ecclesia origo vnitatis, quæ inter Episcopos existit.

Lib. 1. ep. 3. Cyprianus de quibusdam hereticis agens, qui Romam nauigabant; Audent, inquit, ad Petri cathedram atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas sacerdotalis exorta est, litteras ferre, nec cogitare eos esse Romanos. & quæ sequuntur. Ecce, Ecclesiam Romanam vocat originem Episcopalis vnitatis (nam & Episcopus sacerdos est) idque quoniam omnes Episcopi in toto mundo, à quibuscunq; Apostolis facti, non per aliam potestatem facti sunt, quàm cuius radix in primatu Apostolatus Petri, in clauum eius prerogatiua, & in pastoralis eius preëminentia continebatur. Et quod in Petro Christus instituit, in Petri sede vsque ad consummationem sæculi permanet: tibi viuit Petri potestas, excellit auctoritas.

Mat. 10. & 16. Ioan. 21. Leo. serm. 2. a - sump. ad Pont.

Ecclesiam Romanam esse fastigium Sacerdotij, locum Petri, vinculum fidei, honorem collegij, concordiaë glutinum.

Lib. 1. ep. 8. Cum Cyprianus dixisset, vnam esse Ecclesiam & cathedram vnam super Petrum Domini voce fundatam; mox adiunxit, Aliud altare constitui, aut sacerdotium nouum fieri, præter vnum altare, & vnum sacerdotium non potest. Quid ergo? an plura non sunt altaria, & sacerdotes plures? sunt quidem; sed quia omnes in vno sacerdotij corpore continentur, ob corporis vnitatem vnum sacerdotiũ efficiunt. Copiosum (inquit alibi Cyprianus) est corpus sacerdotum, & Episcoporum, concordiaë mutuaë glutino, atque vnitatis vinculo copulatum, Sed quod nam est hoc sacerdotalis vnitatis vinculum? Vtique vna Petri cathedra, quæ in Ecclesia Romana floret. Hinc inde Cyprianus dicit Cornelium Pontificem Romanum ad sacerdotij sublimem

Lib. 4. ep. 2.

D

E

F

A me fastigiũ, cunctis religionis gradibus ascendisse, cũ locus Fabiani, id est cũ locus Petri, & gradus cathedræ sacerdotialis vacaret. Si aliud sacerdotium præter id vnum, quod supra Petrum à Domino fundatum est, fieri non potest: hoc est, si nemo extra vnitatem cathedræ Petri, cathedram sibi constituere, primatum assumere, baptizandi atque offerendi licentiam vindicare potest: (hoc enim apud Cyprianum est sacerdotem, seu Episcopum agere) Põtifex autem Romanus Petri locum sublime sacerdotij fastigium, & cathedræ sacerdotalis gradum teneat: profectò in solo Pontifice Romano glutinum sacerdotalis concordiaë, atque vnitatis vinculum reperitur. Cum enim proprium vinculi sit vi sua & complexu dissolutas alioqui res constringere & colligare; nec aut imbecillius quippiam fortiora constringere, aut quod angustius est, ea quæ latius patent, complecti queat: nihil aliud sacerdotalis concordiaë vinculum esse potest, præter id vnum quod sacerdotij, & sacerdotalis cathedræ sublime fastigium est. Hoc autem fastigium Cyprianus nec ille solum, sed & Augustinus in Ecclesia Romana collocat. Cum enim Augustinus dixisset speculam pastorem omnibus illis, qui funguntur Episcopatus officio, communem esse; mox ad Papam Bonifacium, cui eos libros dedicat oratione conuersa, Quamuis, inquit, in ea [pastoralis specula] aut, vt alij legunt, in eo Episcopatus officio præmineas celsiore fastigio; præminentis autem & celsius fastigium tenentis est alia inferiora concordiaë glutino vincere & colligare. Cum enim frigida pugnarent calidis, humentia siccis; cuius erat nisi superioris naturæ, pacem & concordiam inter hæc elementa conseruare? aut quis optimates prouinciarum concordiaë glutino connectit præter illum, qui omnibus illis præfidet? Cyprianus cum aliud de illorum, qui ab hereticis baptizati fuissent rebaptizatione, quàm Stephanus Pontifex Romanus, sentiret; tamen cum collegis & coepiscopis (vt ipse ait) diuinam concordiam & Dominicam pacem tenuit: Seruatur, inquit, à nobis patienter & firmiter cha-

Lib. 1. ep. 6.

Contra duas Pelagian. ep. lib. 1. c. 1.

Ad Iulianum

ritas animi, collegij honor, vinculum fidei, & concordia sacerdotij. Quod est hoc fidei vinculum? & quæ sacerdotij concordia, quam Cyprianus se ait seruare? dices, quod noluit cum Episcopis suis contendere tam pertinaciter, vt eos excommunicaret, aut ab eorum communione recederet, etiam si ab eius sententia dissentirent. optimè: At cur etiam non timuit eos collegas, & coepiscopos deferere aut ledere, qui sentiebant cum ipso? cur Aggripinum iam defunctum, cur Episcopos defunctos, qui traditionem Agrippini seruauerant? cur Synodum ipse suam Africanam, octoginta & amplius Episcoporum? cur Helenum, & Firmianum? cur omnes Episcopos ex Cilicia, Cappadocia, Galatia, & ex omnibus finitimis Galatię gentibus vnà secum rebaptizantes, (vt Dionysius Alexandrinus, & ipse in ea opinione animi dubius testatur) non potius honorauit? cur in tot gentium Episcopis honorem collegij, vinculum fidei, concordiam sacerdotij non est ausus constituere? in promptu causa est: quia in sola Romana Ecclesia sciebat constitutam esse à Domino concordiam sacerdotij, vinculum fidei, honorem collegij. Roma (inquit Prosper) Petri sedes, facta mundo est caput pastoralis honoris. Ibi ergo est honor collegij, nam honor collegiarum in fastigio cuiusq; collegij consistit, quod fastigium in Romana Ecclesia præminere Cyprianus credebat. Ibi etiam vinculum fidei; apud Romanos videlicet, ad quos Cyprianus dicebat, perfidiam non posse habere accessum. Ibi concordia sacerdotij, quoniam vnitatem sacerdotalem inde exortam Cyprianus prædicabat. Quamquam igitur mille Episcopi cum Cypriano sensissent, ramen solo Pontifice Romano dissentiente, sciebat nec honorem Episcopalis collegij, nec vinculum catholicæ fidei, nec sacerdotij concordiam à se stare. Stephani Pontificis Romani decretum fuit, quod Cyprianus tantoperè formidauit.

vide Eu
seb. lib. 7
c. 2. 3. &
4.

De ingra
tis.

Lib. 4.
ep. 2.

Lib. 1.
ep. 3.

Lib. 1.
ep. 3.

A Ecclesiam Romanam esse Ecclesiæ catholicæ vnitatem, radicem, & matricem.

Singulos Romā nauigantes, inquit Cyprianus, hortati sumus, vt Ecclesiæ Catholicæ radicem & matricē agnoscerent, & tenerent, vt te (ad Cornelium Pontificem Romanū loquitur) uniuersi collegę nostri & communicationē tuā, id est catholicę Ecclesię vnitatem pariter & charitatē probarēt, ac firmiter tenerent. Inuaserant illo tempore cathedrā Petri, Nouatianus, cum in ea Cornelius iam ante sedisset, Et quia Cornelius ritē electus legitimam Petri successionē explebat, illum Cyprianus vocat Ecclesiæ catholicæ vnitatem, quia omnes catholici Episcopi omnino & absque vlla exceptione debebant adhærere Petri cathedrę, atque legitimo Episcopo Romano, qui in ea sedebat. Dum autem omnes vni communicare ex diuina institutione tenebantur, ille vnus omnium vnitas fuit. Cyprianus igitur id sedulo agebat, vt vniuersę collegę, hoc est omnes Episcopi probarent ac tenerent non Nouatianum, sed Cornelium, id est catholicæ Ecclesiæ vnitatem pariter & charitatem. Vnde & alibi ait, Miseramus Caldonium, & Fortunatum, qui elaborarent, vt ad catholicæ Ecclesię vnitatem (videlicet ad obedientiam Cornelij Pontificis Romani, qui erat totius Ecclesiæ vnitas) scissi corporis membra componerent: sed diuersę partis obstinata pertinacia non tantum radicis & matricis, id est legitimi Pontificis Romani finem atque complexum recusauit, sed etiam adulterū, & contrarium caput extra Ecclesiam fecit. Romana Ecclesia radix vocatur, quoniam Petrus in ea sui primatus constituit successorem. Petrus autem propter Apostolatus sui primatum ex circumcisionis Apostolatu, pinguis oliuę typum gerebat. Oliuę autem radix (vt B. Paulus docet) Ecclesiam omnium gentium portat. Ita radix, & matrix Petrus, & præcipua Petri sedes Ecclesia Romana. Sedes Apostolica magnoperè cauet, inquit Gelasius, vt quia gustum.

Lib. 4.
ep. 8.

Pacianus
ep. 3. ad
Sympb.

Lib. 2.
ep. 10.

Lib. 1. ep.
3. & lib.
4 ep. 2.
Gal. 2.

Rom. 2
In ep. ad
Anasta-
si in Au-
gustum.

quia mundo radix est Apostoli gloriosa confessio, nulla D
 prorsus contagione maculetur. Iam quòd Ecclesia Ro-
 mana etiam catholicę vnitatis præcipua causa (inter causas
 inquam externas, & visibiles) existat, Synodus Chalcedo-
 nensis testatur, quę impudentiam Dioscori notans, qui
 Leonem Papam, à quo ceterorum Præsulum vnio maxi-
 mē pendebat, excommunicare conatus est, Excommunica-
 tionem (inquit Synodus ad Leonem) meditatus est contra
 te, qui corpus Ecclesię vnire festinas. Cum enim excom-
 munitio à communione separatio sit, communio autem
 sit plurium, imò catholicorum omnium vnio; quid absur-
 dius, quàm eum excommunicare, qui totius Ecclesiasticę
 vnionis dux & princeps existat? Capite enim ipso vnio-
 nis excommunicato, quis deinceps membra vniet?

Scientes (inquit Eutychius Patriarcha Constantinopo-
 litanus ad Papam Vigilium) quantorum bonorum causa
 est pax Dei, ideo festinantes vnitatem conseruare, ad Apo-
 stolicam sedem vestrę Beatitudinis notum facimus, quòd
 seruamus fidem à Christo Apostolis traditam, &c.

Denique totius Ecclesiasticę vnitatis originem & pro-
 gressum Leo Papa his verbis explicat: Cum omnium Epi-
 scoporum par esset electio; vni tamen datum est, vt ceteris
 præmineret. De qua forma Episcoporum quoque est or-
 ta distinctio: & magna dispositione prouisum est, ne om-
 nes sibi omnia vendicarent; sed essent in singulis prouin-
 cijs singuli, quorum inter fratres haberetur prima senten-
 tia; & rursus quidem in maioribus vrbibus constituti, sol-
 licitudinem fusciperent ampliorem, per quos ad vnā Pe-
 tri sedem vniuersalis Ecclesię cura conflueret, & nihil vs-
 que à suo capite diffideret. hæc Leo. Ab vnitate igitur Pe-
 tri sumpta origine, per vnitatem Episcoporum in singulis
 diocesisibus, & primatum in singulis prouincijs ad vnā
 Petri sedem rursus reditur, vt vnitas Ecclesię eo modo sem-
 per conseruetur quo primum à Christo constituta est. Tūc
 enim (auctore Gregorio) vnūquodq; salubriter cōpletur
 officiū, cū fuerit vnus ad quem possit recurri præpositus.

Petra

A Petra super quam ædificatur Ecclesia.

Beatitudini tuę (inquit Hieronymus ad Papam Dama-
 sum) id est, cathedrę Petri communionē confocior: super
 illam petram ædificatam Ecclesiam scio. *Epist. 57*

Numerate, inquit Augustinus, sacerdotes vel ab ipsa
 Petri sede: & in ordine illo Patrum quis cui successit vi-
 dete. Ipsa est petra, quam non vincunt superbę inferorū
 portę. *Tom. 7. in Psal. cōt. part. Donati.*

Pręter illam petram, inquit Leo de Romana Ecclesia lo-
 quens, quam Dominus in fundamento locauit, non erit
 stabilis vlla constructio. *Ep. 52.*

Quosdam de Histrię partibus à schismaticorum errore
 ad vnitatem Ecclesię reuertentes, & Romanę Ecclesię
 militare desiderantes, B. Gregorius ait, ad Apostolorum
 principis petram solidam concurrisse. Est autem petra
 ædificij Ecclesiasticij fundamentum, origo & principium:
 vt meritò dicamus vnitatem Ecclesię, quę per vnitatē do-
 mus designatur, ab illa petra ortam, quę est primum visi-
 bile domus Dei fundamentum. *Lib. 7. in dist. 2. ep. 97.*

Pater Episcoporum.

Damasus Papa, cum ex Episcopali synodo litteras ad
 orientales Episcopos daret, his verbis apud Theodor.
 vsus refertur. Quòd vestra charitas debitam sedi Aposto-
 licę reuerentiam tribuit, filij honoratissimi, vobis ipsis
 quoque maximo sanè honori est. *Lib. 5. c. 10.*

Africani Patres vocant Papam Anastasium tam patrē,
 quàm fratrem suum, illud quia Petri successor; hoc, quia
 coepiscopus erat. *In Conc. Carthagi nen. sub Anastas.*

Prima synodus Ephesina Papam Cęlestinum vocat san-
 ctissimum patrem suum & collegam. *In Syno. Ephes.*

In quarta synodo Oecumenica sexcenti & triginta
 Episcopi cum ad Papam Leonem scriberent, Firmitas
 tua, inquit, filiis quod decet adimpleat.

Sergius

In synod. Martini Papæ. Sergius Cyprienſis Epiſcopus, itemq; primates & Epiſcopi Numidiæ Bizacij, & Mauritanix, Theodorum Papā ſalutant patrem patrum.

Eſt autem pater principium, & radix fraternæ vnitatis, quæ eſt inter filios ipſius.

Principatus Apoſtolicæ cathedræ.

Ep. 162. In Eccleſia Romana, inquit Auguſtinus, ſemper Apoſtolicæ cathedræ viguit principatus.

Inter Pa-pa Leo-nis epiſt. Galliarum Epiſcopi cum ad Leonem Papam ſcriberēt, dixerunt principatum ſedis Apoſtolicę in Romana Eccleſia conſtitutum.

Synodus Conſtantinop. ſecunda Romanum Pontificē vocat ſummum Pontificem magnæ ſedis Apoſtolicæ.

In Conc. Conſtanti-nop. 1. Cum in Symbolo profiteamur nos credere vnam catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam: certè vbi huius Apoſtolicæ Eccleſię principatus non modò ſemel conſtitutus eſt, verùm etiam ſemper viguit, ibi neceſſe eſt principium, & radicalem vitam totius Eccleſiaſticę vnitatis contineri.

Principatus Apoſtolicæ ſacerdotij & Epiſcopatus.

De voca-gent. lib. 2. c. 16. Roma per Apoſtolicæ ſacerdotij principatum, inquit Proſper, amplior facta eſt arce religionis, quàm folio potèſtatis. Magnum Dei donum eſt ſacerdotium: maius autem Apoſtolicum ſacerdotium: at principatus Apoſtolicæ ſacerdotij, omnium planè maximum eſt.

In Prole-go. ad Cōcil. Chal. Petrus in Apoſtolica ſede, inquit Galla Placidia, principatum Epiſcopatus ordinauit.

Ibidem. Beatiffimo Romanæ ciuitatis Epiſcopo, ait Valentinianus Imperator in epiſtola ad Theodoſium, principatum ſacerdotij ſuper omnes antiquitas contulit.

Primus

A Primus omnium Sacerdotum.

Apoſtolicæ ſedis præful, ait Eulalius Syracuſanus epiſcopus, prærogatiua Petri, per vniuerſum orbem primatū obtinet ſacerdotij.

Arator librum ſuum dedicat Domino Apoſtolicæ, & in toto orbe primo omnium ſacerdotum Papæ Vigilio.

Sancimus, inquit Iuſtinianus, ſecundum quatuor ſynodorum definitiones, ſanctiſſimum ſenioris Romę Papam, primum eſſe omnium ſacerdotum.

Quod autem in quocumq; rerum genere primum eſt, ceterorum in eodem genere cauſa & principium eſt: omnium igitur Epiſcoporum origo eſt Pontifex Romanus.

B Summus Pontifex & Sacerdos.

Aduerſus quam inuidiam, inquit Hieronymus ad Papā Damafum, illa me cauſa conſolatur, quòd tu qui ſummus Sacerdos eſ, id fieri iubes. Idem verò eſt ſacerdos quod Pontifex ipſo Auguſtino interprete. Summus ergo ſacerdos quid aliud eſt quàm ſummus Pontifex?

Summi Pontificatus apicem, ait Iuſtinianus, apud Romanam eſſe nemo eſt qui dubitat.

Primates & Epiſcopi Numidiæ Bizacij, & Mauritanix Theodorum Pontificem Romanum ſalutant ſummū Pontificem omnium præfulum.

C Primas Eccleſiæ.

Sedis Romanę præfulum, inquit Gelafius, Eccleſia veneranda conſeſſa ſemper eſt, & habet deuota primatem.

Caput Epiſcoporum.

Sedes Roma Petri, ait Proſper, quę paſtoralis honoris facta caput mundo, quicquid non poſſidet armis, religio-

Y ne

ne tenet.

Inter ep. Leonis. Episcopi secundæ Mesæ in litteris ad Leonem Augustum; Leo, inquit, Romanus Pontifex verè caput est Episcoporum.

Act. 16. Sexcenti & triginta omnium nationum Antistites in synodo Chalcedonensi ad Leonem Papam scribentes, Sacerdotibus, inquit, tu quidem sicut membris caput præeras.

In ep. 61 ad Theodoretum Leo Papa de synodo Chalcedonensi agens, Quæ nostro prius ministerio Dominus, inquit, definierat, vniuersæ fraternitatis irrettractabili firmavit assensu, vt in hoc quoque capiti membra concordent.

Caput fidei .

Lib. 11. ep. 42. Apostolicæ sedis reuerentia, inquit Gregorius, nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, si caput fidei nulla pulset iniuria.

Caput omnium Ecclesiarum .

Victor de pers. Vand. li. 2. Hunerico Vandalorum regi rationem fidei catholicæ poscenti, respondit Eugenius Carthaginensis Episcopus, se scripturum fratribus suis, vt in Africam veniant, & præcipuè, inquit, Romanæ Ecclesiæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum.

In cod. de sum. Trinit. Vestra sanctitas (ait Iustinianus Imperator ad Papam Ioannem) caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.

In psal. 3. penit. Rex, inquit Gregorius, in tantum suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet.

Caput vniuersalis Ecclesiæ.

Epist. 77 Magnus Basilius profiteretur se Occidentalium Episcoporum institutionem amplexurum, idq; siue se ipsos caput

A put vniuersalis Ecclesiæ reputarent, (quod quidem ad solum Romanum Pontificem referri potest) seu in reliquo Ecclesiasticorum membrorum ordine collocarent: quia nec caput pedibus possit dicere, non estis nobis necessarij.

Paschasinus, Lucentius, & Bonifacius manifestarunt Dioscori damnationem his verbis: Beatissimus Papa Leo, caput vniuersalis Ecclesiæ, & quæ sequuntur.

Per episcopos & primates singulos in singulis prouincijs constitutos, ad vnam Petri sedem, inquit Leo, vniuersalis Ecclesiæ cura confluit, vt nihil vsque à suo capite disliceret.

B Roma, inquit idem Leo, per sacram B. Petri sedem caput orbis effecta, latius præsidet religione diuina, quàm dominatione terrena.

Dum Pontificum Romanæ sedis dignitati, ait Ennodius, quicquid fidelium est vbique, submittitur, eum totius corporis caput esse designatur.

Potentior principalitas .

Ad Romanam Ecclesiam, inquit Ireneus, propter potentiores principalitatem necesse est omnem conuenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt vndiq; fideles.

C

Potior auctoritas .

Auctoritate potiores, inquit Ammianus Marcellinus, eterne, hoc est Romanæ, vrbis Episcopi.

Dignum existimauit Stephanus Pontifex Romanus, Apostolicæ sedis Antistes, (ait Vincentius Lirinensis) si reliquos omnes antistites tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat.

Prior locus.

Innocentius, inquit Augustinus, cum Ireneo, Cypria-

no, Hilario, Ambrosio confidet, etsi posterior tempo- **D**
re, prior loco.

In lib. Synod. Athanasium, inquit Ennodius, Romano Antistiti impa-
nod. rem locus ostendit.

Li. 2. ep. 37. Fraternitatem tuam, inquit Gregorius ad Episcopum
Salonitanum, etsi non vita, tamen loco transgredior.

Altior præsentia Prælatura.

Cont. ep. duas Pe- lag. lib. 1 cap. 1. Sub Ge- lasio. Non dedignaris (ait ad Papam Bonifacium Augustinus)
quamuis altius præsideas, esse amicus humilium.

E Septuaginta Episcopi in Synodo congregati, Romana,
inquiunt, Ecclesia nullis synodicis constitutis, ceteris Ec-
clesijs prælata est, sed Euangelica voce Domini primatum
obtinuit.

Lib. 2. ep. 30. Sedes Apostolica Deo auctore, inquit Gregorius, cunctis
prælata constat Ecclesijs.

Qui præceteris debeat religioni prospicere.

Lib. 6. t. 10. Sozomenus refert, Macedonianos (adhuc quidem eo-
rum hæresi occultata) scripsisse litteras ad Liberium Epi-
scopum Romanum, & reliquos occidentes Episcopos,
utpote qui fidem ab Apostolis ductam ratam firmamq; te-
nerent, & præceteris deberent religioni prospicere. hæc ibi.
F Certum autem est hæc verba nec ad alium pertinere Epi-
scopum quam Romanum, nec ad eum alia de causa, quam
quod Petri locum tenens, totius ouilis Dominici curam ge-
rere debebat.

Prima sedes omnium.

Et si nomen primæ Sedis eis Ecclesijs accommodetur,
quæ in qualibet prouincia præsent: tamen cum in conci-
lijs plenis prima Sedes nominatur, illa sola intelligitur,
quæ omnium prima est, nempe Romana.

Hinc

A Hinc Synodus trecentorum Episcoporum Sinuessana *Tom. 1. Concil.*
Marcellinum Papam, qui turificauerat in templo Vestæ,
ex ore quidem ipsius Papæ, non item ex synodi auctori-
tate damnatum fatetur: quoniam prima Sedes, inquiunt, non
iudicabitur à quoquam.

Hinc etiam ducenti octogintaquatuor Episcopi Romæ *In Syn. sub Silue- stro.*
congregati dixerunt, Nemo iudicabit primam sedem, quo-
niam omnes sedes à prima Sede iustitiam desiderant tem-
perari. Cum in vtraque harum synodorum necesse sit,
multos affuisse primarum sedium Episcopos, constat eos
de prima Sede loquentes, tum de Romana loqui, tum eam
omnino primam in tota Ecclesia confiteri.

B Quæ nostro prius ministerio Dominus, inquit Leo, defi- *Epist. 61. ad Theodoretū.*
nierat, uniuersæ fraternitatis irretractabili firmavit assen-
su: ut verè à se prodijisse ostenderit, quod prius à prima om-
nium Sede firmatum, totius Christiani orbis iudicium re-
cepisset, ut in hoc quoq; capiti membra concordent.

Septuaginta Episcopi in synodo, Prima, inquiunt, Petri *Sub Ge- lasio.*
Apostoli Sedes Romana Ecclesia.

Cura omnium ad Ecclesiam Romanam pertinebat.

C Cum Orientales tam patriarchæ quam Episcopi Eccle- *Lib. 3. c. 7.*
sijs suis pulsi Romam confugissent, Papa Iulius cum om-
nes fidei Nicænæ consentientes in communionem suam
recepisset, ac propter Sedis dignitatē, inquit Sozomenus,
cura omnium ad ipsum spectaret, singulis Ecclesiam suam
restituit.

Curā, inquit Leo, uniuersis Ecclesijs principaliter ex di *Ep. 81.*
uina institutione debemus.

Papa Syluerius, inquit Episcopus Dataræ in Lycia, est *Libera- tus i Bre uicor. c. 22.*
super Ecclesiam mundi totius.

Sanctissima Sedes Romana, inquit Ioannes Episcopus *Apud Greg. lib. 10. ep. 56.*
Rauennæ, uniuersali Ecclesiæ iura sua transmittit.

Hæc sedes Romana, inquit Gregorius, speculationem
suam

In priu. suam toti orbi indicit.

5. Medardi. Nullum in Hyſtria ab Apoſtolica ſegregatum remanere vultis Eccleſia, tantuſque vos B. Petri Apoſtolorum Principis amor accendit, vt ouile ipſius, cui à Domino omnes creaturæ ſunt traditæ, ſummo redintegrare cum deſiderio cupiatis. Quid vultis? Ambroſius vocat Da-
 In c. 3. 1. ſum rectorem domus Dei, Siricium verò ianuę & ouilis
 ad Thi- cuſtodem. Hieronymus affirmat Romanam cathedram
 mot. & eſſe arcam Noe, in qua ſi quis non fuerit, regnante dilu-
 in ep. ad ſiuo peribit. Poſtremò Synodus Chalcedonenſis dicit, Vi-
 Siricium neæ, id eſt Eccleſiæ cuſtodiam à Saluatore Pontifici Roma-
 Hieron. no commiſſam eſſe.
 ep. 57.

Tutiſſimus catholicæ communionis portus.

Ep. 16. Petrus (Alexandrinus Patriarcha) perſecutionem Aria-
 ne hæreſeos declinans, quaſi ad tutiſſimum, inquit Hiero-
 nymus, communionis ſuę portum, Romam confugit. Tu-
 tiſſimus catholicę comunionis portus Roma dicitur: quia
 ibi communio catholica non modò numquam defecit, ve-
 rùm nec potuit deficere. Si enim Romanus Episcopus
 propter Petri cathedram in qua ſedet, eſt origo vnitatis Ec-
 cleſiaſticaę, vinculum fidei, honor collegij, ſublimate faſti-
 gium ſacerdotij, petra Eccleſię, pater Episcoporum, pri-
 mam ſedem tenens, caput omnium Eccleſiarum, principa-
 litate potentior, loco prior, auctoritate potior, cuſtos vi-
 neæ, ianitor ouilis, rector domus Dei, arca Noe, & quæ
 ſunt eius generis: nec intelligi poſſit eam eſſe Chriſti Ec-
 cleſiam, quæ careat petra, vinculo, faſtigio, cathedra, ca-
 pite, rectore, aut ianuę cuſtode: aut nullam in terris oportet
 eſſe Chriſti Eccleſiam; (quo quid à vero alienius?) aut certè eam oportet ſaltem in radice, & viſibili ſua origine & capite ſaluam conſiſtere. Itaque quoniam ſi vſpiciam eſt veræ fidei communio, ea in capite omnium Eccleſiarū multo maximè conſeruetur, prudentiſſimè ſcripſit D. Hieronymus

Matt. 16

23.

Matt. 13

Matt. 28

A ronymus tutiſſimum catholicæ communionis portum in Eccleſia Romana eſſe. Alibi enim poterat eſſe: at ibi non poterat deſſe.

Fiducia et ſecuritas eorum, qui communicabant cum Romana Eccleſia.

Cęcilianus, inquit Auguſtinus, potuit non curare con-
 ſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret
 & Romanæ Eccleſię in qua ſemper Apoſtolicaę cathedrę
 vigit principatus, & ceteris terris, vnde Euangelium ad
 ipſam Africam venit, per communicatorias litteras eſſe
 coniuñctum. Securitas ergo Cęciliani primò & præci-
 puè à principatu Apoſtolice cathedrę pependit; nec iniu-
 ria. Si enim cathedrę Moyſis olim, quanto magis nunc
 Petri cathedrę adherendum eſt.

Gratianus toto imperio potitus ſcripſit legem, inquit
 Theodoretus, qua iubebat ſanctas Eccleſias tradi his, qui
 Damasi (is erat Episcopus Romanus) communionem am-
 plexarentur.

Puto tibi, ait Auguſtinus ad Iulianum, eam partem or-
 bis ſufficere debere, in qua primum Apoſtolorum ſuorum
 voluit Dominus glorioſiſſimo martyrio coronare. Cui
 Eccleſię præſidentem B. Innocentium ſi audire voluiſſes,
 iam tunc periculoſam iuuentutem tuam Pelagianis la-
 queis exuiſſes.

Auguſtinus igitur iudicat eum qui adheret Eccleſię Ro-
 manæ, ſecurum eſſe debere.

Cum Theophilus Alexandrinus, Epiphanius Cypri, &
 alij Episcopi pluſquam triginta, Ioannem Chryſoſtomum
 in ſynodo quadam Episcopatu ſuo priuaſſent, eorumq; ſen-
 tentiam Imperator edicto ſuo confirmat, Innocentius
 Pontifex Romanus, Theophili iudicium irritum eſſe de-
 creuit.

Communionem Ioannis, inquit Proſper, maxima pars
 Episcoporum Romani Pontificis exemplum ſecuta ſerua-
 uit.

Ep. 162.

Matt. 23

Li. 5. c. 2.

Cōtra Iu-
 lian. Pe-
 lagia. lib.

1.

Palla-
 dius in vi-
 ta Chry-
 ſoſtomi.

*Theodor-
us hoc
refert a-
pud Pal-
lad.* uit. Tunc Demetrius Episcopus Pisimuntis peragrato D
Oriente prædicauit communionem Ecclesiæ Romanæ cū
Episcopo Ioanne, testibus Papæ Innocentij litteris.

Epist. 13 Theodorus quoq; Tyanęus Episcopus vir summæ gra-
uitatis valesciens comitatuī, suamq; prouinciam vallans
pietatis muro, ad finem vsque in communionē persistit fi-
delium Romanorum.

Cyrillus ad Ioannem Antiochenum de impietate Ne-
storij scribens, cum dixisset Romanam Synodum hæreses
illius notasse, ac præterea Theffalonicensem, ac alios sa-
pientissimos Macedonię Episcopos vniuersæ occiden-
tis communioni semper adhęssisse, addit se ipsum quoque E
idem facturum, ne videlicet à tantorum virorum commu-
nitione deficiat. hæcibi.

Ep. 18. Porro ad Cælestinum Papam scribit, Ipsi à Nestorij cō-
munionē cum fiducia nos non exemimus, donec ista pie-
tati tuæ comunicemus.

Formatæ litterę Pontificis Romani commu-
nionem profitebantur & præ se ferebant.

Formatę seu Canonicę litterę, quas Clerici peregrinan-
tes deferre secum debebant, vt se à schismate immunes, &
Catholicę communionis socios demonstrarent, ita con-
ceptę erant, vt elementa quædam græca in ijs ponerentur, F
quæ consensum & in fidem consubstantialis, & in obser-
uationem Paschatis cum Ecclesia Romana, & deniq; in to-
tam Ecclesiæ Romanę fidem & communionem testarentur.
Ponebantur enim (vt Atticus Episcopus tradit) prima grę-
ca elementa Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Petri quoque
Apostoli prima littera.

*In fine
Concilij
Chalced.
Lib. 2. ad
vers. Par
men.*

Hinc Optatus Mileuitanus Episcopus ait: Petro succes-
sit Linus. & post, Damafo Siricius hodie, qui noster est so-
cius: cum quo, nobis, totus orbis commercio formatarum
in vna communionis societate concordat.

Vt Optatus fidem suam probaret catholicam, ait se in
vna

A vna communionis societate concordare cum Episcopis
per totum orbem, & cum Siricio Pontifice Romano, id-
que ita se habere declarat ex commercio Formatarum, in
quibus videlicet designabatur salua & retenta communio
cum Petro, hoc est cum Episcopo Romano.

Erant illa ætate innumerabiles per totum orbem No-
uatianorum, Arianorum, Macedonianorum, Apollinari-
starum, Quartadecimanorum, Donatistarum, Pelagianor-
um, Manicheorum, & aliarum sectarum Episcopi, vt hi-
storiæ Ecclesiasticæ illorum temporum passim testantur.
Singuli autem istorum volebant catholici videri. At re-
vera nulli erant catholici præter illos, qui communicabant
cum Petri successore; & ideo Optatus dicit totum orbem B
cum Siricio sibi cōcordare commercio Formatarum, cum
Siricio inquam. hoc enim si non adiecisset, nullum pecu-
liare signum catholicę suę communionis recensuisset.

Quos Romana Ecclesia in communionem re-
cepisset, eo ipso etiam si aliàs suspecti, à ca-
tholicis omnibus in communi-
onem recipiebantur.

C Marcellus Ancyræ in Galatia Episcopus inter hæreti-
cos velut qui se declarasset cum Sabellio sentire, numera-
tus; cum Romæ annum & tres menses egisset, ac se apud
Iulium Pontificem Romanum purgasset, in communi-
onem Iulij receptus, ad Episcopatum restitutus est: quin
& Athanasius eum habebat, velut qui se purgasset. Epi-
phanus tamē ait eum occultasse ea, quę ab ipso dicta sunt,
vt ne excideret per depositionem à communi Episcopo-
rum collegio ac regula.

*Athan.
in ep. ad
solitar.
vit. agēt.
Soz. lib.
2. c. 31.
Epiph.
her. 72.*

Communem regulam Episcoporum, quam aliam dicit
Epiphanius, præter Ecclesiasticam communionem, cuius
caput erat Episcopus Romanus?

Tum Macedoniani quidam Episcopi (adhuc quidem oc-
cultè)

Sozom. lib. 6. c. 10. 11. et 12. cultè) tum Eustachius Sebastien Armenia Episcopus in Liberij Papæ communionem receptus, quamquam eo usque suspectus esset, vt fidem clā depopulari putaretur, tamen Liberij epistola in concilio Tyanis ostensa restitutus est in locum suum; nouèq; littere ad occidentales Episcopos ex oriente mittuntur, quibus petitur, vt tam ille quam quidam (nisi errores corrigant) à communionē separentur. Semper enim apud catholicos valuit quod Liberius ad Constantij Cæsaris Eunuchum dixit, Quem Romana Ecclesia cum pace dimisit, quomodo poterimus condemnare?

Ep. 46. Hoc idem & magnus Leo significās, Qui gratia, inquit, Apostolicę cōmunionis ornantur, etiam tuo fauore (Constantinopolis Episcopum Anatolium alloquitur) per omnia se gaudeant adiuuare.

Act. 16. Hinc etiam Theodoretus & alij Episcopi receperunt locum in concilio Chalcedonensi, quod cum Leone Papa communicarent. Vnde in synodo legimus hæc verba: Alijs Episcopis, qui Flavianum damnarunt, Sedes Apostolica veniam tribuit, quia contra voluntatem gessisse quæ patrata sunt, approbantur: ita vt nunc vsque adhæreant Beatissimo Papæ, & vniuersali sanctoq; concilio, quæ de re sacrosanctę communionis receperunt medicinam.

Quos Pontifex Romanus vitabat, cum illis neque ceteri catholici communicabant.

Epistol. lib. 10. ad Siriciū. Quos sanctitas tua, inquit Ambrosius ad Siricium, damnauit, scias apud nos quoque secundum tuum iudicium esse damnatos.

in Chron. cont. colatore. m. c. 41. Hin Prosper Aquitanicus ait, cum Pontifex Zoimus Synodalia concilij Africani decreta probasset, per totum mūdum hæresim Pelagianam esse damnatam: Et ad impio- rum, inquit, detractionem gladio Petri dexteris omniū armauit antistitum.

Hinc B. Hieronymus cum videret in Antiochena Ecclesia

A fia inter catholicos ipsos excitatam seditionem, propterea quod plures Episcopi simul Episcopalem cathedram occuparent, non solum ipse dicebat, si quis cathedrę Petri iungeretur, cum eo tantum se communicare, verum etiam Aegyptios confessores Pontificis Romani collegas, idem fecisse testatur. Non noui, ait, Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Non quod Meletius aut Paulinus hæretici essent, verum quod Romana Ecclesia eo tempore cum illis minimè communicaret, licet postea Paulinum in communionem suam reciperet. Quos Apostolica Sedes, inquit Gregorius, in communionis suę consortium non recipit, claritas vestra omnino refugiat.

B Quisquis alibi quàm cum Romana Ecclesia communicasset, schismaticus semper habebatur.

Cum Cyprianus dixisset vnā esse Ecclesiam, & cathedram vnā super Petrum Domini voce fundatam, nec aliud sacerdotiū præter vnū illud fieri posse, adiecit, Quisquis alibi colligerit, spargit; nihil autem aliud est spargere, quàm schisma facere, & gregem Domini diuidere.

Hieronymus præfatus se cathedrę Petri communionē consociari, Quicunque, ait, extra hanc domum, agnum comederit (hoc est corporis Christi sacramentum participat) profanus est

Qui contra singularem cathedram Petri, alteram collocat, schismaticus, inquit Optatus, & peccator est.

Arnobius cum dixisset Petrum Romę prædicasse baptismum Christi, in quo vniuersa (baptismi) flumina vsque hodie à Petro benedicuntur, mox adiecit, Qui exierit foras ab Ecclesia Petri, siti perit.

A B. Petri Ecclesia, inquit Gregorius, anima vestra non inueniatur diuisa, ne si hic beneficium eius despicitur, illic vitæ aditum claudat.

D
Antichristi membrum esse qui non communi-
cat cum Ecclesia Romana.

Epist. 57 Quicumque tecum, inquit Hieronymus ad Damasum Pontificem Romanum, nō colligit, spargit, hoc est, inquit, qui Christi non est, Antichristi est.

Epist. 73 ad Leonem Augustum . Matt. 16 Cum vniuersalis Ecclesia per illius principalis petrae ædificationem facta sit petra: & primus Apostolorum beatissimus Petrus voce Domini audierit, Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; quis est, nisi aut Antichristus aut Diabolus, qui pulsare audeat inexpugnabilem veritatem?

In epist. ad Hiedbertū Turon. Archiep. Qui Dei sunt, inquit Bernardus, libenter iunguntur Innocentio Papæ: Qui ex aduerso stat, aut Antichristi est, aut Antichristus.

Eadem est Catholica & Romana Ecclesia.

Cum singuli Catholici numquam sibi licere crediderint, vt à communionē Petri aut Ecclesiæ Romanæ vlla ex causa recederent, eaq; ratione dum vni tertio vnirentur, omnes inter se vniti fuerint, meritò factum est, vt nihil omnino esset discriminis inter Catholicam Ecclesiam, quæ corpus Christi est, & Romanam Ecclesiam, quæ huius mystici corporis caput est.

Amb. de obitu fratris. Hinc Satyrus B. Ambrosij frater, cum in locum peregrinum appulisset, ne fortè sacrosancta mysteria de schismatici alicuius manu perciperet, quæsiuit vtrum nam Episcopus loci cum Catholicis, hoc est, inquit Ambrosius, cū Ecclesia Romana conueniret.

In Apolog. 1. Eodem modo Hieronymus ait, Si Ruffinus fidem suam vocat eam, qua Romana pollet Ecclesia, ergo Catholici sumus.

Itidem cum Innocentius & Zozimus Pontifices Romani datis ad orientis & occidentis Ecclesias litteris deu-
tandos

A tandos Pelagianistas censuisset, Possidius hoc Romanæ Ecclesiæ iudicium appellauit Catholicæ Ecclesiæ Dei iudicium. *In vita S. Aug. Lib. 6. cap. 24.*

Sozomenus quoque, cum ait Nouatianos eodem die Pascha celebrasse, quo Romana Ecclesia, per Ecclesiā Romanam intellexit Catholicam Ecclesiam.

Hinc Longobardi ad Iustinianum aiunt, se de cultu diuino, eadem cum Romanis (hoc est cum Catholicis) sentire. *Procopius l. 3. de bello Goth.*

Arianus etiam presbyter adhæreticum Principem dixit, Si Armogastē (Catholicū virum) gladio peremeris, incipient eum Romani (hoc est Catholici) martyrem prædicare.

B Denique Beda narrat Saxonum regem Osuui quamuis educatum à Scotis, tamen veraciter intellexisse, quòd Romana esset Catholica & Apostolica Ecclesia. *Historia Anold. l. 3. c. 29.*

Nihil est aliud vnitas Ecclesiæ Catholicæ, quàm communio Romanæ Ecclesiæ.

Si visibilis vnitas Ecclesiæ, & ab vna Petri cathedra ex institutione Domini exorta est, & ea cathedra in Ecclesia Romana iam collocata sit, & per eius principalem auctoritatem omnes Episcopi & fideles Ecclesiæ idem sapiant, vnitatem spiritus in vinculo pacis retinentes; qui verò cū Romana Ecclesia minimè communicat, is profanus & schismaticus habeatur; omnino efficitur, vt nihil aliud sit vnitatem Ecclesiæ seruare, quàm cum Ecclesia Romana communicare; nihilq; aliud eandem vnitatem in hoc quidem mundo violare, quàm extra Ecclesiam Romanam colligere, hoc est docere, baptizare aut offerre. Vnde cum B. Gregorius formā præscriberet, qua schismaticus Episcopus in abiuranda hæresi vteretur, hæc adhibuit verba: Comperito diuisionis laqueo, ad vnitatem Sedis Apostolicæ reuerfus, promitto me sēper in vnitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ & communionē Romani Pontificis per omnia perman-
mansu-

manfurum. hęcibi. Ex quibus intelligi potest, quàm ingens hoc Dei beneficium fuerit, vt tantum vnitatis thesaurum ad omnium Christianorum commune bonum in Ecclesia Romana deponeret, & conseruaret. A cuius Ecclesię vnitate qui recesserunt, eos videmus aut nullam omnino, aut non nisi tristissimam religionis faciem retinere.

Quàm testata semper & nota fuerit Ecclesię Romanę fides & potestas, tum doctis, tum indoctis, tum paganis, tum hæreticis; utpote miraculo Christi confirmata.

Cap. V I I.

Decimumquartum Dei opus.

Rom. 3.



Vm omnis homo sit mendax, & plusquam ducentę hæreses in Ecclesia Christi sint exortę; & prima condendarum hæresum radix sit superbia; & maxima superbiendi occasio ex primatu arripiatur; quàm ingēs Dei opus haberi debet, quòd Ecclesia Romana humani generis consensu, omnium Ecclesiarum caput semper habita, per hos annos mille & quingentos, non solùm nouam hæresim aliquam non cōdidit, sed neq; vllam omnino ex his plurimis, quas alij condiderunt, secuta vnquam est aut amplexa?

An. D.

Paulus fidem Romanorum in vniuerso mundo annuntiarum dixit. Semel ergo Ecclesia Romana rectè credidit.

50.

Rom. 1.

An. D. Irenæus lib. 3. cap. 3. eadem viuificatricem fidem ad sua vsque tempora conseruatam in Ecclesia Romana testatur.

160.

An. D. Cyprianus Romanorū fidem ab Apostolo prædicatam, negat mutari posse, lib. 1. ep. 3.

250.

An. D. Hippolytus Ostiensis Episcopus (apud Prudentium in hymnis) hortatur suos, vt apud eos vigeat vna fides illa, quam Petri cathedra retinet.

270.

An. D. Eusebiani (apud Sozomenum lib. 3. c. 7.) litteris ad Iulium

340.

lium

A lium Papam datis, fatebantur, licet inuiti, Ecclesiam Romanam primas apud omnes ferre, vtpote quę Apostolorum schola & pietatis Metropolis iam ab initio fuisset.

Ambrosius, in ep. 81. Credatur Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana intemeratum semper custodit & seruat. An. D. 350.

Ruffinus in Symbolo: Hæresis nulla in Ecclesia vrbs Romę sumpsit exordium. An. D. 360.

Hieronymus in apol. 3. aduersus Ruffinum, ait, fidem Romanam neque præstigias recipere, neque mutari posse. An. D. 380.

Palladius in vita Chrysofomi: Theodorus Tyanæus Episcopus ad finem vsque in communionem perstitit fidelium Romanorum. An. D. 400.

B Augustinus, contra Pelagium lib. 2. c. 8. prædicandam in Domino clamat Romanorum fidem. An. D. 420.

Theodoretus ad Renatum presbyterum scribens, Romana, inquit, Sedes semper hæretici fætoris expers permanfit. An. D. 440.

Et verè vbique, ait Primasius in c. 1. ad Romanos, fides clara est Romanorum. An. D. 530.

Procopius lib. 1. de bello Gothorum: Christianę fidei disciplinam si alij vnquã, Romani præcipuè sunt venerati. An. D. 570.

Gregorius Magnus lib. 12. ep. 7. Absit nos cuiuslibet hæretici recipere sensum: & lib. 3. ep. 33. De Ecclesia B. Petri nullum dubietatis scrupulum habeatis. An. D. 600.

C Agatho in ep. ad Constantinum III. Imper. Apostolica Petri Ecclesia numquam hæreticis nouitatibus deprauata succubuit, sed illibata finem tenus manet. Luc. 22. An. D. 680.

Tarasius Patriarcha Constantinop. in actione 2. Nicænæ synodi I I. respōdit. Testimonium Pauli Apostoli, quo studium syncerę fidei Romanorum exosculatur, nos insequi par est, temerariumq; repugnare arbitramur. An. D. 790.

Nicolaus primus ad Michaelē Imperatorem, Priuilegia Ecclesię Rom. Christi ore in B. Petro firmata, perpetua sunt: ante imperium vestrum fuerunt, manebuntq; post, & quousque Christianum nomen prædicatum fuerit, An. D. 860.

rit,

rit, illa subsistere non cessabunt immutilata.

Ann. D. 830. Theodorus Cenobij Studiēsis apud Constantinopolim antistes, in dogmat. de adorat. fac. Imaginum: Tanta est Romanorum fides, vt illic infracta videatur esse petra fidei, ni mirum iuxta verbum Domini fundata.

Ann. D. 840. Vualafrius Strabus de rebus Eccles. cap. 22. Nulla per orbem Ecclesia equè vt Romana, ab omni ferè hærese concunctis retro temporibus pura permansit.

Ann. D. 900. Regino Chron. lib. 2. Romana vrbs ab omni sancta Ecclesia propter præsentiam Petri & Pauli, speciali quodam veneratur priuilegio.

Ann. D. 1050. Leo IX. in ep. ad Michaelē & Aridanum, Romanæ Ecclesię fides per Petrum super Petrum ædificata, nec hæcenus defecit, nec deficiet in sæcula. Luc. 22. E

Ann. D. 1070. Lanfrancus in lib. aduersus Berengarium: Beati Doctores si non eisdem verbis, tamen eisdem sententijs concorderiter astruxerunt, hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & vniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordat.

Ann. D. 1100. Rupertus Abbas Tuitiensis, de diuinis officiis, lib. 2. c. 22. Romana Ecclesia super Apostolicæ fidei petram, altius fundata, firmiter stetit, & tam Græciæ, quàm totius orbis hæreticos semper confutauit.

Ann. D. 1140. Bernardus ad Innocētium Papam II. in epist. 100. Oportet ad vestrum referri Apostolatū pericula quæque, & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimū refarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectū. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis.

Ann. D. 1250. Thomas de Aquino, in Opusc. de symbolo Apostolorū, Sola Ecclesia Petri semper fuit firma in fide.

Ann. D. 1330. Nicolaus de Lyra in caput Luc. 22. ad illa verba, Vt nō deficiat fides tua: Ex hoc patet fidem non deficere ad finē mundi, potissimū in Ecclesia Romana, quæ à Petro post Christum fundata est.

Ann. D. 1370. In reuelationibus S. Brigittę, lib. 7. cap. 19. Sciant Græci quòd eorum Imperium & regnum siue dominiã numquã stabunt

A stabunt secura donec ipsi cum vera humilitate & charitate Ecclesiæ, & fidei Romanæ se deuotè subiecerint. Hæc promulgata centum ferè annis sunt, antequam Græcorum regna, & imperium à Mahomete secundo Turcarum Imperatore euerfa fuissent.

Aeneas Syluius in Dialogo cōtra Bohemos, epist. 130. *Ann. D.* 1450. In his quæ sunt fidei, numquam reperta est Apostolica Sedes errasse, aut adulterinis acquieuisse dogmatibus:

Hoc ausim dicere, Romanus præsul indubitatus, nemo vmquam inuentus est falsæ doctrinæ publicus assertor.

B Ioannes Picus comes Mirandulæ, in theorem. 13. Ad Romanam Ecclesiam caput & magistram Ecclesiarum mentis acies dirigenda est: atque huic ipsi Ecclesiæ, hoc est Apostolicæ Sedi Petri, Christi vicarij, sanctissimi viri adhæserunt semper. *Ann. D.* 1500.

C Si omnium ætatum doctissimi atque optimi viri, tam præclara testimonia de Ecclesiæ Romanę sincera fide & indubitato primatu dixerunt (vt omittam quòd decies plura in eandem sententiam afferri potuissent) si eorum multi, non solùm de præteritis & præsentibus, verùm etiam de futuris temporibus locuti sunt, eaq; sicut ipsi prædixerūt, nos re ipsa euenisse conspiciamus; qua fide vel potius qua perfidia præditus est, qui suæ prudentię innixus, & à communi omnium Sanctorum sententia recedens, audet fidē Romanam vocare Antichristi doctrinam & perfidiam? *Ann. D.* 1576.

Etiam plebi Christianæ notissimum semper fuisse fidem, & auctoritatem Romanæ Ecclesiæ.

Nectantùm pastoribus & doctoribus Ecclesiæ, de quibus iam egi, sed præterea fideli tam vrbs Romę, quàm reliqui orbis Christiani vulgo & plebi notissimus semper fuit Pontificis Romani primatus. Hinc B. Cyprianus auctor est Stephano Pontifici Romano, vt non solùm ad coepiscopos in Galliis, verùm etiam ad plebem Arelatę cō-

sisentem litteras dirigit, quibus abſtento Martiano (Are. D
latenſi tunc Epifcopo, ſed ob hereſim Nouatianam depo-
nendo) alius in eius locum ſubſtituatur. Nouerat ergo &
plebs Arelatenſis primatum Romani Pötificis: nec enim
alioqui litteris eius paruiffet. Hinc etiã cum Lucius Aria-
nus cum Petro antiſtite catholico de Alexandrino epi-
ſcopatu contenderet, populus Alexandrinus intelligens
Petrum ex vrbe Roma cum Damafi Papę litteris reuer-
ſum, expulit Lucium, & Petrum in eius locum introduxit.
Vnde hoc, niſi quia populus ipſe nouerat ſummã de fidei
& Epifcoporum cauſis iudicandi poteſtatem penès Roma-
num Pontificem fuiſſe?

Socrates
hiſt. lib.
4. c. 30.

Lib. 2.
c. 10.

Narrat etiam Socrates, quamquam Conſtantius Impe- E
rator Paulum ex Eccleſia eiecerat, tamen populum Con-
ſtantinopolitanum recepiffie eundem Paulum cum litte-
ris Iulij Pontificis reuertentem etiam inuito Imperatore,
quamquam poſtea iterum per vim pulſus fuerit.

Childebertus Francorum rex monaſterio Arelati con-
dito, petiit eas res, quas eidem donauerat, Vigilij Papę au-
ctoritate firmari, atque etiam priuilegia quædam adiici.

Lib. 7. in
diſt. 2.
ep. 115.

Gregorius verò Magnus rationem huius petitionis expo-
nens, ait regem ſciuiſſe, eam Apoſtolicę Sedi reuerentiam
à fidelibus exhiberi, vt quę ſedis Apoſtolicę fuiſſent decre-
to diſpoſita, nullius deinceps illicitę uſurpationis mole-
ſtia quaterentur.

Lib. 4.
ep. 44.

Idem Gregorius alibi ſcribit in hæc verba: Nos indi-
gnos pro B. Apoſtoli Petri reuerentia, mens fidelium ve-
neratur. Ex amore quippe fidelium huius ſedis, mos vltra
meritum erupit, vt cum eorum corpora humanda defe-
runtur, Dalmaticas pro ſanctitatis reuerentia ſubintret
partiendas populus ſcindat. hæc ille. An valde celebris pri-
matus ille non fuit, quem plebs diuinorum myſteriorum
ſæpe ignara, in B. Petri honorem tam apertè venerata eſt?
Quod nunc de plebe Romana, Gallica, & Alexandrina di-
ximus in Gręcanica etiam plebe locum habuiſſe iam de-
monſtrabimus.

Græ.

A Gręcanicę plebis fidem de Romani Pontificis
auctoritate Deum etiam miracu-
lo confirmaffe.

Dum Agapetus ſanctę Romanę Eccleſię Pontifex, in Lib. dia-
quit B. Gregorius, ad Iuſtinianum principem proficiſce- log. 3. c.
retur in Gręciarum partibus, propinqui cuiuſdam muti, & 3.
claudi obtulerunt eum Agapeto curandum, dicentes ſe in
virtute Dei ex auctoritate Petri fixam illius ſpem habere.
hęc ille. Tam notum igitur etiam olim orbi Chriſtiano
fuit Pontificem Romanum, non ſolùm Petri ſucceſſorem
eſſe, verùm & ob eam rem auctoritate quadam excellere,
vt plebei homines in fide huius auctoritatis, quam Roma-
nus Pontifex à Petro acceptam habebat, firmiter confide-
rent mutum & claudum à Romano Pontifice ſanitati ſuę
reſtituendum eſſe.

B

Dicent, opinor Proteſtantes, hanc plebis non tam fidē
fuiſſe quàm ſuperſtitionem. Quod vt fruſtra ſe dicere in-
telligant, meminerint Deum, qui ſuperſtitiones impias
non approbat, multoq; minus illuſtrat, & teſtimonio ſuo
confirmat, huius plebis fidem probaſſe, atque ita probaſſe,
vt eam admirabili quodam opere confirmarit. Vnde Gre-
gorius in eadem hiſtoria explicanda pergens, Protinus,
inquit, venerandus vir (nempe Agapetus Pontifex Roma-
nus) orationi incubuit, & Miſſarum ſolemnia exorſus, ſa-
crificium in conſpectu Dei omnipotentis immolauit.
Quo peractō ab Altari exiens, claudi manum tenuit, atque
aſſiſtente & aſpiciente populo, eum mox à terra in pro-
priis grefſibus erexit. Cumq; ei Dominicum corpus in os
mitteret, illa diu muta ad loquendum, lingua ſoluta eſt. Mi-
rati omnes flere præ gaudio cœperunt, eorumq; gentes il-
lico metus & reuerentia inuaſit, cum videlicet cernerent
quid Agapetus facere in virtute Domini ex adiutorio Pe-
tri potuiſſet. hæc Gregorius.

C

Si petita eſt huic mutō & claudō ſanitas per auctorita-
tem

Aa 2

tem

Ibidem.

tem Petri, & Pontifex Romanus Petri se successorem cognoscens non recusauit, sed accepit condicionem, si denique Deus qui solus facit mirabilia, quod à plebe fidei petebatur ministerio Pontificis Romani concessit, liquidò apparet, Deum opere ipso edixisse Pontificem Romanum re vera Petri auctoritatem in Ecclesia sua tenere. Si hominum testimonia Protestantes reijciunt, numquid nec Dei testimoniū, quo Romanæ Ecclesiæ primatus tam insigniter commendatur, accepturi sunt?

Etiam Paganis notum fuisse Romani Pontificis Primatum.

Quid, quòd nec Pagani quidem Romani Pontificis primatum ignorabant, sed eum perspicuè confitebantur? *Euseb. l. 7. c. 24.* Cum Paulus Samosatenus in concilio Antiocheno de honore deiectus ex episcopali domo exire nollet, Aurelianus Imperator præcepit, vt domus Ecclesiæ illis tribueretur, quibus Christiani Italiæ & vrbs Romæ Episcopi per litteras tribuendam præscriberent. Sciebat enim etiã si Paganus rerum Christianarum summam moderationē penès Episcopos vrbs Romæ esse, cui solebant Italiæ Episcopi in concilio affidere.

Histor. l. 15. Ammianus Marcellinus etiã ipse Paganus narrat Constantium Athanasio semper infestum, licèt eum sciret synodi cuiusdam decreto ab Episcopatu depositum; tamen cupiuisse id decretum à Liberio Pontifice Romano firmari ob auctoritatem, qua, inquit, potiores æternæ vrbs Episcopi.

Epist. 62. Hieronymus refert idolorum cultorem solitum esse Papæ Damaso ludètem dicere, Facite me Romanæ vrbs Episcopum, & ero protinus Christianus.

M. Paulus ven. lib. 1. de orient. reg. Magnus Cham Cublai vocatus, cum cuperet fidē Christianam suis sapientibus persuaderi, ad Papam misit ea de re, tamquam ad caput fidei Christianæ. Imò quicumque Barbari cum Christianis aut de fidei, aut de fœderis negotio

A tio acturi, quocum potius agunt, quàm cum Romano Pontifice?

Armeni non ne ab Eugenio Quarto regulam fidei petierunt? *In fine cõ cil. Florent.*

Nicolai regis Perfarum, Coscopæ Ducis Georgianæ, Manuethis Assemberch Soldani Mesopotamiæ, Morathi Verbrecht in Armenia Domini oratores, & Nuntij fœdus cõtra Turcas vnà cum Christianis inuituri, ad quem potius accesserunt quàm ad Christianorum caput Romanum Pontificem Pium secundum? *In oper. Syl. Aeneæ epist. 376.*

B Claudius Aethiopiæ rex, cū vellet vnã eandemq; fidē nobiscum profiteri, nonne Damianum à Goes ad Ioannem Tertium Lusitanæ Regem misit, vt per eum aditus ei ad Paulum Tertium Pontificem Romanum pateret? *Vide epistolã Damiani à Goes ad Paulum Tertium.*

Quis enim qui de Christo vnquam audiuit, ignorat Vicarium eius esse Pontificem Romanum? qui ad hoc ipsum in tanto eminente candelabro constitutus est, vt non solum qui sunt in domo Dei, sed etiam qui eam domum ingredi cupiunt, lucem videant, qua ad domum Dei deduci possint. *Luc. 8.*

Etiam hæreticos primatum Romani Pontificis agnouisse.

C Hæretici, quibus nihil ferè magis insensatum esse solet, tamen Ecclesiæ Romanæ primatum non videre tantum, sed & confiteri sæpissimè coacti sunt.

Cataphryges, qui iuxta Montani hæresim, Priscæ ac Maximillæ prophetias sectabantur, cum superstitioni suæ à multis fidelibus viris ac præsertim à Zotico & Iuliano Episcopis vehementer contradiceretur, à Zepherino Pontifice Romano petierunt, vt approbata ipsorum noua doctrina, pacis & communionis suæ litteras illis daret: non sanè ob aliud, quàm quòd sciebat se aduersus quoscumque Episcopos in æternum securos fore, si primi Episcopi communionem impetrassent. At Pontifex, licèt penè ab illis dece-

Tertu. in li. aduersus Praxeam. deceptus, litteras pacis iam emissas (si Tertulliano in sua ip-
sius heresi credendum est) reuocauit. Id quidem constat quòd in Pontificis Romani communionem recepti non sunt.

Li. 2. c. 9 Eusebius Nicomediensis iam Cōstantinopolim translatus, licet Arianus, tamen legatum (vt refert Socrates) ad Iulium Pontificem Romanum misit oratum, vt ipse in causa Athanasij (quem Gregorius Arianus ex Alexandria iam expulerat) iudex esse vellet, litisque diiudicationem ad se transferret. Vnde Athanasius de se ipso loquens, Eusebiana, ait, Romam contra Athanasium scribunt: Episcopus autem Romanus Iulius synodum fieri iussit vbicunq; vellemus, vt tutò & crimina obiicerent, & inuicem si obiecta refutarent. Id enim eorum legati, cum se vinci animaduertent, postularunt. hæc Athanasius.

Socrates li. 4. c. 11 Macedoniani nondū diuulgato quē tunc occultabant contra Spiritus sancti diuinitatem errore, ad Liberij Pontificis Romani communionem velut ad asylum confugerunt, abdicato Arianismi quo prius tenebantur veneno, ac se totos iudicio Papæ submittentem. Liberius in eorum gratiam ad orientis Episcopos litteras dedit, de quibus in concilio Tyauis habito, Gregorius Nazianzenus, & alij catholici orientis Episcopi magnam ceperunt letitiam. At eandem hæresim postea detectam Ecclesia Romana condemnauit in concilio Constantinopolitano.

Leo ep. 7 Eutyches ad Sedem Apostolicam, ait Magnus Leo, per libellum doloris sui querimoniam misit, cuius heresim idē Leo in concilio Chalcedonensi damnauit.

August. cont. Pelag. & Cælestin lib. 2. c. 7 Cælestius, qui hæresim Pelagianam propugnabat, non est ausus (vt Augustini verbis utar) B. Papæ Innocentij litteris obistere, imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit.

Anthiuius Patriarcha Cōstantinopolitanus (vt habetur in synodo Constantinopolitana secunda, Act. 4.) deceptilibus rationibus vsus, promisit se omnia facere quęcunq; summus Pontifex magnę Sedis Apostolicę decerne-

ret,

A ret, & ad sanctissimos Patriarchas scripsit, se sequi per omnia Sedem Apostolicam.

Berēgarius quoties hæresim suam ad Sedis Apostolicę iudicium abiurauit? Id quidem Guitmundus in lib. de sacramento altaris copiosè exponit.

Schismatici Græci decem vicibus, & eò amplius Ecclesię Romanę recōciliati sunt: de quibus S. Antoninus Florentię Archiepiscopus latissimè agit.

Valdenses seu pauperes de Lugduno, inquit Abbas Vvsspergensis, qui eodem ipso tempore vixit, petebant sedem suam à Sede Apostolica confirmari & priuilegiari.

Vviclesus ad Vrbanum Papam sextum scripsit in hæc verba: Romanus Pontifex cum summus Christi Vicarius in terris sit, fidem meam si sit orthodoxa confirmabit, etsi sit erronea emendabit. & quę sequuntur.

Lutherus anno altero ab incepto schismate suo ad Papam Leonem scribens, Prostratum me, inquit, pedibus suę Beatitudinis offero cum omnibus quæ sum & habeo: viuifica, occide, voca reuoca, approba reproba, vocem tuam, vocem Christi in te præsentis & loquentis agnoscam.

Primatus igitur Pōtificis Romani tam perspicuus omni ætate fuit, vt hæretici nihil ferè antiquius habuerint, quàm vt sua dogmata Sedi Apostolicę probarentur. Sed cum res pro illorum voto non succederet, tunc demū tribunal à quo ipsorū hæreses damnabantur, oppugnare cœperunt.

Ex Donati & Cæciliani vera historia, quæ cum statu quęstionum inde ortarum discutitur, primatus Papæ vehementer confirmatur.

Aduersariorum calumnijs etiam obiter interpositis respondendum hoc in loco duxi. Vacante igitur apud Carthaginem Episcopali sede, Cæcilianus more maiorum ordinatus est illius Ecclesię Episcopus. Quod cum Donatus inui-

*In hist. p. 3. tit. 22. c. 13.**In Chro. an. D. 1212.**Apud Lozum in commēt.**Tom. 1. Lutheri.*

inuidiæ spiritu ductus indignè ferret, Lucillæ potentis femine opibus & factione adiutus, Maiorinū ordinauit eiusdem loci Episcopum. Cęcilianum verò in septuaginta Episcoporum Africę concilio absentem, & ob communionē Romani Pontificis inimicorum multitudinem parum curantem, damnauit. Hinc ad Constantinum Imperatorem itum esse inter omnes constat. Sed Protestantes falsò aiunt, Cęcilianum ad Constantinum prouocasse; tāquam vir catholicus causam Episcopalem Imperatoris iudicio subiecisset. Non enim Cęcilianus antistes catholicus, sed Donatus hæreticus ad Imperatorem confugit. Soli hæretici sunt qui causis Ecclesiasticis reges præficiunt: Donatistas, inquit Augustinus, magis hinc arguimus, quia apud Imperatorem vtrò Cęcilianum accusarunt, quem primò vtique apud collegas transmarinos conuincere debuerāt. hæc ille. Non ergo Cęcilianus Donatistas ad Constantinum traxit, sed Donatistæ Cęcilianum apud Cæsarem vtrò accusarunt. vtrò inquam: Cęcilianus verò (ait alibi Augustinus) non curauit conspirantem inimicorum multitudinem, eo quòd se videret & Romanę Ecclesię, in qua semper Apostolicę cathedrę viguit principatus, & ceteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur. Ex his Augustini verbis intelligimus tū cathedrę Apostolicę principatum semper in Ecclesia Romana viguisse, tum Cęcilianum fuisse paratum apud Pontificem Romanum & eius collegas, non item apud Imperatorem causam suam dicere. Imò & Constantini litteras quas paulò post subijciam, testantur, Donatistas apud Anilinum Africę proconsulem reum fecisse Cęcilianum, vnde res ad Imperatorem deducta sit. Sed in historia pergamus. Constantinus Imperator non à Cęciliano catholico Episcopo, sed ab hæretico Donato in causa Ecclesiastica electus iudex, non (vt Protestantibus videtur) suæ potestatis iure, sed (cum Cęcilianus alijsq; Catholici Antistites nõ

repu-

Prima
questio-
nis sta-
tus, et er-
ror Pro-
testantiũ
Roma-
narchię.
lib. 2. c. 4
Epist. 48

Ep. 162.

Apud
Euseb. li.
10. c. 5.
Secunda
questio-
nis stat^{us},
& secun-
dus Pro-
testantiũ
error.

repugnarēt) ex arbitrij æquitate tres ex Gallia, quindecim ex Italia episcopos nominauit, qui de cõtrouersia cognoscerent. Testatur id Augustinus his verbis: Arbitrio Constantini à iudicibus episcopis causa cognita est. Ecce arbitrium Constantini fuit, iudicium verò episcoporum. Quin & alibi Augustinus de eadem re scribens, Iese Imperator, inquit, longè ordinatius egit, vt episcoporū causam ad se delatam ad episcopos mitteret. Cum longè ordinatius factum Augustinus asserit, vt Imperator episcoporum causam ab hæreticis ad se delatam ad episcopos mitteret, vtiq; non nisi valdè inordinatè eandem causam ab ipso Imperatore cognosci potuisse demonstrat. Vnde etiam alibi scribit: Quia Constantinus non est ausus de causa episcopi iudicare, eam discutiendam atque finiendam episcopis delegauit. hæc Augustinus. Et quem obsecro in causa episcoporum iudicanda timuisset Imperator, nisi Deum? & Deum cur timuisset, nisi quia Deus episcoporum causas à solis Episcopis, non item ab Imperatoribus cognosci debere statuisset? quod quidem ita se habuisse ex ipsis Constantini litteris ad Pontificem Romanum datis abundè constare potest.

Constantinus Augustus Miltiadæ Episcopo Romano, & Marco. S.

Quoniam eiusmodi litteræ complures ab Anilino clarissimo Africę Proconsule ad me missę sunt, in quibus constat Cęcilianum Episcopum ciuitatis Carthaginensiu à quibusdam collegis suis in Africam ordinatis Episcopis, multis de rebus in crimen vocari; & illud permolestū mihi videtur, vt in his prouincijs, quas diuina prouidentia vtrò, ac sua sponte sub meum subiunxerit Imperium, & in illis locis, in quibus crebra hominum frequentia versatur, non modò multitudo ad deteriora deflectat, & distrahatur dissidijs, sed Episcopi etiam discordiam inter se ipsi exerceant, visum est mihi, vt idem Cęcilianus cum

B b

decem

Cont. E-
pist. Par-
men. lib.
1. c. 5.
Epist. 48

Ep. 166

Nota Cę-
cilianum
in crimē
uocari et
non accu-
satozem
esse.

*Cecilia-
nus fit
reus.* decem Episcopis, qui illum reum facere videatur, & decē
Dei lex. aliis, quos ipse suę litis diiudicationi necessarios existima-
uerit Romam nauigio trajiciat, vt ibi coram vobis, & Re-
thecio etiam & Materno & Marino collegis vestris (quos
ea de causa Romam maturare iusserim) possit audiri, sicut
sanctissima Dei lex, vt i nostis, postulat. Atque vt de omni-
bus hisce plenissimam accuratissimamq; notitiam possitis
habere, exemplaria litterarum ad me ab Anilino missarū,
litteris meis subscripta, ad vestros prædictos collegas misi.
Quas cum vestra grauitas perlegerit, exquisitè pōderabit,
quomodo, quauē ratione lis illa, quam supra diximus, dili-
*Lis absol-
uatur.* gentissimè, rectissimeq; dirimatur, & ex iuris præscripto
tandem aliquando absoluatur: quando quidem illud vestrū
studium minimè latet, me tantam reuerentiam sanctę &
catholicę Ecclesię tribuere, vt velim vos nullum genera-
le schisma, nullam discordiam in vllō loco omninō relin-
quere. Summa magni Dei maiestas vos honoratissimi vi-
ri multis annis conseruet. hæc Constantinus. In his Con-
stantini litteris tria in primis animaduertēda vidētur, quo-
rum illud est primum, quod Cęcilianus non accusasse, ve-
rum accusatus esse dicitur: alterum, quod Imperator fate-
tur Dei legem postulare, vt Cęciliani Episcopi causa co-
ram Episcopis audiatur. tertium verò quod eandem cau-
sam ab Episcopis dirimi cupit, & absolui. Quāquam enim
Constantinus operam suam in Episcopis conuocandis, &
sumptu illis exhibendo præbeat, non tamen aut sibi diiudi-
cationem sacrę causę vendicat, aut, vt ad se iterum prouo-
cetur expectat.

*Tertig
quæstiois
stat us et
tertius
Protestā
tium er-
ror.
August.
cont. in
liani, li.
6.2.* Inter episcopos iudices Pontifex Romanus confedit,
non tamquam vnus ex multis (vt Protestantibus videtur)
sed velut primus omnium, & præses. Vnde Imperator cū
ad Episcopum Romanum litteras suas potissimū dedit,
tum vt ceteri iudices ad urbem Romam accederent præ-
scripsit. Deinde Augustinus ait: Melciadæ Apostolicę Se-
dis Episcopo præsidente, Reticius cum aliis iudex inter-
fuit. Ceteri ergo Episcopi interfuerunt, at Romanus Pon-
tifex

A tifex etiam præfuit. Ex quo etiam alibi Augustinus ait, Ar-
bitrio Constantini à iudicibus Episcopis causa cognita
est, quibus præfuit Melciades Romanæ vrbis Episcopus.
quàm aptè Augustinus suum vniciq; tribuit? Arbitrium
interposuit Imperator, iudicarunt Episcopi, præfuit Pon-
tifex Romanus, non iudicauit Imperator de causa Episco-
pi, ac multo minus præfuit, sed tantum ex bono & æquo
arbitratus est, causam illam à plurium gentium & lingua-
rum Episcopis debere cognosci, vt ne occasio querelæ
Donatistis præberetur. Episcopi verò iudicarūt tamquam
de causa ad ipsorum cognitionem spectante, non item
præfuerunt; quia non omnes erant æquali potestate præ-
diti. Romanus autem Pontifex arbitratus est hoc idem
B quod Imperator, iudicauit cum Episcopis, præfuit solus.

Itaque Opratus Mileuitanus Episcopus Augustino ali-
quantulum antiquior, Episcopi Romani prærogatiuam
nec ipse tacens, iudicium, inquit, ab eodem Melciade his
verbis clausum est, Cęcilianum suę communioni Eccle-
siasticæ integro statu retinendum meritò esse censeo. Iu-
dicant ceteri, solus Papa iudicium claudit. Assentitur Opta-
to Augustinus, dicens: Qualis ipsius B. Melciadis vltima
est prolata sententia? quàm innocens? quàm integra? qui pa-
ratus erat cōmunitatorias litteras mittere etiam ijs, quos à
Maiorino ordinatos esse constaret. & quæ sequuntur.

C Quid vlli hic Episcopo cum Romano Papa commune?
solus in sua Ecclesia iudicat: ceteri verò ad eum accedunt:
solus præsidet, solus præest, solus iudicium claudit, solus
vltimam sententiam dicit; quodque his omnibus longè
maius est, solus potestatem habet litteras communicato-
rias etiam schismaticis mittendi (quales erant Episcopi à
Maiorino ordinati) quas cum receperint, iam deinceps ob
Pontificis Romani communionem schismatici esse desi-
nunt. Numquam enim ab instituta primum Christiana Ec-
clesia vsque in hodiernum diem schismaticus est habitus,
cui Pōtifex Romanus litteras communicatorias dedisset:
id quod tam in Eustathio Sebasteę in Armenia, quàm in

*Cōt. Epi.
Parmen.
lib. 1. c. 5*

*Cōt. Par-
men. l. 1.*

Ep. 162.

*Vide Ba-
siliū ep.
74.*

Marcello Ancyræ Episcopo, ac infinitis alijs alioqui non parum suspectis ita euenisse suo loco planum fit.

Postremò quidnam hoc est, quòd Cæcilianus à septuaginta Episcoporum synodo in Africa condemnatus, octodecim Episcoporum iudicio, suę communioni Ecclesiasticæ integro statu retinendus ab Episcopo Romano pronuntiatur, nisi quia maior est horum octodecim, quàm septuaginta illorum auctoritas? At vnde hoc? nisi quia Episcopus Romanus caput Ecclesiasticę communionis inter hos octodecim præfedit? Multum quidem valet Synodus Episcopalis, sed ea cui Pontifex Romanus suffragatur; sin ille in alio concilio etiam longè minoris numeri contradicat: pluris valet capituli contradicō, quàm reliqui totius corporis assensus.

In Ruffini apol. 3. Hinc factum est, vt cum Ruffinus dixisset, confessionē suam ab omnibus Italiæ Episcopis esse susceptam; Hieronymus respōderit, Miror quomodo probauerit Italia quod Roma contempserit, Episcopi susceperint quod fides Apostolica condemnauit.

Cæciliano ab Episcopis absoluto, Donatistę nihilo magis olim (quàm nunc Lutherani & Calvinistę) Episcoporum iudicio concedentes; ab Episcopis ludicibus prouocant, idq; (vt Protestantibus videtur) ad Cæsarem. Cęsar verò causam illam iterum ab alijs Episcopis Arelatę iudicandum curauit.

Quarta question. status, & quartus Protestantium error. Roman. lib. 2. c. 4 Hic seriò quidem, sed ante victoriam triumphant Protestantibus, quòd & Cęsar tribunal, & Arelatensis Episcopi auctoritatem opinentur Pont. Romani iudicio, & potestati ante positam fuisse.

Constantinus, inquiunt, hanc vltimam appellationis instantiam Arelatensi Episcopo mandauit, vt is sua vice, nulla obstante appellatione, causam definiret.

O plenos omni dolo, & omni fallacia, vbi reperistis verbum illud, sua vice, in Constantini mandato? Deinde cur nunc additis, nulla obstante appellatione? perinde quasi ab illo priore Episcopali iudicio, in quo præfedit Pontifex

Roma-

A Romanus, appellari Constantinus aut voluerit aut saltem permiserit. Imò in ijs litteris, quas Constantinus de ea re ad Papam Melciadem dedit, nominatim expressum est, causam ab illis Episcopis non modò iudicandam, sed & absoluendam. Itaq; cum nunc demum causam appellatione remota finiendam, dicitis, insinuanis hoc posterius mādātum fuisse illo priore efficacius & strictius, in quo vehementer decepti estis. Ac priores quidem Constantini litteras iam ante produximus. nunc & sequentes quatenus saltem necesse est, producemus.

B Constantinus Augustus Chresto Syracusanorum Episcopo. S.

Iam dudum scripsi, vt missis à Gallia quibusdam Episcopis, quinetiam ex Africa alijs aduersarum partium accersitis, & Episcopo Romano etiam coram, hoc dissensionis quicquid videatur, possit illis præsentibus, accurata diiudicatione in rectam viam reduci. Verùm quoniam adhuc quidam graues simultates gerere non desinunt, dum nolūt concilij iudicio iam factò acquiescere, dumq; definitè affirmant paucos admodum fuisse, qui suas ipsorum sententias palam in concilio proferebant, ijq; ipsi (cum non omnia, quę ante quæri debuerant, accuratè quęsita essent) ad iudicium dandum festinabant; vnde factum sit, vt & ipsi nefariè discordent, & alijs ansam ludibrij præstent: idcirco mihi sedulò prouidendum erat, vt istud quod post iudiciū antea pronuntiatum componi debuerat, etiam iam tandem multis præsentibus Episcopis exitum & finem consequatur. & quę sequuntur. hæc enim est summa rei.

Nullum hic verbum est de eo, quòd Episcopi vice Constantini cognoscant, aut quòd appellatione remota causam, decidere debuerint.

Licet enim id & nunc & antea Constantinus maximè optarit, tamen nihil eiusmodi addidit, propterea quòd is modus loquendi non nisi eius iudicij proprius sit, in quo

ad

Euseb. li.

10. c. 51

lib.

3120

3

Euseb. li.

10. c. 5.

Factum

iudicium

Schismaticorum

querela.

Componi

debuerat

ad eum, qui iudices dat, appellari & possit & soleat. Ceterum in causis Ecclesiasticis numquam est auditum, quod à iudicibus Episcopis appellatum sit ad terrenum regem, aut Imperatorem, de quo ante satis plenè disputauimus. In prioribus Constantini litteris legimus dictum esse, lis illa ex iuris præscripto tandem aliquando absoluat: in posterioribus autem, iam tandem exitum consequatur. An hæc similia non sunt? In hoc solo differunt sequentes à prioribus, quod hæc sequentes tum causas interpositæ à Donato appellationis referant (nempe quod Romæ & pauci Episcopi, & nimium celeriter iudicabant) tum plures Episcopos ad causam Arelatæ iudicandam conuocent. Quod verò ad nostram quæstionem attinet, non solum dico Donatum iniuste appellasse, verum etiam Constantinum sensisse, quod Donatus ab Episcopali iudicio appellare non debuerit. Cum enim appellatio Donatistarum ad Imperatoris notitiam peruenisset, Imperator (auctore Optato) exclamauit, O rabida furoris audacia: sicut in gentiliū causis fieri solet, appellationem interposuerunt.

Quid aliud hæc verba significant, quàm non ut Gentiliū causis ad Imperatorem appellari solet, sic etiam in Ecclesiasticis causis appellationem ad Cæsarem interponi iure Ecclesiastico posse?

Quærent à me Protestantes hoc in loco, qui factum sit, ut Constantinus si ad eum appellari non potuit, iudices appellationis dederit?

Respondet huic quæstioni Augustinus. An testem locupletiore postulant? Is verò ait, Utinam ut Constantinus Donatistis cessit, ut de illa causa post Episcopos iudicaret, sic & illi aliquando cederent veritati. Constantinus igitur non iure aliquo diuino, aut Ecclesiastico nouos iudices dedit, sed importunis Donatistarum clamoribus cessit, cupiens (ut ex literis eius ad Chrestum datis abundè liquet) litibus Episcoporum, & scandalo grauissimo, quod inde ortum erat, finem imponi. nam quod dicant iniuriam Pontifici Romano, & collegis eius factam esse, si Constantinus

De uisibil. Monarch. li. 2.

Lib. 1. cont. Pamen.

Obiectio.

Ep. 162.

A tinus cum iure non poterat, nouos iudices delegauit: ad hoc etiam respondet idem Augustinus cum ait, Cessit Donatistis Constantinus, ut de illa causa post Episcopos iudicaret, à sanctis Antistibus veniam postea petiturus. hæc Augustinus; de quo autem uenia est petenda, hoc iniuste factum defendi non potest. An confingo quicquam? an omnium eorum quæ dixi grauissimos testes non produco Eusebiū, Optatum, Augustinum?

Protestantes verò fingunt Cæcilianum ad Imperatorem prouocasse: fingunt Constantinum de causa Episcoporum suæ potestatis iure iudicasse, cum is id facere ausus non sit, tantumque; velut arbiter se interposuerit: fingunt Romani Pontificis nullam fuisse in iudicio illo prærogatiuam, cum ille & præfuerit, & iudicium clausisset, & communicatorias litteras Donatistis, si pacem colerent, obtulerit. fingunt Donatistas ritè ad Constantinum velut legitimum appellationis iudicem prouocasse, cum tamen Constantinus id rabida furoris audacia susceptum dicat: fingunt Constantinum iussisse Episcopos causam istam cognoscere sua vice, cum nihil tale dixerit: fingunt eundem Constantinum in secundis litteris causam delegasse appellatione remota: cum de appellatione ad ipsum interponenda, numquam cogitaret; quæ verè nulla potuit ad eum interponi. fingunt Arelatensem Episcopum Romano esse antepositum: quod quam longè ab omni veritate absit, suo loco apparebit. Id unum absque fictione sibi sumunt, ut in hac tota historia idem quod Donatistis placuit, sibi quoque placere non dissimulent. Illi accusarunt Episcopum Cæcilianum apud Cæsarem, hoc ipsis quoque; (ut videlicet Episcopi apud regum tribunalia rei fiant) vehementer probatur. Illi ab Episcopi Romani iudicio ad Cæsarem prouocarunt; id optimè factum isti defendunt. Illi cum essent hæretici & schismatici, perierunt in sua pertinaci obstinatione; miror istos quorum imitantur facta, eorum exitus non perhorrescere.

Duæ res adhuc supersunt in hac quidem causa, quæ memoriæ commendentur dignæ, quarum prior est, quod Constantinus

Errores Protestantium:

1601

1602

Protestantes Donatistarum similes.

Dstantinus Imperator, cui Protestantes in causā Episcoporum cognoscenda, & iudicanda primas deferunt, iam tunc in fide rudis & catechumenus tantū erat. Nam siue Constantinus à Siluestro Papa, (vt rectè tradit Romana Ecclesia) seu ab Eusebio Nicomediensi (vt minus rectè scribit Eusebius Cæsariensis) baptismo Christi perfusus fuerit, vtrouis modo constat eum non fuisse baptizatum, quando Papa Melciade adhuc viuente (cui Siluester in Pontificatu successit) de causā Donati iudices dedit. *Gal. 3. Ephes. 5. Ioan. 2.* Ei ergo qui nondum induerat Christū (quod in baptismo fit; vt Apostolus ait) qui nondum lauacro aquæ in verbo vitæ mundatus erat, qui nondum ita crediderat in Christum, vt Christus ei se ipsum crederet, qui neq; aspicere quidem Christi mysteria nedum percipere poterat, ei viro doctissimi Protestantes committunt causas Episcopales diiudicandas, vt videlicet de pastore suo nondum cōceptus agnus, de patre suo nec adhuc renatus filius, de magistro & doctore suo tenellus adhuc auditor & discipulus, deniq; de luce mundi (hoc enim est Episcopus) is qui nedum est à tenebris erectus, in causa grauissima cognoscat, & sententiam ferat. *Matt. 5.* Alterum quod animaduertendum dixi, illud est, Constantinum siue iam baptizatum (quod magis creditur) seu postea in fide melius instructum (quod certissimè constat) in synodo Nicæna palam ad Episcopos dixisse, Deus vos cōstituit sacerdotes, & potestati vobis dedit de nobis quoq; iudicandi, & ideo nos à vobis rectè iudicamur. *vide Rufinum & cles. hist. l. 1. c. 2.*

Vos autem non potestis ab hominibus iudicari. Atque hæc sint dicta de causa Donati & Cæciliani.

nunc ad institutum orationis cursum reuertamur.

DE

DE CLAVE DAVID

LIBER QVARTVS.

Excellentem Synodorum Oecumenicarum auctoritatem adeò penitus Episcopo Romano semper subiectam fuisse atque esse, vt extra Ecclesiam Romanam nullæ vniquam celebrari potuerint. Cap. I.

B Decimumquartum Dei opus.



Dostquam genus humanum, quod vnus labij & sermonum eorumdem prius fuerat in septuaginta duas linguas & gentes apud turrim Babel diuisum, & confusum erat, infelices filij Noe non solum in terras nouas, verū etiam in mores, leges, & Deos nouos quotidie magis magisq; discedebant. Et cū in vnus Hebri familia vetus lingua & vera fides præcipuè conseruata esset, nō ita multo post etiam illius posterii Diis alienis seruire cœperunt. *Gen. 11. Iosue 24.*

Rursus autem cum Deus ex Hebri posteritate vnum Abraham elegisset, quem in gentem magnam & fidelem proueheret: ab illius etiam fide recessit Ismaelis posteritas, vt & à fide Isaaci, Esau, & Idumæi, atque à fide Iacobi, decem tribus sub Ieroboam rege, ac demū sub ipso Christi aduentu à fide David Iudæi penè omnes, nisi quòd reliquæ saluæ factę sunt. *Gen. 12. 18. & 22. 4. Reg. 17. Rom. 9.*

Cum ergo res humanæ in tam misero statu essent, ac tã longè ab illa vnitatem, quam in primo parente suo habuerant

rant, recessissēt, Iesus pastor bonus, qui venit in mundum, **D**
Ioan. 11 vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum, tulit
Matt. 10 reliquias fidelium Iudæorum, qui tamquam pauci racemi
 post finitam vindemiam remanserunt; & ex illis elegit
 primū duodecim Apostolos, qui duodecim tribus Isra-
Luc. 10. el per vniuersum orbem dispersas, in vnam Christi fidem,
 & Ecclesiam colligerent; deinde & alios septuagintaduos
Act. 2. designauit, qui totidem primas gentes & linguas apud Ba-
 bel dispersas, in vnum Christi ouile congregarent; ijsque
 omnibus donum linguarum donauit, ne prior illa lingua-
 rū diuisio, fidei & animorum vnitati aliquod impedi-
 tum afferret. Et illi quidem profecti prædicauerunt vbiq̄,
Marc. 16 constituentes presbyteros per singulas Ecclesias, præpo- **E**
Act. 14. litis etiam alicubi Episcopis, qui ea quæ deessent corri-
Tit. 1. gerent.

Post mortem verò Apostolorum, nullus omnino Epi-
 scopus tantoperè huic Apostolico muneri vacauit, ac Ro-
 manus; id quod iam ante planum feci.

Religione igitur Christiana ad hunc modum propaga-
Act. 4 ta, & per annos ferè trecentos constituta, placuit Deo, vt fi-
 lij non solum Israel, sed etiam Abrahæ & Noe, quorum
 iam cor vnum & anima vna propter vnam Christi fidem
 erat, etiam corpore tenus in vnum quodammodo redirēt,
 vt omnibus constaret verum Noe in mūdum venisse, qui **F**
Gen. 5. consolaretur nos ab operibus, & laboribus manuum no-
*Gen. 3.*strarum in terra, cui maledixit Dominus. Is ergo Romanū
Damas. 7 Imperatorem Constantinum per Episcopi Romani Silue-
*Pōti. Au*stri operam, & ministerium ad fidem suam conuertens, de
gust. in consensu Romani Episcopi, & aliorum Dei sacerdotum,
Ioan tra per Imperatoris Constantini litteras, Episcopos (velut ca-
sta 7. pita familiarum Noe, quæ reliquam multitudinem in se
 continebant & adunabant) ex toto habitabili orbe, in
Ruffin. 1. orientem vnde primū dispersio fieri cœpta est, ad Oecu-
*1. hist.*menicam Synodum celebrandam, admirabili consilio &
 opere conuocauit. Tunc ad litteram impletum cerneba-
 tur, quod Deus olim per Isaiam ad Ecclesiam suam dixe-
 rat,

rat,

A rat, Ab oriente adducam semen tuum, & ab occidente cō- **Esa. 43.**
 gregabo te; dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere,
 affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis
 terræ. Omnes gentes congregatę sunt simul, & collectę
 sunt tribus. Hęc dicit Dominus, qui dedit in mari viam, &
 in aquis torrentibus semitam: qui datus est in foedus popu-
 li, vt suscitaret terram, & possideret hereditates dissipatas. **Esa. 49.**
 & sciet omnis caro, quia ego Dominus saluans te, & redē-
 ptor tuus fortis Iacob. Tunc impletum apparuit, quod So-
 phonias prædixit, Reddam populis labium electum, vt in-
 uocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero **Sopho. 3.**
 vno. Tunc Symbolo Nicenę fidei condito, non amplius
B confusionis linguarum, sed vnitatis animorum turris edifi-
 cabatur. Hoc est illud opus Dei (admirabilius ne dicam, an
 amabilius?) quod Christus voluit certissimum incarnatio-
 nis suę, reconciliationis nostrę, adunationis gentium, **Ioan. 10.**
 communionis Catholicę argumentum, testimonium, pi-
 gnus existere. Nihil enim simile ab orbe condito visum,
 auditum, excogitatum fuit. Congregabantur quidem ali-
 quot nationes Græcorū ad Olympica certamina, sed quàm
 pauca gentes? & quanto pauciores linguę? ad quàm ludi-
 crum & inutile spectaculum? At in synodo Oecumenica
 non ex vna particula Europę (vt in olympicis) sed ex toto
 habitabili orbe, non pauci principes huius mundi, sed mul-
C ti principes Ecclesiarum Dei, non ex pacto humano, sed
 ex beneplacito Spiritus sancti conueniunt; non ad ludos
 faciendos, sed ad æternam salutem agnis & ouibus Chri-
 sti ministrandam. Hoc tam inauditum, excellens & saluta-
 re Dei opus, dæmon vidit, & inuidit; impedire non po-
 tuit, labefactare voluit, heretico Imperatori Constantio
 persuasit, vt & ipse Episcopos ad Arij hæresim stabiliendā
 Ariminum conuocaret. Imperator id fecit, conuenerunt
 plures quàm Niceę, dæmon affuit, Arianismum clam sug-
 gessit, perplexa quæstione plurimos Episcopos decepit; se
 omni ratione vicisse conclusit. Nam aut Arij hæresim iam
 in Oecumenica synodo corroboratam Catholici dogma-
 tis

Gen. 3. **D** tis vires obtenturam, aut certè omnium Synodorum auctoritatem in æternum irritam esse factam. Si enim synodus Ariminensis potuit errare, cur etiam non potuit Nicæna? Callidior quidem ille serpens cunctis animantibus terræ; sed non est prudentia, nō est consilium aduersus Dominum. falsam synodi Oecumenicæ definitionem suis assectis demon obtrudit.

Oecumenicam synodum ab Episcopo Romano indici, & conuocari debere.

Matt. 18 **E** Neque verò Synodus Oecumenica est, quoties Episcopi ex toto mundo ad Imperatoris indictionem conueniunt, nisi etiam in Christi nomine, hoc est, vi eius potestatis, quam Christus ad ligandum & soluendum, atque ad conuentus Ecclesiasticos celebrandos ex proposito instituit, & in terris reliquit, congregentur. hoc enim nouum opus, quod solius Christi præcipua gratia mundo reuelatum est, non per veterem Imperatorum sæculi potestatem cum Ethnicis & Paganis communem; sed per nouam potestatem de cælo descendentem, & in sola Christi Ecclesia institutam potissimum administrari debet. Christus autem Simoni Apostolorum primo & nominis & officij sui participationem tribuit; cum ipse solus per naturam petra & pastor, illum fecit per gratiam, & Petrum ex nomine, & pastor em ex officio. Iam cum pastoris sit & agnos & oues agnorum matres congregare; Episcopi autem sint velut matres agnorum Christi; Romanus autem Pontifex Petro in prima eius cathedra successerit; utique Episcopi tunc demum in Christi nomine ac potestate congregantur, cū ex auctoritate, aut saltem consensu primi pastoris Romani Episcopi & congregantur, & decreta edunt. Hinc ille Canon Ecclesiasticus ab antiquis Græcorum historicis vno ore laudatur, qui vetat præter sententiā Episcopi Romani concilia celebrari. Nec ob aliud magis Ariminense consilium illegitimum & irritum fuisse declaratum est, quam

Matt. 10 **F**
1. Cor. 10
Ioan. 10.
Ioan. 1.
Ioan. 21.
Matt. 18
Socrat. li. 2. c. 11.
Socr. lib. 3. c. 9.

A quàm quòd Romanus Episcopus ei minimè consensisset, cuius sententia (inquiunt nonaginta Episcopi ex Italia & Gallia in vnum sub Papa Damaso Romæ collecti) præ ceteris omnibus expectanda erat. Vnde etiam Basilius Magnus scribendum ad Episcopum Romanum putauit, ut iudicij sui decretū interponeret, ac sua ipse auctoritate vsus, Ariminensis consilij acta curaret rescindenda. quod etiam factum fuisse constat, adeo ut Socrates referat tam Liberium Pontificem Romanum, quàm alios occidentis Episcopos ad omnes in oriēte orthodoxos Episcopos litteras dedisse, in quibus attestabantur omnes ferè Episcopos, qui Arimini vel fallacibus inelcati illecebris, vel vi compulsi à fide tum quidem descuerant, formulæ Arimini editæ anathema denuntiasse, fidei Nicæne subscripsisse, & iam vnà cum illis communicare. Vnde Siricius Papa dicit consilium Ariminense cassatum sub venerandæ memoriæ Liberio prædecessore suo.

B

Quin & Dioscorus Alexandrinus inter cetera ob hoc crimen loco suo in synodo Chalcedonensi motus est, quòd synodum (secundam Ephesinam) ausus esset facere sine auctoritate Sedis Apostolicæ: quod numquam, inquit ibi Lucentius Episcopus, licuit, numquam factum est.

C Macedonius etiā catholicus vir, & Constantinopolitanus Episcopus, ad hæreticum Imperatorem Anastasium dixit, Sine vniuersali synodo, cui magnæ Romæ Episcopus præsideret, nihil se facturum. Imò septima synodus inter Græcos & Asiaticos Nicæne celebrata, rationem reddēs cur pseudosynodus Constantinopoli sub Copronymo indicta non potuerit legitima & vniuersalis esse, inter cetera, non habuit cooperatorium, inquit, ut hæc quæ nunc celebratur, Romanum Papam, neque illius sacerdotes, neque per Vicarios, neque per prouinciales litteras quemadmodum fieri in synodis debet. hæc ibi.

Ratio autem horum omnium non alia est, quàm quòd Episcopus Romanus diuino iure sit caput omnium pastorum, utpotè principis Apostolorum successor. Iam in vltima

Theodoretus lib. 2. c. 22.
Basil. in ep. 52.

Socrates lib. 4. c. 11

In epist. ad Himer. Taronen.
In synodo Chalcedonen. Act. 1.

Theodorus lector collecta norū li. 2.
In synodo Nicæna secunda Act. 6

la republica quicquid magni ponderis absque consensu capitur, merito irritum, si non & illicitum habetur. Hinc Eugenius Carthaginensis Archiepiscopus à Vandalorum & Alanorum rege Hunerico ad rationem fidei suæ reddendam prouocatus, respondit causam fidei communē sine vniuersitatis consensu non debere tractari. Se igitur scripturum fratribus suis, vt in Africam veniant, & præcipuè, inquit, Ecclesiæ Romanæ, quæ caput est omnium Ecclesiarum. Quibus verbis Eugenius docet, ad hoc vt quipiam dicatur vniuersale, duas res necessariò debere esse: vnā, vt vniuersis ad quos negotium pertinet, accersantur; alteram, vt caput vniuersitatis præcipuè omnium admo-
neatur, & consentiat. Nec enim ab vniuersitate actum videri vniuersale potest, cui caput vniuersitatis contradicit. Quamquam verò Pontificis Romani consensus quoquo modo interpositus indictionem vniuersalis concilij confirmasset: tamen vt in re magna error aliquis non interueniret, moris fuit, vt Papa litteras de ea re ad Imperatorem daret; is verò Papæ litteris acceptis, etiam per suas litteras Episcopos conuocaret. Vnde Episcopi orientis apud Constantinopolim congregati, ad Damasum Papam scribunt his verbis: Vos concilio per Dei voluntatem, ac nutum Romæ coacto, nos velut membra propria, per Imperatoris sanctissimi litteras accersiuistis, & iterum, Mandato litterarum superiore anno à vestra reuerentia post concilium Aquileiense ad Imperatorem Theodosium missarum, ad iter dumtaxat Constantinopolim vsq; faciendum nos preparauimus. Duo igitur concilia cum celebrarentur, vnū Romæ, alterum Constantinopoli; ad vtrumq; Papa Episcopos per Imperatoris litteras accersiuit. Quod ipsum ex Leonis Papæ litteris ad Martianum Augustum datis confirmatur. Poposceram, inquit ad Martianum, à gloriosissima clementia vestra, vt synodum quam pro reparanda orientalis Ecclesiæ pace à nobis etiam petitam, necessariam iudicastis, aliquantisper differri ad tempus opportunius iuberetis. Ecce à Pontifice Romano primū alij petunt synodum,

Victor
lib. 2. de
persecu-
tione vā
dal.

vniuersa
le.

Theodo-
retus lib.
5. c. 8. &
9.

Leo in ep.

44

A nodum; is deinde ad Imperatorem scribit, vt vel conuocetur, vel differatur; pro eo ac res postulare videtur. Sciens hunc morem Theodoricus Italiæ rex Arianus, primū à Pontifice Romano impetrauit, vt per litteras suas indiceret synodum: deinde cū Episcopi septuaginta & amplius conuenissent, rex iussit eos ipsius Romani Pontificis acta discutere. Illi talem synodum solius regis auctoritate indictam rati, dixerunt Papam debere synodum conuocare. annuit rex, & ita iam factum affirmauit. Cum Episcopi non crederent, rex ipsius Papæ litteras exhibuit. Ex his liquidò apparet, quā verè synodi Romanæ sub Siluestro habitæ epilogus dicat, episcopos trecentos decem & octo (qui Nicææ conuenerant) Siluestri vocatione fuisse congregatos. quā verè etiam sexta synodus scripserit Constantinum & Siluestrum magnam synodum in Nicæa congregasse. Nullam igitur synodum legitime potuit Imperator absque consensu Romani Pontificis indicare. At contra Pontifex etiam absque Imperatoris consensu, rectè poterat legitimam synodum indicare, licet id facere non soleret, nisi aut quòd Imperator fuisset hereticus, aut quòd potestatem in quosdam Episcopos, qui extra imperij fines degerent, non haberet. Hinc Iulius Papa cum Eusebiani Romam contra Athanasium scripssent, (ipso Athanasio attestante) iussit fieri synodum vbicumq; Athanasius vellet. Quin & Oecumenicam synodum apud Sardicam eiusdem Papæ Iulij auctoritate congregatā fuisse inde constat, quòd Episcopi Orientales culpam absentię suæ in Papam Iulium reiecerunt, eo quòd nimis angustum tempus præstitutum esset. Leo Papa scribens ad Turbium Asturicensem Episcopum, Dedimus, inquit, litteras ad fratres, & Episcopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atq; Galæcos, eisq; concilium synodi generalis indiximus. & quæ sequuntur.

Episcopi etiam Messicę secundę in litteris ad Leonem Augustum datis dicunt, multos sanctos Episcopos Chalcedoni conuenisse per iussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè

not
In syno-
sub Sym-
macho.

Rom. 7.
conc.
Syn. 6.
Act. 18.

Athan.
in ep. ad
solitar.
vit. agen.
Apud So-
crat. li. 2.
c. 16.
Leo in ep.
93.

Inter ep.
Leonis.

verè, inquit, caput est omnium Episcoporum. Quibus D
verbis causam afferunt, cur Papa conuocet synodos. Ca-
pitis enim est membra sua colligere & conuocare.

Tom. 2. Euty chius autem Constantinopolitanus Patriarcha, his
cöcilior. verbis ad Vigilium Papam vsus est, Petimus, præfidente
in fine. nobis vëstra Beatitudine, de tribus capitulis quæri, atque
1. collat. conferri.
5. synod.

Vigilius rescripsit, Annuimus, vt de tribus capitulis fa-
cto regulari conuentu, medijs sacrosanctis Euangelijs, col-
latio habeatur, & finis detur placitus Deo.

Pontificem Romanum præfedisſe concilij
Oecumenicis.

vide ep. Non solum autem cum ipse Romanus Pötifex adesset,
Caestini primum in synodo locum tenuit, sed etiam (quod longè
apud Cy plus est) absens per legatos suos præfedit; adeo vt Cyril-
rillum. lus Alexandrinus Patriarcha magni honoris loco duceret
Tom. 4. Cælestini Pontificis locum supplere, & vices agere. quod
in chron. ipsum tam Prosper apud Latinos, quàm Euagrius, & Nice-
Euagrius phorus apud Græcos testatum reliquerunt.
lib. 1. c. 4

Nec soli Patriarchæ, sed etiam Episcopi, atq; adeo Pres-
byteri à Pontifice Romano delegati, omnibus alijs Epi-
scopis & Patriarchis præfederunt. Itaque cum à Leone po-
lib. 14. c. 34. stulatum esset, vt ipse venerabili synodo præsentiam suam
Leo in præberet, vbi se excusasset: In his, inquit, fratribus Pascha-
ep. 45. sino & Lucentio Episcopis, Bonifacio & Basilio præsy-
byteris, qui ab Apostolica Sede directi sunt, me synodo ve-
stra fraternitas existimet præfidere. Presbyteri quoque
à Papa legati, ante omnes Episcopos & Patriarchas sub-
scripserunt; quod in Nicæna synodo factum constat à Vi-
to & Vincentio.

vide sub Romanum Pontificem administrasse, in conci-
scrip. NY lijs maximè, auctoritatis opera.
cane sy- Si in Episcopos vlla ferebatur à concilio sententia, sub
nodi. nomine

A nomine Pontificis ferebatur, & ab eius legato pronuntia-
batur, sicuti factum legimus & quando Dioscorus in Chal-
cedonenſi concilio damnabatur, & aliàs sæpiſſimè.

In cöcil.
Chalced.

Synodus etiam Ephesina Ioannis Antiocheni temeri-
tatem (qui Cyrillum Alexandriæ, & Memnonem Ephesi
Episcopos in concilio triginta Episcoporum deposuerat)
Cælestini Papæ iudicio referuauit.

Vide a.
Ea syno-
di Ephe-
sina.

Forma etiam synodo præscribebatur à Pontificibus Ro-
manis. Nam Cælestinus ad Cyrillum ita scripsit: Adiun-
cta tibi nostræ Sedis auctoritate, ipse qui vice nostra pote-
stateq; fungeris, sententiam hanc summa seueritate (in
Nestorium) pronuntiabis: ni intra decem ab hac admoni-
tione dies, prauas suas conciones confessione mandata
litteris excretur. synodus igitur postea dixit, tum Ecclesiæ
canonibus, tū Epistola sanctissimi patris nostri, & collegæ
Cælestini Episcopi Ecclesiæ Romanæ necessariò compulsi
ad hanc seueram sententiã, idq; non sine crebris lacrymis
contra Nestorium pronuntiandam uenimus.

Apud
Cyrill.
Rom. 4.

B Eodem modo & Leo Pontifex ait se ad venerabilem sy-
nodum scripsisse, quam formam seruare in hac dijudica-
tione deberet.

Euagrius
lib. 1. c. 4

Leo in
ep. 49.

Pontificem Romanum confirmasse concilia.

C Quælibet synodus confirmabatur à Papa, idque rogatu
eiusdem synodi factum est, & necessariò factum, vt syno-
dus Ephesina fatetur, his verbis ad Papam Cælestinū scri-
ptis: Necessitas postulauit, vt quæ consecuta sunt in hac
S. synodo, omnia ad cognitionem Sanctitatis tuæ referren-
tur. Itemq; patres Chalcedonenſis concilij cum amplius
quàm sexcenti essent, ad Leonem Papã scribentes, Roga-
mus, inquit, tuis decretis nostrum honora iudiciū. Vnde
Leo Papa ad Pulcheriã Augustam scribēs, Quod pijsſimus,
inquit, Imperator ad omnes Episcopos, qui Chalcedonæ
synodo interfuere, voluit me scripta dirigere, quibus quæ
illic de fidei regula sunt definita, firmarē, libèter impleui.

Concil. in
syn. Ro.
sub Silue-
stro.
Theodo-
retus lib.
5. cap. 9.

Leo in
ep. 58.

Dd Romanum

Romanum Pontificem in confirmandis concilijs quædam cassasse; & in iisdem cassandis, quædam excepisse.

Sozom. lib. 7. c. 9. Quòd si aliqua in synodis confirmandis excipienda videbantur, aut cassanda, id quoque Pontifex pro sui iudicij æquitate moderatus est. Vnde cum secunda synodus oecumenica, & quarta decreuisset, vt Episcopus Constantinopolis post Romanum primas obtineret, neque Damasus Papa secundæ, neque Leo quartæ synodi hoc decretum (quod Nicæni concilij canonibus aduersabatur) passus est ab Ecclesia recipi: Frustra, inquit Leo, quorundam Episcoporum profertur consensus, cui tot annorum series (iam inde à Damaso) negauit effectum: & alibi, Consensiones Episcoporum, canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiscum vestræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem Petri Apostoli, generali prorsus definitione cassamus.

Synod. Nicæn. c. 6.
Leo in ep. ad Pulcher. Augustā Leon. ep. 51. 53. et 58.
In syn. Chalced. Act. 10. Contra verò, cum omnia, quæ in pseudosynodo Ephesina per Dioscorum gerebantur, cassata essent: tamen Anatolius Constantinopolis episcopus excepit causam Maximi Antiochiæ episcopi, Quoniã, inquit sanctissimus Leo, Romanus Archiepiscopus in communionem eũ recipiẽs, præesse eum Antiochensium iudicauit Ecclesiæ.

Romanum Pontificem Canones conciliorum ex causa relaxasse.

Concil. Nicæn. c. 6. Deinde conciliorum Canones, qui ad Ecclesiasticam disciplinam pertinebant, Pontifex Romanus etiam auctoritate sua relaxabat. Itaque licet canones non minus ante Nicænam synodum, quàm postea vetarent eos pro episcopis haberi, quos citra Metropolitanum consensum per schisma ordinatos constaret: tamen Melciades Papa obtulit se curaturum, vt episcopi Donatistarum, etiam si in schismate

Aug. in ep. 162. A mate ordinati, confirmarentur in ijs Ecclesijs, in quibus priores (hoc est ante catholicos episcopos) fuissent ordinati: itemque qui posteriores ordinati fuissent, plebs alia regenda prouideretur, quam canonum relaxationem pacis causa factam, Augustinus tantoperè approbavit, vt exclamaret, ò virum optimum, ò filium Christianæ pacis, & patrem Christianæ plebis.

Si Oecumenicarum synodorum celebratio & maximè *Epilogas* diuinum opus est, vt ante declarauimus, & penitus à Romani Pontificis auctoritate pendet, adeo vt ille tum synodos Oecumenicas indicat, proroget, moderetur, confirmet, tum in illis excipiat, relaxet, custodiat, irrita reddat, B quæque fidei, & prudenti eius iudicio ita disponenda videntur; certè hæc plenissima potestas, quam Deus Petri successoribus in Oecumenicarum synodorum causis tam insigniter iam olim dedit, abundè testatur, Pontificis Romani primatum non ab hominibus, verũ à Deo esse. quomodo alioqui omnes per totum orbem catholici episcopi, etiam in vnum collecti, vsque adeo se vni ex collegis suis, & ei plerumque absenti subijcerent, qui sæpe & imperitior, & indoctior, addo etiam minus sanctus erat, magna illorum parte non igitur hominis personam respiciunt, sed Christum honorat, qui tantam potestatem Petro contulit, vt quæcumq; ligaret & solueret in terris, ligata & soluta essent in celis. Vnitatis Ecclesiæ est à Christo in Petro instituta, cui omnes Episcopi tantum deferunt. nec miror si concilia Oecumenica, quæ ob vnitatem & conficiendam, & contestandam condita sunt, vnitatis Ecclesiasticæ principium in Ecclesia Romana collocatum, tanta obferuantia colunt. *Matt. 16*

Extra Ecclesiam Romanam Concilia Oecumenica celebrari non possunt.

Quamquam Romanæ Ecclesiæ principatus & ante Concilia Oecumenica receptus fuerit, & sine illis steterit, ac

flouerit; tamen conciliorum Oecumenicorum auctori-
tas extra Ecclesiæ Romanæ vnitatem non modò nihil va-
luit, sed nec vlla omnino fuit. Itaque postquam orientales
Ecclesię vel inuidia ductæ, vel errore seductæ semetipsas
ab Ecclesia Romana diuiserunt, quantum libet multos Epi-
scopos, ac duo Imperia, Constantinopolis & Trapezun-
tis haberent: tamen his annis septingentis & amplius, nul-
lam in Asia aut Græcia Synodum vel nomine tenus Oe-
cumenicam celebrare potuerunt, Deo non permittente,
ut apud eos, qui vnitatem violassent, eiusdem vnitatis po-
tentissimum signum cõspiceretur. At verò in Ecclesia Ro-
mana multa postea Oecumenicę synodi habitæ sunt; in La-
terano Romæ, sub Calisto secundo, & Alexandro tertio,
omniumq; Synodorum maxima sub Innocentio tertio.
Viennæ in Galliis sub Clemente quinto, Constantiæ in
Germania, quam Martinus Quintus confirmauit. Lugduni
præterea sub Gregorio decimo, & Florentiæ sub Eugenio
quarto, ad quas vtrasq; synodos Gręcorum Imperator ac-
cessit, ibidemque Romanæ Ecclesiæ primatum confes-
sus est.

Cur Protestantes nullam synodum Oecumenicam celebrant.
Veniamus ad nostra tēpora. Nonne Anglia, Scotia, Hi-
bernica, Suetia, Noruegia, Dania, & Helueticorū pagi per-
multi, partim Caluino, partim Zuinglio, partim Lutherō
se addixerūt? nonne qui rerū in illis regnis potiūtur, Sedi
Apostolicæ renuntiarunt? an idem in Germania potentissi-
mi aliquot Duces & Principes non fecerunt? nonne Bo-
hemia, Polonia, Lituania, Liuonia, Prussia, Hungaria, & ip-
sę Gallię, mirum in modum Lutheranis & Caluinistis re-
fertæ sunt? Cur isti omnes tam latè dominantes Euangeli-
ci principes, Synodum aliquam Episcoporum maximam,
& plenissimam non indicunt? quid dico Episcoporum?
quos aut nullos, aut paucissimos, & eos non nisi Apostatas
atque Catholicę Ecclesiæ desertores habent. Cur saltem
Diaconorum, aut etiam Laicorum aliquam Synodum ex
omnibus Euangelicis nationibus collectam non cele-
brant? in promptu causa est, Deus non permittit, vt vbi

vera

A vera Euangelij vnitas deest, ibi verum Euangelicę vnitatis
signum conspiciatur.

At interim Ecclesia Romana his ipsis diebus, licet fre-
mentibus, & præ inuidia indignantibus Lutheranorum
& Caluinistarum principibus, Oecumenicam synodum
Tridenti conuocauit, & absoluit, ad quam Catholici Epi-
scopi & Christianorum principum Legati more institu-
toq; maiorum conuenerunt. Opera quæ Deus in sola Ro-
mana Ecclesia facit, ipsa Dei opera testimonium perhi-
bent de veritate, vnitatem, & principatu eiusdem Ecclesiæ.
Qui verbo Dei Ecclesiam supra Petrum se edificaturum
promittenti nolunt credere, saltem Dei operibus crede-
re deberent.

B

*Quantum auctoritatis Episcopus Romanus præ alijs
omnibus Episcopis, etiam extra Concilium
Oecumenicum semper obtinue-
rit. Cap. I I.*

C

Romani Episcopi primatus in Oecumenica Sy-
nodo tamquam in ouili proprio maximè om-
nium elucet. Nam qui omnibus Episcopis in
vnum collectis præest, quanto magis etiam
singulis maior haberi debet? sed tamen quia Protestan-
tes dicunt, ordinis tantum conseruandi causa primatum in
Synodis Episcopo Romano concessum fuisse, cum extra
Synodos parum posset: demonstramus etiã quid auctori-
tatis extra Synodos præ alijs omnibus Episcopis obtinuerit.

Decimum sextum Dei opus.

Soli Episcopo Romano semper licuit etiam absque
Oecumenica Synodo auctoritate suę Sedis, tum Aposto-
licas traditiones interpretari, tum leges Ecclesiasticas con-
dere, quibus omnes Episcopi, & Ecclesiæ obstringeren-
tur.

Synodus
Trident.
Ioan. 5.
& 10.

Matt. 16

Tit.
137
1. 1
ad
Tit.
1
Tit.
137
1. 1
ad
Tit.
1
Tit.
137
1. 1
ad
Tit.
1

Tit.
137

Tit.
137
1. 1
ad
Tit.
1

Ignatius in ep. ad Philipp. Hieron. ep. 54. Euseb. l. 5. c. 24. Socrat. l. 1. c. 21. Euseb in Chronic. Hieron. interprete. tur. Ita cum Apostoli Quadragesimā fidelibus ieiunandā tradidissent (quod tam B. Ignatius insinuat, quā S. Hieronymus expressē dicit) varię autem consuetudines in variis Ecclesijs circa hoc ieiunium irrepissent, Papa Thelesphorus definiuit Quadragesimale ieiunium non vnius, non trium, non quindecim, sed quadraginta dierum obseruantia constare & absolui. Vnde Euseb. refert quosdam scribere Quadragesimale ieiunium à Telesphoro fuisse institutum ac præceptum. Porrò constat Catholicam Ecclesiam obseruasse hanc Telesphori seu legem, seu interpretationem.

Euseb in Chronicis. Apud Theodoretum li. 1. c. 9. Damas. Pontif. Leo in serm. 8. de ieiunio septimi Mēsis Can. 21. Eodem modo Eusebius testatur à Pio sancitum, & à pluribus postea Pontificibus confirmatum fuisse, vt resurrectio Dominica, die Dominico celebretur. Cuius decreti auctoritatem etiam prima Nicēna synodus amplexata est, & Catholica obseruat Ecclesia. Idem etiam dicendum est de ieiunio Quatuor temporum, quod Calistus Papa præcepit, & Ecclesia Catholica tam olim, quā vsque in hodiernum diem retinuit.

Denique synodus Turonensis in vniuersum ait, neminem sacerdotum præsumere, vt agat contra decreta, quę à Sede Apostolica processerunt, & Patres ipsorum hoc semper custodiuisse, quod Sedis Apostolicę præcepisset auctoritas.

Relationes ad Sedem Apostolicam.

Alij verò Episcopi, & primates quando in suis prouincijs Synodos celebrarunt, maiora quęq; negotia & maxime causas fidei ad Apostolicam Sedem retulerunt.

Cypr. l. 2. ep. 1. Hieron. cōtra Lucifer. Ita Cyprianus post synodum Carthaginę celebratam, fatetur multa quidem prolata esse, atque transacta, sed de baptisate hereticorum, vel maxime scribendum Pontifici Romano fuisse, & cum eius grauitate, ac sapientia conferendum. Vnde & Hieronymus ait, Cyprianum ad Stephanum tunc Romanę vrbis Episcopum super heretico-

rum

A rum baptisate Africanam synodum direxisse, at conatū eius frustra fuisse.

Ita & Papa Iulius (Athanasio id attestante) ad Eusebianos scribens, Cum de Episcopo, inquit, non vulgaris Ecclesię agatur, an ignari estis hanc consuetudinem esse, vt primū nobis scribatur, vt hinc quod iustum est, definiri posset? id huc ad nostram Ecclesiam referri oportuit. Quę accepimus à S. Petro Apostolo, ea vobis significo. Eadem etiam regula B. Ambrosius nitens, cum de grauissimo Antiochenę Ecclesię schismate ad Theophilum Patriarchā Alexandrinum scriberet, Sanè, inquit, referēdum arbitramur ad S. fratrem nostrum Romanę sacerdotem Ecclesię, quoniam præsumimus ea te iudicaturum, quę illi displicere nequeant. hæc Ambrosius.

Hinc & Hieronymus ait, dum in chartis Ecclesiasticis iuuaret Damasum Romanę vrbis Episcopum, se orientis atque occidentis synodicis consultationibus respondisse, nimirum quòd totus orbis Christianus maxima quęque ad Papam referret.

Missæ sunt, inquit Augustinus, ex duobus concilijs Carthaginensi & Mileuitano relationes ad Apostolicam Sedem: ad omnia nobis ille rescripsit eodem modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicę Sedis Antistitem. In Carthaginensis autem concilij Epistola, hæc habebantur verba, Statutis nostrę mediocritatis etiam Apostolicę Sedis adhibeatur auctoritas.

Causæ Episcoporum Rom. Pōtifici reseruatae.

Pontifex Romanus vltimam diiudicationem de personis Episcoporum sibi reseruauit. quod cum in multis antiquissimorum Pontificum epistolis, quas heretici non recipiunt, significatum sit; nos aliunde id ipsum demonstramus.

Basilides Asturicę in Hispanijs Episcopus, à collegis depositus, Romam perrexit, & à Stephano Papa obtinuit, vt

in

Athana. 1. apolog.

2.

*Apostolica traditio:**Ambro. epist. 78. lib. 10.**Epist. 11. ad Ageroniam.**August. ep. 106.**Apud August. ep. 91.**Cyp. l. 1. epist. 4.**Circiter An. D. 156.*

D in Episcopatum reponeretur: nec obstat quod Cyprianus dicat, obreptum in hac re esse Pontifici Romano, ac Basilidem fefellisse eum. Quamquam enim hoc ita euenerit, tamen nec ipse, nec Hispaniarum Episcopi negabant, quin ius Episcopo Romano fuerit eius quem Synodus Episcoporum damnasset, causam iterum agnoscēdi, & cum æquitas id postularēt, eum in integrū restituendi. Nam qui obreptum iudici dicit, iudicem cui obreptum dicit, legitimū fatetur fuisse.

Concil. Sardicē. can. 7. Concilium etiam Oecumenicum Sardicense causas Episcoporum Pontifici reseruauit, idque in honorem Beati Petri.

Athanas. Apolog. 2. Athanasius etiam testatur Iulium Papam cum Eusebianis expositulasse, quod ipso inconsulto de Episcopo iudicium ferre ausi essent.

Aug. ep. 162. Quin & Augustinus scribit, posse Episcopos aliorum collegarum iudicio, & præsertim Apostolicarum Ecclesiarum, causam suam integram reseruare. Imò res tam nota olim, & aperta hæc fuit, vt Valentinianus Imperator ad

In Leon. conc. ante syno. Chalced. Theodosium Augustum in hæc verba scripserit: Fidem à nostris maioribus traditam debemus cum omni competēti deuotione defendere; ac dignitatem proprię uenerationis B. Apostolo Petro intemeratam, & in nostris temporibus conseruare, quatenus Beatissimus Romanę ciuitatis Episcopus, cui principatum sacerdotij super omnes antiquitas contulit, locum habeat, & facultatem de fide & sacerdotibus iudicare. hæc ille. Cum autem quidam apud Imperatorem Mauritium curassent, vt Maximus in Dalmatia Episcopus, qui deliquerat cum honore susciperetur,

Greg. in epist. ad Constan. Gregorius Magnus iniquè ferens causas Episcoporum in palatijs Principum tractari; ad Constantiam Augustam scripsit, Si Episcoporum causę mihi commissorum apud piissimos Dominos aliorum patrocinijs disponuntur; infelix ego in Ecclesia ista quid facio? vt Episcopi mei ad seculares iudices refugium habeant, peccatis meis deputo.

Epi.

A Episcopi apud Romanum Pontificem accusati.

Cum nemo apud inferiorem aut parem, sed tantum apud superiorem suum legitimè accusetur: tamen non solum Episcopi, sed etiam primates & Patriarchæ apud Pontificem Romanum olim accusabantur. Quidam ex Ecclesia Alexandrina, Rectè quidem, inquit Athanasius, sentientes, sed tamen ignari eius causæ, ob quam Dionysius, ita scripsisset Romam ascenderunt, ibique eum apud Dionysium eiusdem nominis Romanum præfulem accusauerunt. Ruffinus presbyter apud Papam Anastasium, itemq; Polychronius Hierosolymitanus Episcopus apud Xystum simoniacæ prauitatis accusatus est.

B Constantius etiam & Musellus Maximinianum Ecclesiæ Pudentianę in Africa Episcopum apud Sedem Apostolicam accusarunt, quod præmio Donatistarum corruptus, Episcopum noua licentia fieri permisit.

Episcopi & alij Romam accersiti.

Reialicius criminis ad urbem Romam interdum accersiti sunt, vt causam dicerent. Iulius Papa (inquit Athanasius) presbyteros suos Elpidium & Philoxenem cum litteris ad Eusebianos misit, certum diem definiens, vt aut presentes se sisterent, aut cognoscerent se omnibus modis suspectos haberi.

C Theodosius Imperator Damasi primùm, deinde Siricij, ac demum Anastasij litteris prouocatus, qui dixissent eum tyrannos contra se quicquam molientes opprimere, sed his qui per tyrannidem Christi leges euertere studerent, impunitatem concedere, Flauianum Antiochię Episcopum (qui contra fidem iure iurando datam Episcopatum uiuente adhuc Paulino inuaserat) Romam proficisci iubet. nec refert quod Flauianus astutia quadam fecit, vt ne iret; nã iure saltem ire compellebatur, quod & ipse agnouit potest. Interim verò B. Hieronymus ait, Orientis, & Occidentis

Athanas. in lib. de sententia Dionys. ep. Hier. in epist. ad Princip. Tom. 1. concil. Greg. li. 2. indict. 10. ep. 33

Athanas. in ep. ad solitar. vit. agēt.

Theod. li. 5. c. 23

Hieron. ep. 27. et. 16.

Ee

cidentis

cidentis Episcopos ob quasdam Ecclesiarum dissensiones Romam Imperiales litterę contraxerunt, & me Romam cum sanctis Pontificibus Paulino & Epiphano Ecclesiastica traxit necessitas, quorum alter Antiochenam Syrię, alter Salaminiam Cypri rexit Ecclesiam. Alibi Hieronymus de Ruffino & socijs eius agens, Acciti, ait, frequentibus litteris heretici, vt se defenderent, venire non sunt ausi.

Hieron.
in apol.
3. aduer-
sus Ruff.

Niceph. lib. 16. c. 16. Felix ad Zenonem misit, vt Acatius Romam mitteret cū Ioanne Alexandrino, experturus, aut causam dicturus.

Greg. lib. 11. ep. 33. Hac tibi auctoritate præcipimus, inquit Gregorius ad Anthemium Subdiaconū Campanię, vt si quem Episcoporum Campanię post hæc negligentem esse cognoueris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmittas, vt quàm sit graue nolle ab his, quæ reprehensibilia sunt, corrigi, regulari in se valeat districtione sentire.

Chalced. synod. a-
tionis. Euseb. li. 10. c. 5. Illyrici Episcopi dixerunt in Chalcedonensi synodo, Qui contradicunt, Romam ambulēt, vt Leo, sic credimus. Atque huc etiam pertinet quòd Constantinus Imperator tam Cæcilianum Carthaginensem Episcopum, quàm decem alios Episcopos, qui illum accusabant, Romam nauigio trajcere iussit, vt coram Melchiade Papa & collegijs eius audirentur.

Episcopi apud Papam purgabant se.

Hier. ad Pam. & orean. de origenis erroribus. Qui errasse, aut deliquisse existimabantur, se ipsos apud Romanum Pontificem vel epistolis, vel præsentibus purgabant.

Origenes, inquit Hieronymus, ad Fabianum Romanę vrbis Episcopum scribit, in eaq̃ue Epistola penitentiam agit, cur talia scripserit, & causam temeritatis in Ambrosium refert, quòd secretò edita in publicum protulerit.

Athan. de sentent. Dionysij. Dionysius Alexandrinus apud Romanum Præsulem accusatus de fide, cum obiecta postulasset à Romano Præsule, eaq̃; accepisset, opus edidit sub nomine Elenchi, & Apologia

A logiæ ad se purgandum.

Vrsatius, & Valens Pannonię Episcopi vnà cum libellis profecti sunt ad B. Iulium Romanum Episcopum, pro ratione, inquit Epiphanius, redenda de suo errore & delicto, quod calumnias struxissent Papę Athanasio.

T.
133
V.
Epiph.
her. 68.
Sulpici
Seuerus
sacr. hist.
lib. 2.

Instantius, Saluianus, & Priscillianus in synodo apud Cæsaraugustam damnati, Romam profecti sunt, vt apud Damasum vrbis ea tempestate Episcopum, obiecta purgarent, sed ne in conspectu eius quidem admissi sunt.

Papa Episcopos de gradu suo deponebat.

B Pontifex Romanus Episcopos cuiuscumque gentis in cōmeritos ac in errore persistentes dānauit, ac deposuit. Facere te oportet (inquit ad Stephanum Papam Cyprianus) plenissimas litteras ad Episcopos nostros in Gallijs constitutos, ne vltra Martianum collegio nostro insultare patiātur, & post dirigantur à te litteræ in prouinciam, & ad plebem Arelatę consistentem, quibus abstento Martiano, alius in locum eius substituatur.

Cypr. li.
3. ep. 13.

Eusebius Mediolanensis ad Papam Leonem scribens, Placuit omnibus, inquit, quorum nomina subscriptio subter annexa poterit declarare, eos qui se ipsos abiectione dignos fecerunt, suo etiam consensu, auctoritatis vestrę præcedente sententia damnatione congrua persequendos.

In li. ep.
Leonis.

C Hilarius, inquit Leo, nouerit non tantum se ab alieno iure depulsum, sed etiam Viennensis prouincię (quam malè vsurpauerat) potestate priuatum.

Ep. 87.

Felix Papa Romanus post penitentiam per quinquenium expectatam, abdicauit Acatium ad Zenonē scribens, vt Acatius Romam aliquos mitteret cum Ioanne Alexandrino in iudicio, si quam haberet actionē, expectaturus, aut causam dicturus.

Niceph.
lib. 16. c.
16.

Armonius in libro de gestis Francorum, Agapetus, inquit, Romanę Sedis Pontifex Anthimum Patriarcham Constantinopolitanum damnauit: & nos (inquit Petrus

Lib. 2. c.
16.

S. synod.
Act. 4.

D Hierosolymorum Episcopus consentimus his, quę benę formata sunt ab ipso Agapeto Papa. Vigilius Theodorum Cæsareum Episcopum omni potestate Episcopali spoliavit. Mennam verò post quartum mensē ad communionem admisit.

E Columbo Numidię Episcopo Gregorius mandat, vt adunato episcoporum vniuersali concilio, Maximinianus Ecclesię Pudentiænę in Africa Episcopus, si reus conuincatur, à dignitate officioq; degradetur: & alibi, Is qui superstite Episcopo innocente contra canones in Ecclesia eius ordinari pręsumpsit, sacerdotio priuatus, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur; qui etiam in custodia habeatur vel ad nos transmittatur. Episcopi verò qui eum ordinauerunt, sex mensibus Dominici corporis & sanguinis communionē priuati, agere pænitentiam decernantur in Monasterio.

Papa Episcopis veniam dabat.

F Sedes Apostolica veniam ijs Episcopis dedit, qui se se corrigebant. Cum Flavianus contra sacramenti sui pollicitationem, qua ob schisma in Antiochena Ecclesia tolledum iurauerat vnà cum alijs siue Meletius, seu Paulinus prior moreretur, neminem ei substituendū; post mortem Meletij viuente adhuc Paulino, constitutus esset Episcopus Antiochię; ob eamq; causam Romanus Pontifex, & occidentis Episcopi Flavianum in communionem suam non admitterent, tam Imperator Theodosius, quàm B. Ioānes Chrysostomus, atque etiam Theophilus Alexandrinus cum Pontifice Romano egerunt, vt propter populi concordiam peccatum à Flauiano commissum remitteret, quod & fecit, Flauiano illustrissimos Episcopos, Presbyteros & Diaconos ea de causa Romam mittente. Briccius Turonensis Episcopus, cum in B. Martinum deliquisset, atque Ecclesia sua pulsus Romę quicquid in sanctum Dei deliquerat, defleuisset, septimo anno cum auctoritate Pa-

pæ

A pæ in locum suum regressus est. Polychronium Hierosolymorum Episcopum à legatis Papę in concilio Episcoporum LXXVI. damnatum Papa Xystus postea sedi suę restituit.

Solo Dioscoro damnato & deposito, alijs Episcopis qui Flavianum in Ephesina synodo secunda iniquè damnarunt, Sedes Apostolica veniam tribuit, quia contra voluntatem, quę patrata erant gessissent.

Christianissimus Princeps Martianus Augustus ad nos, inquit Papa Leo, epistolam dedit, interueniens pro Anatholio Constantinopolis Episcopo, vt nostri animi gratia illi præbeatur, quoniam correctionem eius promitteret.

B Agapetus Papa (inquit synodus Constantinopolitana secunda) Anthimum de sede sibi non conueniente deputauit, data venia his qui talis rei participes sunt.

Episcopi ad Papam appellarunt.

Ab alijs Episcopis aut etiam synodis iniustè damnati, appellarunt ad Pontificem Romanum, & honori ac dignitati suę ab illo restituti sunt.

C Beatus Athanasius, inquit Liberatus, Romanum Pontificem appellauit. Pręterea tam Athanasius Alexandria, quàm Paulus Constantinopolis, itemq; Marcellus Ancyrę, Asclepas Gazę, & Lucius Adrianopolis, Ecclesijs suis spoliati, cum Romam confugissent; Episcopus Romanus Iulius criminationibus eorum intellectis, cum propter Sedis dignitatem cura omnium, inquit Sozomenus, ad ipsum spectaret, singulis suam Ecclesiam restituit.

Mox etiam cum Petrus Alexandria Episcopus, qui Athanasio successerat, Romam confugisset; atque ex vrbe Roma cum litteris Damasi Episcopi Romani, quę creationem Petri confirmabant, reuersus esset; populus Alexandrinus Damasi litteris confusus, expulit Lucium, & Petrum in eius locum introduxit. Ioannes etiam Chrysostomus in synodo Episcoporum iniustè depositus, ad Innocentium

tium Papam prouocauit, & sædi suę restitutus est, licet iterum postea pelleretur.

Leo ep. 85. Lupicini Mauritanie Episcopi causam, inquit Leo Papa, illic iubemus audiri, cui multum & sæpius postulanti cōmunionem hac ratione reddidimus, quoniam ad nostrum iudicium prouocasset: parem quoque gratiam Theodoreto ad se prouocanti fecit.

Liberatus in Breuuario. c. 18. Ioannes Talaia Alexandrinus Patriarcha iniuste ab Acatio & Petro Moggo vexatus, communicato cum Calendione Antiocheno Patriarcha consilio, Romanum Pontificem Simplicium appellauit, qui Nolanam ei dedit Ecclesiam.

Greg. lib. 2. ep. 6. Gregorius Magnus Hadrianum Thebanæ ciuitatis Episcopum à Ioanne Episcopo primæ Iustinianę iniuste damnatum, in suum locum & ordinem restituit, Episcopo Iustinianæ ad triginta dies cōmunionem priuato.

Papa cathedralibus Ecclesijs longè remotis Episcopos præfecit.

Episcopus Romanus cum res postularet, etiam longè remotis Ecclesijs Episcopos præfecit, aut custodes ad tempus dedit: interdum etiam exemit aliquem de alterius Episcopi iurisdictione.

Socrat. lib. 7. c. 35. Perigenes designatus fuit Patrensis Ecclesię Episcopus, quem ubi populus illius vr̄bis repudiauerat, Episcopus Romanus mandauit, vt Episcopo Corinthij metropolis iam mortuo, in sede Episcopali illius vr̄bis collocaretur, cui Ecclesię reliquo vitæ spatio præfuit.

Apud Cyrill. tom. 4. in ep. Celestini ad Cyrillū. Cum Nestorius Constantinopolis Patriarcha iam de hæresi suspectus, nec tamen adhuc depositus fuisset, Celestinus Papa ad Cyrillum scripsit, Tu Ecclesię ipsius curam prouidentiamque suscipias.

Greg. l. 1. ep. 76. Cum Sagonensis Ecclesia in Corsica Episcopo destitueretur, Gregorius magnus ait se pastorali cura constrin-

tiam

A tiam ordinandi Presbyteros, & Diaconos in Ecclesia Sagonensi concedit.

Idem Gregorius dicit sanctæ memorię decessorem suū (Pelagium Papam) exemisse Hadrianū Thebanæ ciuitatis Episcopum de Iurisdictione potestatis Ioannis Episcopi Larissæ, quam exemptionem Gregorius confirmat.

Papa vices suas Episcopis delegauit.

Pontifex Romanus certarum ciuitatum Episcopis delegabat vices suas per vniuersas prouincias, qui longinquis Ecclesijs præsentiam quodammodo Apostolicæ visitationis impenderent.

Leo in ep. 82. Itaque Leo ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum scribens, Sicut, inquit, præcessores mei præcessoribus tuis, ita ego dilectioni tuæ priorum secutus exemplum, vices mei moderaminis delegaui.

Congruum duximus, ait Papa Simplicius ad Zenonem Episcopum Hispalensem, vicaria Sedis nostræ te auctoritate fulciri.

Hormisda etiam vices suas per Bæticam & Lusitaniam prouincias commisit Sallustio Hispalensi Episcopo:

Papa Vigilius (Iustiniano attestante) constituit, vt Archiepiscopus Iustinianę primę, in prouincijs sibi subiectis, Apostolicæ Sedis Romanæ locum teneret.

In nouell. cõst. 131. In Ecclesijs, quę sub regno præcellentissimi filij nostri Childeberti regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, inquit Gregorius, fratri nostro Virgilio Arelatensis ciuitatis Episcopo vices nostras tribuimus.

Parem etiam potestatem Episcopo Siracusano in Sicilia, & Corinthiorum in Achaia tribuit, cui etiam Episcopos per Helladā constitutos parere iubet. Itemq; Episcopis per Illyricum præcepit, vt Ioanni velut delegato Sedis Apostolicæ obediant.

Papa

Papa Legatos in alias Prouincias extra ordinem misit.

Basil. ep. 52. et 77 Nazian. i vita Basilij. Socra. l. 3. c. 4. & 7. Sozo. l. 5. cap. 11. Theodo. lib. 3. c. 4. & 5. August. ep. 157. Synod. 6. Carthag. cap. 6. In. tom. 1. concil. Epist. 85

Extra ordinem etiam Papa mittebat legatos in quācunque prouinciam, quòd vt in Asiam faceret, Basilius magnus vehementer instabat, & Gregorius Nazianzenus fatetur Luciferum & Eusebium Episcopos ex vrbe Roma Cæsaream missos, ad seditionem, quæ in Ecclesia Cæsariensi orta fuerat, sedandam: quos eisdem Episcopos reliquum Orientem peragrasse, omnes historiæ Ecclesiasticæ tradunt.

Iniuncta nobis, inquit Augustinus, à venerabili Papa Zozimo Apostolicæ Sedis Episcopo, Ecclesiastica necessitas in Mauritaniam nos traxerat; nec ob aliud idem Augustinus Numidiæ legatus in synodo Carthaginensi vocatur, quàm in Numidia locum Sedis Apostolicæ suppluisset.

Papa Zozinus Faustinum Ecclesiæ Potentinæ in prouincia Piceni Episcopum & presbyteros duos in Africam misit ad causam Apiarij tractandam, secundum concilij Sardicensis caput septimum.

Leo Magnus vicem suam sacerdoti Potentio iniunxit, qui de culpabili Episcoporum Mauritaniæ electione inquireret.

Gregorius Magnus in Hispanias misit Ioannem defensorem, cum potestate etiam Episcopos puniendi, & Petrum Diaconum in Siciliam vice sua. Idem non solum apud Imperatorem Constantinopolitanum Pontificis nomine legatum egit, verum & antiquam consuetudinem fuisse testatur, vt Apostolicæ Sedis Diaconus in Palatio Imperatoris permaneret, ad ea videlicet tractanda, quæ fidei & religionis essent.

Lib. 11. epist. 43. ad Phocam Augustum.

A De persecutionibus, quas Ecclesia Romana ob fidem Christi & sustinuit semper & vicit.
C A P. I I I.

Decimumseptimum Dei opus.



Imon Magus omnium hereticorum caput, quæ Ecclesiam perinde oppugnauit ac Romanam? & à qua tam ipse quàm discipuli eius perinde victi sunt atque à Romana?

Qui contra Pij, & Victoris decretum non in Dominico die, sed Luna decimaquarta festum Paschatis celebrabāt, siue Blasius Romæ, seu Polycrates in Asia, seu Quartadecimari aut in Britanijs aut alibi, nonne & Romanam Ecclesiam persecuti, & ad nihilum omnes redacti sunt, Romana interim fide tum per synodum Nicenam, tum per catholicarum gentium perpetuam obseruationem confirmata?

Nouatianus, qui primus in Ecclesia Romana cathedrâ schismaticam contra vnicam & singularem Cornelij Papæ cathedram erexit, quamquam longè lateq; hæresim suam de abroganda pœnitentiæ, hoc est sacerdotalis absolutio- nis sacramento, propagasset; tamen & ipse per Cornelium in concilio sexaginta Episcoporum Romæ acto de gradu suo deiectus est, & hæresis eius per fidem Ecclesiæ Romanæ ubiq; repressa est, & successores eius per Cornelij Papæ successores penitus ex vrbe Roma eieci sunt. Nam & Innocentius primus Nouatianos Roma eiicere cepit, multaq; eis ademit Ecclesias, & Cælestinus Pontifex penitus eos ex Vrbe exterminauit.

Qui baptizatos ab hæreticis contra Stephani Papæ decretum in Ecclesia rebaptizandos docebant, siue Firmilianus Episcopus in Cappadocia, seu Cyprianus in Africa, seu Donatistæ, seu Hilarius Diaconus, nonne per fidem Ecclesiæ Romanæ aut acta pœnitentia emendati, aut per conseruatam Sedis Apostolicæ vnionem (vt de Cypria-

Socrat. li. 7. c. 9. & 11.

Hieron. indialog. contr. Luciferianos. Vincent. Lirin. cōtr. hæret. 9.

Cyprian. no constat) veniam consecuti, aut in contumacia perseue- **D**
ad Iuba- rantes ex tota Ecclesia iam diu sunt abdicati?
ianum.

Aug. ep. Donatistæ cum à Melchiadis Papæ sententia, quam pro
48. 162. Cęciliano Episcopo Carthaginensi tulit, ad Imperatorem
166. Catechumenum adhuc, hoc est à Christi ministris ad non
 baptizatum Cęsarem in magnâ Christi contumeliam pro-
 uocassent; nonne penitus de mundo perierunt, stante sem-
 per & florente Ecclesia Romana?

Theod. Ariani & Eusebiani quâquam & Liberium Papam per
li. 2. c. 16 Constantium Imperatorem in exilium eiecissent, & Papâ
 Symmachum deponere conati essent, & Ioannem Papam
 per Theodoricum regem morte affecissent: & per totum **E**
 orbem Episcopos cum Papa Romano communicantes,
 Athanasium, Hilarium, Paulum, atque alios innumerabi-
 les afflixissent, idque ipsum in Ambrosium & Basilium
 conati essent: nonne tamen ipsi penitus deleti sunt, id-
 que potissimum Romani Pontificis opera & industria? nâ
 hoc ipsum Græci etiam historici fatentur, & clausa quidem
Soz. li. 3. prius Arianorum Ecclesia in vrbe Roma fuerat, sed B. Gre-
c. 12. & gorij tempore introductis B. Stephani, & S. Marthę reli-
li. 6. c. 10 quijs, in catholicę fidei vsus dedicata est. quo etiam sæculo
Greg. li. Ariana hæresi tam in Africa prius quàm postea in Hispa-
Dialog. 3 nijs extincta, vtrâsq; amplissimas prouincias Sedi Aposto-
c. 30. licę reconciliatas fuisse constat.

Sub In- Dioscorus Alexandrinus cum in Eutychemis archihære- **F**
stiniano retici gratiâ Leonem Papam excommunicare molitus ef-
Imp. & fet, à sexcentis patribus in concilio Chalcedonēsi ob hoc
Recare- ipsum depositus est & abdicatus.
do Visigo-

thorū re- Monothelitæ, & Iconomachicum non solum non obe-
ge. dirent sanctis Pontificum Romanorum & Conciliorum
Euagrius generalium institutis; verum etiam per hæreticos Impera-
li. 2. c. 18 tores Philippicum, Leonem, Constantinum, & alios vim
 Sedi Apostolicę facerent, vt illa quoq; in eorum blasphemias
 cōsentiret, Gregorius tributa Leoni denegauit, Leo
 tertius Imperij occidētis gubernationem in Carolum Ma-
 gnum transtulit. Cum autem Leo Gręcorum Imperator

Cedren^o
in cōpen-
diobist.

contra

A contra Papam emisisset classem, ea in Adriatico mari pe-
 rijt. denique Græcis in schismate persistentibus, ipsorum
 euersum est imperium; Romanæ verò Ecclesię primatus
 perseuerat.

Vualdenses, Vuicelistæ, Lutherani, Caluinistæ, quid
 aliud quærunt, quàm vt Ecclesię Romanæ primatum au-
 ferant? At ipsi interim de medio tolluntur. At Vualden-
 ses quidem religionis voto suscepto (vt Abbas Vspergen-
 sis tradit) non modò nulli iam sunt, verum etiam si alicu-
 bi essent à Lutheranis & Caluinistis, qui vota istiusmodi
 non ferunt, delerentur. Sectę autem reliquę se ipsas mu-
 tuo scindunt & lacerant, mutua ipsarum pernicie fidem

B Romanam stabilientes, & confirmantes. nam Omne re-
 gnum in se diuisum desolabitur. Papa interim ex illorum
 reprehensionibus melior, ex illorum iniurijs fit cautior.
 nam Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Nec hæreticorum modò, verum etiam Tyrannorum
 quascūq; persecutiones Apostolica Sedes in virtute Chri-
 sti deuicit.

A Nerone vsque ad Diocletianum vix quisquam Pon-
 tificum Romanorum fuit, qui non pro Christi fide marty-
 rium subiret. Mox Constantius, Iulianus Apostata, Va-
 lens, Iustina, Theodoricus, & alij Gothorum reges etiam
 sub Christianę fidei & Euangelij specie tã Episcopos Ro-
 manos, quàm eorum collegas afflixerunt.

Postea Imperatores Constantinopolitani (vt B. Grego-
 rij verbis vtar) in caput omnium Ecclesiarum Ecclesiam
 Romanam terrenæ ius potestatis vsurparunt, imposito vi-
 delicet tributo, quod is qui eligeretur in Pontificem, ante
 consecrationem suam persolueret.

Quin etiam Henricus Quartus, & Quintus, Fridericus
 primus & secundus, Oto quintus, Ludouicus Bauarus, Phi-
 lippus Franciæ, Ioannes Angliæ Pogebracius Bohemiæ re-
 ges, ac multi præterea Principes contra Sedem Apostolicã
 grauissimas persecutiones excitarunt; adeò vt ex Pontifi-
 cibus alios occiderent, alios tenerent captiuos, & alios ad

Inchbron.

Luc. 11.

Rom. 8.

*In 4. psal.
peniten.*

iniquissimas condiciones adigerent.

Postremò Saraceni, Turcæ, Mauri, quem ex principibus Christianis perditum magis cuperent, quàm Pontificē Romanum, cuius industria norunt Christianorum arma in ipsos maximè omnium torqueri?

Iam cū omnibus his persecutorum generibus Apostolica Sedes tam fortiter pugnauit, vt multos eorum Christo subiugauit, à nullo penitus victa sit.

Domesticis etiā viribus, ac non solùm externis Apostolica Sedes tentata est. Quoties aut ciuitas Romana, aut aliquis ex Principibus Romanis in Papā arma tulit? Quoties aditum hosti patefecit? Quoties in libertatem non Christi sed mundi se ipsam asserere conata est?

Vigintiquatuor schismata in ipsa Ecclesia Romana extiterūt, dum vnicam & singularem cathedram plures simul ambirent, nunc duo, nunc tres simul occuparent.

Vide Platinam.

A temporibus autem Formosi Papæ, & per aliquot deinceps annos, vnus Pontifex alterius aut electionem, aut decreta, aut consecrationem irritam facere conatus est; etiā in synodo sub Stephano septimo vi adhibita.

Hieron. in catalogo.

Quid de Guelphorum, & Gibellinorū factionibus? Marcellini thurificatione? Liberij, quamquam non vera, tamen etiā à sanctis viris credita subscriptione? Honorij Epistola Monothelitis fauente? Cælestini sententia de coniugis hereticæ repudio, & alterius acceptione, quam Innocentius reprehendit? Quid deniq; de grauissimis aliquot Pontificum peccatis dicam? quæ tamen omnia cum fortissima inferorum arma sint, numquam efficere

potuerunt, vt tam potenter à Deo stabilitus Ecclesiæ Romanæ primatus ex Ecclesia Christi auferretur.

D

E

F

A De vrbis Romæ dominio Episcopis Romanis acquisito. C A P. I I I I.

Decimum octauum Dei opus.

Pontifices Romanos vrbis Romæ nō solùm possessionem, verùm etiā dominium iam diu adeptos esse, & tranquillè adhuc tenere, nemo est qui neget aut negare possit.

Non potest autem dici, quòd in gladio suo possederunt terram, aut quòd brachium eorum saluauit eos. neq; uerò fuerunt terreni reges aut filij regum terrenorum, sed pastores ouium Domini, & filij piscatoris. Si ergo Israel qui succinctus exiuit ex Aegypto, & armatus intrauit in terrā Chanaam, prohibetur in corde suo dicere, Fortitudo mea & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt;

Psal. 43

Exod. 12

Ios. 1.

Dent. 8.

sed recordari iubetur Domini Dei sui eos, quòd ipse vires ei præbuit: quanto magis successores Petri, qui mare Mediterraneum in baculo suo transtulit, & sine baculo Romanam ingressus fuisse traditur, non in arcu & gladio, sed in verbo Dei, & in potentia Euangelij Iesu Christi vrbis Romæ dominium acquisiuerūt? Impleri enim oportuit quòd apud Esaiā prædictū erat, Stabūt alieni, & pascent pecora vestra: & filij peregrinorū, agricolæ, & vitatores vestri erunt.

Esa. 61.

Vos autem sacerdotes Domini vocabimini, Ministri Dei nostri dicetur vobis. fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis. pro confusione vestra duplici & rubore, laudabunt patrem eorum: Propter hoc in terra sua duplicia possidebunt: lætitia sepiterna erit eis. Quis magis pastor quàm Petrus, ad quem dictum est, Pasce agnos & oues meas? Quis alienior pastor aut gentibus quàm Petrus Iudæus, aut Iudæis quàm Petrus non de tribu Leui, ac neque de terra Iuda, sed Galilæus? Quis magis sacerdos Domini quàm primus Apostolorum, cui sacerdos secundum ordinem Melchisedech, significantissimè dixit,

Ioan. 21.

Galat. 2.

Act. 2.

Matt. 10

Tu

Ioan. 21 Tu me sequere. & iterum, Occide & manduca, quod utiq; **D**
Act. 10 sacerdotis est? Quæ magis fortitudo gentium, quàm Ro-
Esa. 25. ma, quæ caput erat populi fortis, ciuitas gentium robusta-
Hieron. rum, cuius etiam vocabulum Græcis fortitudinem, & ro-
cont. Io- bur significat? Quæ magis gloria gentilium quàm Vrbs or-
uinian. bis domina, Imperij potentissimi sedes & domicilium? Quapropter cum Petri successores dominium vrbs Romæ adepti sunt; tunc verissimè fortitudinem gentium comederunt, & in gloria gentilium illustres facti sunt. Stupenda quidem res, & supra quàm dici potest admiranda, ut cum potentissimi quiq; Imperatores per aliquot sæcula omnem vim suam in exterminandis ex vrbe Roma Pontificibus Romanis frustra explicassent, nunc è contrario **E** Pontifices Romani absque vlla vi Romanos Imperatores ex arce imperij sui semouerent, palatijs ipsorum Cæsariū, atque adeo tota vrbe in suam proprietatem conuersa. Digitus Dei est hic. Quæ enim alia huius rei ratio? Vtrum Imperatores, qui ne minimum aliquod Castellum suum in aliorum potestatem veniat, longissima, & acerrima bel- la gerunt, Romam non solùm Imperij, verū etiam totius orbis reginam pro derelicto habuerunt? Hoc si nemo prudens vniquem dicet, nec tamen vi aut dolo eieci sint; reliquum est, ut hoc tam magnum opus, Dei solius prouidentie tribuatur. Is enim est qui regna transfert, atque consti- **F**
Dan. 2. tuit. nam si nec passer sine voluntate eius in terram cadat,
Matt. 10 quanto minus Imperij potentissimi caput in alicuius potestatem absque definito Dei consilio potuit peruenire?

Quomodo Romani Pontifices vrbs Romæ dominium acquisierint.

Excepta donatione Constantini, de qua tamquam satis ab alijs contra hæreticos defensa, & explicata nihil nunc dicam, tribus ferè alijs gradibus Romani Pontifices ad obtinendum vrbs Romæ dominium peruenerunt.

1. Constantinus Magnus iam percepta fide Christi (quod Roma-

A Romani Pontificis opera factum esse ex Augustino planè *Tract. 7.*
ante fecimus) transijt ex Italia in Thraciam, vbi vrbs sui *in Ioan.*
nominis ædificauit, quæ dicebatur & Constantinopolis, & noua Roma. Vnde apparet Deum, noua Imperij sede Græciæ finibus erecta, & constituta, itemq; nouæ Romæ nomine eidem imposito non alio fuisse animo, quàm ut veterem Romam vellet deinceps non tam terreni, quàm cælestis Imperij sedem, ac domicilium esse. Hoc fuisse Dei consilium euentus ipse, qui ex his initijs originem duxit, abundè probauit. Ac neque Constantinus quidem videtur huius diuini consilij prorsus expers fuisse, cum Palatiū Lateranense in quo habitauerat, partim ædificauerit in tēplum Saluatoris, partim Romano Episcopo inhabitandū reliquerit, in quo eodem Palatio Patriarchium Romanum, seu Pontificale solium vsque in hodiernum diem consistit. Qui enim domicilium suum quod Romæ habuerat, tam in Christi honorem contulerat dedicadum, quàm Vicario Christi vtēdum donauerat, mox alio Sedem suam nomenq; ipsum Romæ transferens: quid aliud sensisse putabitur, quàm veterem Romam Christo & Christi Vicario se vacuā relinquere, nouamq; Romam sibi ac suis successoribus habitandam alibi deligere, atque adoptare? Vt cumq; sit, illud certū est, Imperatores Romanos minus frequenter postea Romæ habitasse, ut videlicet Populus Romanus propter Imperatorum absentiam eò magis inciperet Pontifices Romanos in oculis habere; eorumq; auctoritatem suspicere & venerari. Quorum etiam gloria non parum apud Romanos aucta est eo tempore, quo Hunni Duce Attila Italiam, Aquileia iam diruta inuaserunt. Tūc enim Leo Pontifex non humanis sed diuinis armis protectus Attilæ ad Vrbs festināti, ut re intentata discederet, incredibili eloquentia persuasit, eamq; calamitatem quam Romani Cæsaris Imperij gladio arcere non poterant, Petri clauibus ab Vrbe auertit, ut re ipsa ostenderet quanto tutiores Romani sub Petri, quàm sub Iulij Cæsaris successoribus futuri essent. Quin & antea Deus hoc ipsum Romanis

manis admirabili quadam ratione commendauerat. Cum enim Gothorum rex Alaricus Imperāte Honorio urbem Romam cepisset, edixit si quis Romanos ad Basilicas Apostolorum Petri & Pauli confugientes læderet, aut ipsa diuorum templa violaret, vt capitis poena id nefas lueret. Hoc nouo more factum, & inusitata rerū facie decretum esse tum admiratur Augustinus, tum Christi nomini, & Christiano tempori tribuendum meritò asserit. Hoc enim signo Romani admonebantur nec Imperij Romani ciuilem & sæcularem potentiam conseruare illos potuisse: & multo illis potentiores patronos Petrum & Paulum futuros, quàm Romani Cæsares vñquam esse possent. Hic ergo erat primus gradus ad obtinendum vrbs Romę dominium Episcopis Romanis à Deo præparatus, & constitutus.

Vbi verò Philippicus Imperator Monothelitarū hēresi contra sextam Oecumenicam synodum iniustè fauens obprauū dogmatis litteras ad Constantinum Pontificem Romanum datas, eòsque fidelium Romanorum animos cōtra se irritasset, vt palām decernerent Imperatoris hēretici neque nomen neque litteras, neque effigiē ne in nummis quidem expressam suscipi debere. itemq; Leo Iconomachus incensis Christi & Sanctorum imaginibus Pontifici Romano, vt similia faceret frustra mandasset, ex quo tam Rauennę, quàm Venetiarum exercitus Imperatoris iussioni resisterunt, tunc quidem Gregorius: secundus auctoritate sua interposita, nec minus fidei Christianę, quàm Imperij atque vrbs Romę patrociniō suscepto, cum Francorum Principibus foedus iniit, & tributa quę iam inde à tēporibus Iustiniani vrbs Roma Cōstantinopolitano Imperatori persoluebat, palā aperteq; denegauit. Hęc ita vt diximus gesta esse nemo qui veteres historias perlegerit, negare potest. Restat igitur, vt iniustè facta esse dicant qui Pontificis Romani potentiam apud suos traducunt. An ergo æquiore iudice quàm Deo ipso lis hæc definiri potest? bellum Pontifici ab Imperatore Iconomacho denuntiatum

De ciuit.
Dei lib. 1
c. 1. & 7

A tum est. Missus in Italiam contra Pontificem Paulus Exarchus, mox interficitur. Classis contra eundem Pontificē missa, in Adriatico mari perijt. in quo bello Antepharium Longobardorum Ducem Pontifici auxilia præbuisse Matthæus Palmerius refert. Denique Pontifex vicit, adeo vt non ita multo post Leo Tertius Carolum Magnum, qui etiam contra Longobardorum tyrannidem non semel urbem Romam Pontificum rogatu defenderat, Augustum diceret, Imperijq; diademate cum magno populi Romani applausu coronaret. Itaq; cum Romani viderent se non minus à Gręcorum iugo, quàm Lōgobardorum metu per Pontificum Romanorum auctoritatem egregiè defensos, & propugnatos esse, magis & magis in dies eis deferre atque obedire cœperunt. hic ergo est secundus acquisiti vrbs dominij gradus. Primū enim dum abessent Imperatores possessio Vrbs velut præscribēda Pontifici Romano relicta est. nunc verò dum Imperatores Constantino-politani omni iure, quod in Urbem obtendebant, priuantur, etiam proprietas Vrbs Pontifici Romano paulatim cessit.

Postremò cum propter iudicium Dei, quo Imperium occidentis à Pontifice Romano restitutum tot sæculis factum tectum conseruauit, etiam Michael Imperator Constantinopolitanus Nicephori gener missis Aquisgranum ad Carolum Magnum Legatis eodemq; salutato Imperatore, tam ab illo, quàm à Leone Papa libello pacis accepto, Pontificis Romani in Imperio transferendo factum approbasset, ratumq; habuisset; quid iam relinquitur nisi, vt vrbs Roma etiam orientalium Imperatorum confessione Pontificij iuris & sit & habeatur, nisi fortè quisquam dicet eandem ipsam Urbem post Imperij translationem Caroli Magni, & successorum eius ditioni subiectam esse debuisse? At si quid iuris penès Carolum, & Caroli posteros in vrbe Roma fuit, aut esse debuit, id ipsum Ludōnicus Imperator B. Petro & successori eius, qui tunc Pontificatum administrauit Paschali, vnā cum Du-

Ado in
chron.

Apud
Gratian.
in decr.
dist. 63.
Ego Lu-
donicus.

catu suo & ciuitatibus, oppidis, castellis & villis concessit; idque non tamquam tunc primū inciperent Pontifices Romani horum ius consequi, sed sicut, inquit, à prædecessoribus vestris vsque nunc in vestra ditione & potestate tenuistis.

Quocumque igitur tempore Pōtiffices primū adepti sunt in ciuitate Romana; certissimum est, quod à temporibus Ludouici Cæsaris, qui erat filius Caroli Magni, dominium vr̄bis Romæ plenissimo iure nacti sunt. Et si enim ciues Romani conati interdum sunt ius aliquod sibi supra mensuram ipsis præscriptam in Vr̄be administranda vendicare: tamen Deus Pontificis causam contra illos semper tutatus est, uti iam res ipsa loquitur.

Cogitet nunc secum qui operum Dei admirator esse vult, (omnes autem velle debent) quanta hæc sit rerum vicissitudo, ut Pontifex Romanus, quem Romani Cæsares, ne minimum quidem locum in Vr̄be obtinere volebant, eorum ipsorum locum obtineat, factus omnium primus, Vr̄bisq; illiusque orbem rexit, gubernator & dominus. Quod non ob alium finem à Domino factum est, quàm ut Iesu Christi nomen & Euangelium per Vicarij eius honorem toti mundo redderetur.


Primi Cæsares Christum ignorantes extinguere volebant Pontifices Romanos, totamq; Christi fidē & semen. His talem vicem reddidit Christus, ut eosdem Cæsares omnemq; eorum religionem & cultum per Pontifices Romanos eradicauerit & deleuerit.

Imperatores Græculi tam parum Christi Vicario detulerunt, ut non alium in cathedra Petri ad aliquot annos sedere passi fuerint, quàm qui ob inthronizationem suam certa pondo auri Constantinopolitanis Cæsaribus persoluisset.

His etiam talem vicem Christus reddidit, ut per Vicarium suum Pontificem Romanum magna eos imperij parte priuauerit.

A Admirabili prouidentia Dei factum esse, ut Petrus Abrahæ, successores Petri successoribus Abrahæ tam in sacerdotij principatu, quàm in alijs permultis pares forent, & velut ex altera parte responderent. Cap. V.

Decimum nonum Dei opus.

B  Ilitantis Ecclesię Christi diuinitus instituta, & sapientissimè gubernata societas, sub triplici, nature, circumcisionis, & Euangelij statu ab initio mundi vsq; ad finem ita decurrit, ut non solum singuli status communem omnibus vnus mediatoris Iesu Christi fidem & gratiam variis tum personis, tum figuris annuntient; verum etiam alter eorum alteri diuina planè dispensatione respondens, vnam eademq; Dei veritatem admirabili quadam testimoniorum vicissitudine commendet. 2. Cor. 4.

C Quis neget primogenitę ouium, quę pastor Abel sub lege nature in holocaustum obtulit, arietem inter vepres herentem cornibus, quem post institutam circumcisionē pastor Abrahā pro filio in holocaustum obtulit. Deniq; agnum Dei tollentem peccata mundi, quem in statu Euangelij Ioannes Baptista demonstrauit, quemque Ecclesia Christi mysticè per totum mundum quotidie in commemorationem mortis Christi offert, pares vices reddere aptissimeq; respondere? Ioan. 1.

Translatus Enoch de terra in lege nature; translatus de terra Elias sub lege circumcisionis; translatus de terra Christus in lege gratię; nunquid alter status ad alterum, tertius ad vtrumq; non clamat? Et Christi membra quotidie transferuntur de morte peccati ad viam fidei, & de morte corporis ad animę gloriam. Præcessit diluuiū Noe Gen. 5. 4. Reg. 2. Luc. 24. Act. 1.

D in lege naturæ, quod omne, quod mouebatur super terram consumpsit. Subsecutum est mare rubrum in lege circūcisionis, in quo deleti sunt Aegyptij omnes, qui persequebantur filios Israel.

Exod. 14 *Zach. 13* *Act. 2. 2.* *Galat. 4. 5.* *2. Pet. 3.* Aperitur nunc in statu gratiæ fons patens baptismi, in quo abluuntur peccata, & opera carnis, quæ persequebantur eum, qui secundum spiritum natus est. Et tamquam hæ tres diluuiorum vicissitudines nõ suffecissent, expectamus

& quartum ignis diluuium, quod terram & opera quæ in ipsa sunt exuret, vt nouis cælis, & nouæ terræ locus sit, in quibus iustitia habitat. Paradiso qui præcessit in lege naturæ subseruit terra promissionis in lege Mosaica; plenius

Gen. 2. *Ios. 13.* *Gen. 10.* *Gen. 11.* *E* respondēt internæ fidelium delitiæ in statu Euangelij, plenissimè satisfaciet paradiso cælestis in statu gloriæ. Filij Noe & nepotes in terra sub lege naturæ erant ferè septua-

Epipha. cont. hg. res. *Gen. 46.* *Num. 11* ginta. vnde & totidem primas fuisse gentium linguas doctissimi Patres tradiderunt, & animæ domus Iacob, quæ sub lege circūcisionis ingressæ sunt in Aegyptum, erant ferè septuaginta. Totidem erant senes, quibus Deus de spiritu Moysis in deserto tradidit. totidem interpretes legis

Luc. 10. *F* Mosaicæ; totidem etiam discipuli Christi sub lege gratiæ; præter duodecim Apostolos, qui duodecim filiis Patriarchæ Iacob, & duodecim tribubus filiorum eius, ex æquo respondent. Matthæus Euangelista cum generationem Christi non nisi ab Abraham repetiisset, mysterium tamē

trium teste radicandum non omisit.

Matt. 1 Omnes, inquit, generationes ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim, & à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, generationes quatuordecim, & à transmigratione Babylonis vsque ad Christum generationes quatuordecim. Nec refert quod à Dauid ad transmigrationem quæ in Babyloniam fiebat, plures futuræ erant generationes, si omnes Iudæorum reges Matthæus ordine recensuisset, nullo penitus prætermisso. Nam & Spiritus sanctus de paruo quopiam discrimine non curat, & quò

certius est Matthæum quosdam reges omisisse, vt mysterium

rium

A rium non omitteret, eò magis docuit in rerum sacrarum collatione potius caput, & summam totius rei, quàm minimas nescio quas particulas, quæ discrepare videntur, spectandas esse.

Iam verò hæc quatuordecim generationes, quæ sibi mutuò respondent, si omnes simul coniungantur, non ne & quadraginta duæ generationes sūt, & totidem filiorum Israel mansionibus in deserto adæquantur? Quid est quod fuit? ipsum quod futurum est. Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est. Nihil sub sole nouum; nec valet quisquam dicere, Ecce hoc recens est: iam enim præcessit in sæculis quæ fuerunt ante nos. Ideo omnis scriba

Num. 33 *Eccles. 1* *Matt. 13* **B** doctus in regno cælorum, similis est homini patris familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera: vt dū hæc illis, & illa his mutuū dicunt testimonium, interim Testimoniā Domini credibilia fiant nimis. Quod enim prius

Psal. 92 vel rerum figuris, vel prophetatum verbis in antiquo vel naturæ vel circūcisionis populo præcessit, hoc dum in statu gratiæ iterum succedere, & de nouo confirmari videmus; infideles planè & infidelibus deteriores sumus, si tantam Dei lucem aspicere atque intueri obstinatis animis recusamus.

Quibus ita constitutis, ad propositam nobis Petri, atque Abrahæ collationem iam accedemus.

C Principio scriptū est, vnū diē apud Deū esse quasi mille annos, & mille annos sicut diē vnum. Hinc mundus, qui quodam in loco simul conditus esse dicitur, alibi sex diebus legitur fabricatus: quod videlicet tantū sex annorū millibus (vt B. Hieronymus refert) credatur subsistere: *2. Pet. 3.* *Psal. 80.*

post quos annos sabbatismus & populi Dei requies æterna subsequetur. *Eccles. 18.* *Gen. 1.*

Iam si hos sex mille annos, qui tam ob senarij, quàm ob millenarij numeri maximam perfectionem, satis expressum sanctissimæ Trinitatis vestigium continent, in tres partes distribueris, primos bis mille annos ius naturæ sibi vendicabit, alteros bis mille circūcisio, & subsecuta Moysis

lex

Mat. 24. *Act. 1.* *Gen. 5. 11* *Exod. 6.* *Gen. 12.* **D**
 lex arripiet; tertios bis mille Christi Euangelium sibi sumet; nisi quod propter electos breuiabuntur dies isti, secundum illa momenta, quæ solus Deus nouit, & in sua posuit potestate. Ac nimirum si temporum atque ætatis mundi rationem quatenus ex scripturis iniri potest, non nimis exquisitè (in quo frustra quidam Hieronymi etiam iudicio laborant, cum sacræ litteræ non plerumq; dies & menses, verum annos dumtaxat vitæ hominum ascribant) sed velut crassa quadam Minerua subduxerimus; reperimus ab Adam vsque ad tempus illud, quo Abraham ex Vr Chalæorum euocatus, & in noui populi ducem accitus est, bis mille annos transiisse; qui meritò legi naturæ tribuuntur.

Act. 15. *Act. 1.* **E**
 Secundi verò bis mille anni circiter transmigrationem Abrahamæ inchoati, & penès omnes sub lege circumcisionis transacti, vsque ad Christi resurrectionem porrigitur, aut etiam vsque ad pleniorē Euangelij promulgationē, & concilij Hierosolymitani confessum, in quo definitum est, circumcisionem & veterem legem cessare, nec eos qui credunt in Christum iam debere amplius necessariò circumcidi. Nam ipsa momenta, in quibus aut primi bis mille anni desierunt, aut secundi vel inchoati sunt vel desierunt, Deus in sua posuit potestate; nobis autem occulta esse voluit: qua etiam de causa generaliter in his rebus, & non nimis definitè loquendum arbitramur. Iam quem admodum occulta scrutari non expedit, sic manifesta Dei consilia negligere non oportet. Res autem ipsæ loquuntur secundos bis mille annos, circa Christi mortem & resurrectionem expirasse; Itaq; tertij bis mille anni circiter Christi ascensionem inchoati, adhuc in suo cursu pergunt. Singuli verò bis mille anni (præter Christum vniuersalem omnium ducem) singulos habuere suos primarios duces in terra, quos pro tempore videre & alloqui semper licuit. Tales in lege naturæ fuerunt Adam, Seth, Enoch, Noe, Melchisedech: in lege autē circumcisionis, Abraham, Isaac, *Gen. 5.* *Gen. 17.* Iacob, Leui & posteri eorum pontificatu secundum ordinem

- A** nem Aaron fungentes. Nunc autem quæritur, quis id officij primùm ac potissimùm gesserit in lege noua, quod vel Adam in lege naturæ, vel Abraham in lege circumcisionis obiuit: quis inquam fuit primus Ecclesiæ Christianæ pastor & dux; nonne idem qui primus fuit Apostolus? is autem erat Simon Petrus, cui sanè tam multa sunt cum Abrahamo cōmunia, vt si omnia alia argumenta deficerent, tamen hoc vnum abundè conuinceret, vt olim penès Abraham & Abraham semen, primatum Synagogæ extitisse; sic nunc penès Petrum & Petri successores visibilem Ecclesiæ primatum esse debere.
- B** Primùm, vt Abraham decimas omnium dedit Melchisedech sacerdoti Dei altissimi, cuius dierum neque initiū neque finis in figuram Christi legitur: sic & Petrus diuinitatem Christi confessus, eo ipso illum ante omnes alios agnouit sacerdotem in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Gen. 14.* *Heb. 7.* *Mat. 16.* *Heb. 7.* *Psal. 109.* *Gen. 14.* *Mat. 16.*
- Deinde vt Melchisedech maximè omnium benedixit Abraham; sic & Christus Petrum maximè omnium laudauit, & beatum pronunciauit.
- Tum autem Abraham primus omnium mortalium legitur circumciscus: vnde circumcisio dicitur in Euangelio non ex lege Mosayca, verum ex patribus extitisse. noui autem testamenti circumcisio baptismus est, vnde Paulus vocat baptismum, in quo simul cum Christo conssepelimur, circumcisionem non illam, quæ manibus hominum fit, in qua corporis caro abscinditur, sed circumcisionem Christi, quæ fit sine manibus, dum corpus (hoc est vniuersitas vitiorum carnalium) abscinditur & amputatur. *Gen. 17.* *Coloss. 2.*
- Petrus verò primus omnium mortalium meritò creditur baptismo Christi donatus; adeò vt Euodius eiusdem Petri in Antiochena Ecclesia primus successor, in Epistola, quam lumen inscripsit, referat, Petrum tantummodo ipsius Christi manibus baptizatum fuisse. Petrum deinde baptizasse Andream, & Zebedei filios, qui postea ceteros baptiza-

baptizarint Apostolos, & hi rursus reliquos Domini discipulos. D

Ioan. 13. Apostolos autem baptismo Christi lotos fuisse, Augustinus ex illis Euangelij verbis rectè concludit, quibus ad Petrum Dominus ait, Qui lotus est (videlicet Christi lauacro quod est baptisus) non indiget, nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. & vos mundi estis. Atque vt idem Augustinus animaduertit, Christum in vltima cēna primū omnium ad pedes Petri lauandos accessisse; sic etiam merito credimus eundem Petrum vt potè primum Apostolorum, baptismo Christi primum omnium fuisse perfusum, vt in hoc ipso par Abrahę atque æqualis fuerit.

Matt. 10. Imò etiam tanto superior saltem sacramento tenus, quanto circumcisio spiritus vincit circumcisioē carnis. E

Gen. 17. Abraham post acceptum Dei oraculum primus omnium iussit familiam suam circumcidi.

Act. 2. Et Petrus post acceptum spiritum sanctum, primus iussit eam multitudinem, quę ad Apostolos apposita & Christi familia facta est, in remissionem peccatorum baptismo Christi lauari, quod est spiritualiter circumcidi.

Rom. 4. Abraham fuit pater circumcisionis.

Gal. 2. Et Petrus fuit Apostolus circumcisionis: ille iuxta carnem, hic iuxta spiritum. Oportebat enim, vt vera natiuitas Christi, qui secundum carnem ex lumbis Abrahę originem sumpturus erat, per signum in membro generatio-

Heb. 7. nis constitutum testata fieret. Ceterum postquam Christus iam aduenerat in ea distributione orbis terrarum, quā Apostoli sortitò fecerant, Petrus eam sortem velut omnium primam & dignissimam accepit, vt circumcisionem, hoc est semen Abrahę secundum carnem, in spiritalem semen Christi conuerteret: quodq; Abraham mundo, & legi Moisaicę genuerat, hoc Petrus Christo, & legi Euangelicę per administrationem gratię Christi regeneraret. Ac Deus quidem operatus est Petro in Apostolatū circumcisionis, id est felicem ei successum in Iudæis ad Christum conuertendis dedit, vt conuerteret cor fratrum ad filios, & cor filio.

A filiorum ad patres eorum, veniens in spiritu & virtute Abrahę. *Math. 3.*

Abraham adhuc in præputio per fidem iustificatus, non Iudæorum modò, sed & omnium in præputio credentium factus est pater. quamuis postea in honorem Christi ex B. Virgine Maria circumcisionis filia carnem sumpturi circumcisionem signaculum iustitię fidei accepisset. *Gen. 15.*
Rom. 4.

Petrus etiam Cornelio Centurione, ac domo eius tota, quę in præputio semper mansit, fidei primū mysterijs Dei iussu imbuta, deinde & in Christi nomine baptizata, quāquam postea ex sortis suę principatu (in honorem Christi ex circumcisionis filia nati) circumcisionis Apostolus di-

B ctus est: tamen prius tam verbo, quàm facto declarauit iustificationem Abrahę in præputio acceptam non ad solam circumcisionem restringi, verum etiam ad præputium extendi, palam docens corda credentium, etiam si gentes fuissent, fide purificari, absque eo quod circumcidi necesse haberent. Sicut ergo Abraham natus ex gentibus in circumcisis iuxta carnem, ex Deo autem iuxta spiritum renatus, circumcisione carnis accepta, iuxta illud quidem signum, Dei eloquia, testamenta & promissa coarctauit ad populum vnum, qui ex Isaac, & Iacob nasceretur, secundum priorem verò fidem ad omnes gentes in Christum credituras extendi debere docuit: sic Petrus è contrario *Gal. 2.*
Act. 10.
15.
Gen. 11.

C iuxta carnem ex Iudæis circumcisis natus, iuxta spiritum ex baptismo Christi renatus circumcisionem carnis in circumcisionem spiritus vocatione ac ministerio suo primus omnium transferens, eloquia, testamēta & promissa Dei, adoptionemq; filiorum de vnus populi angustijs (quod & Hieronymus animaduertit) ad latitudinem præputij reduxit, vtrumque mysterium quod in Abrahę vel præputio, vel circumcisione præcesserat perfectè adimplens; imò & ad maiorem perfectionem reuocans, dum vbi Abraham vltimo desijt, ibi primū cœpit Petrus, nempe à circumcisione; & vnde primū Abraham iustificatus est (nempe in fide præputij sui) eò tam Iudæos quàm gentes Petrus ad *Act. 10.*
Rom. 4.

ultimum reduxit; vt quos populos Abraham signo circū-
 cisionis à se mutuò disiunxerat & separauerat, Iudæos à re-
 liquis gentibus distinguens, eos Petrus eodem baptismi
 signo in fide Christi vtrifq; populis communicato iterum
 coniungeret, & adunaret, quo impleretur verbum Christi
 dicentis, Et fiet vnum ouile & vnus pastor. Vnus quidem
 pastor fuit Abraham, sed dumtaxat Iudæorum, non etiam
 gentium. primus enim gentium pastor Sem filius Noe,
 qui & dictus est Melchisedech, semper dum viueret man-
 sit, etiam cum Abraham post acceptam à Melchisedech
 semper dum viueret mansit, etiam cum Abraham post ac-
 ceptam à Melchisedech benedictionem, in noui populi
 ducem segregabatur. Itaque gentes de proprio ouili A-
 brahæ non fuerunt, ex quo & Christus de ouili Abrahæ,
 hoc est de populo Iudæorum loquens, alias, inquit, oues ha-
 beo, quæ non sunt ex hoc ouili, nimirum ex ouili Abrahæ
 vnde Iudæi erant; & illas oportet me abducere, & vocem
 meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor.

Prius audiēt gentes vocem Christi, & postea fient vnū
 ouile: sed quomodo audierunt gentes vocem Christi? non
 ne primum per Simonis Petri prædicationem? Is enim
 Cornelium, qui fuit primitiæ gentium, docuit fidē Chri-
 sti; nec id tantum, sed etiam ex Dei consilio de cælo per
 Angelum reuelato Petrus ad hoc ipsum vocatus & electus
 est, vt ille potissimum fidem Christi primus omnium mor-
 talium gentibus prædicaret. Vnde Petrus ipse in concilio
 Apostolorum dixit, Deus elegit per os meum audire gen-
 tes verbum Euangelij & credere. Si ergo per ministeriū
 Petri gentes, quæ prius non erant ex ouili Abrahæ, audie-
 runt Christi vocem, vt fieret vnum ouile & vnus pastor,
 vtique & vnum illud ouile, de quo Christus egit, Iudæi &
 gētes sunt in vna fide, & vno baptismo coniuncti, sic vnus
 ille ministerialis pastor, de quo Saluator noster tunc egit,
 Petrus erat alter Abraham secundū gratiam personæ, ma-
 ior illo secundum officij ministerium. Abraham diuisit
 Iudæos à gentibus, Petrus gentes cum Iudæis coniunxit.

Circum-

A Circumcisio igitur, quam solis ex suo semine nascituris Iu-
 dæis ministravit primus Abraham, fuit sacramentum sepa-
 rationis. At baptismus Christi (quem Petrus tam Iudæis
 quàm gentibus in Christum credētib; omnium Aposto-
 lorum primus ex Dei prædestinatione ministravit, sacra-
 mentum est adunationis & vnitatis. beatius igitur est mini-
 sterium Petri, quàm Abrahæ.

Deus nomen auxit Abrahæ, auxit & Petro: Non vltra,
 inquit, Abram, sed appellaberis Abraham: & ad Petrū ait,
 Tu es filius Ionæ, & vocaberis Cephias.

Deus ipse noui nominis, quod Abrahæ imposuit, digna-
 tus est rationem reddere, cum diceret ad eum, Appellabe-
 ris Abraham, quia patrem multarum gentium consti-
 tui te.

Christus etiam noui nominis, quod Petro imposuit, ra-
 tionem reddidit, dicēs, Tu es Petrus, & super hanc petram
 ædificabo Ecclesiam meam, perinde ac si dixisset, tu appel-
 laberis petra, quia super te velut super firmam petram ædi-
 ficabo Ecclesiam meam.

Quid, quòd nouum illud nomen tam Abrahæ, quàm Pe-
 tri, non diuersum, sed re ipsa vnum prorsus, atque idem
 est? nam idem penitus est multarum gentium, quæ fidem
 Christi colunt, patrem constitui, & Ecclesiam Christi, quæ
 ex multis fidelibus populis constat, supra se ædificatam
 habere. porrò illud Abrahæ, hoc Petri est nomen. Pater
 fundamentum est filiorum, & filij sunt ædificium, quod
 super patrem ædificatur. Vnde filius Hebræis dicitur Ben,
 id est ædificium. Quapropter cum Ecclesia Christi ex mul-
 tis gentibus, quæ in Christum credunt, in domum quandā
 spiritalem congregentur; idem omnino est harum gentiū
 seu patrem per fidem, seu patrem & fundamentum per pa-
 storale fidei officium esse. Itaque & Abraham est petra Ec-
 clesiæ, & Petrus multitudinis credentium pater.

Quid multis? ipsum petræ nomen secundum litteram
 non minus Abrahæ quàm Petro attribuitur, Esaia dicente,
 Attendite ad Petrum, vnde excisi estis, attendite ad Abrahā

Hh 2 patrem

Act. 2.
& 10.Gen. 17.
Ioan. 1.

Gen. 17.

Matt. 16

Gen. 17.
Matt. 16

1. Tim. 3

Esa. 51.

patrem vestrum. ergo & Abraham Cephas, ac petra est, nō minus quā Petrus est Abraham, mira vicinitas & nominis & vocationis.

Gen. 13. Abraham habuit greges ouīū, sicut & Lot frater ipsius, & facta est rixa inter pastores illorum.

Ioan. 21 Et ad Petrum Dominus ait, Pasce agnos meos, pasce

Luc. 22. oues meas. Vbi ne rixa inter pastores fieret, vnus Petrus plus alijs diligens fit maximus, & primus omnium pastorum, quos Christus gregi suo dedit.

Esa. 51. Vni Abrahę dictę sunt promissiones, Quia vnum vocaui eum, ait Dominus, & benedixi ei, & multiplicauī eum.

Luc. 22. Vni etiam Petro dictę sunt promissiones, Christo ad eum dicente, Ego rogauī pro te, vt non deficiat fides tua.

Ioan. 1. Tu vocaberis Cephas, hoc est Petra, & super hanc petrā *Matt. 16* ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. & tibi dabo clauēs regni cęlorum. Ecce quanta vni Petro sunt promissa.

Gen. 17. Promissiones ad Abraham dictę, non propter solum ipsum dictę sunt, sed propter semen ipsius, in quo benedicendę erant omnes gentes.

Et promissiones ad Petrum dictę non propter ipsum solum, sed propter fratres eius, & Ecclesiam totam dictę sunt.

Matt. 16 Vnde Christus ad eum ait, Super hanc petram ædifica-

Luc. 22. bo Ecclesiam meam: Et tu aliquando conuersus confirma

Ioan. 21 fratres tuos, pasce oues meas.

Cap. 44. Non est inuentus, inquit Ecclesiasticus, similis Abrahę in gloria. Et Christus ad Petrum ait, diligis me plus his?

Ioan. 21 Quis ergo in gloria similis Petro, qui plus ceteris dilexit?

Abraham fuit primus Hebręę gentis Patriarcha, vt etiā Hieronymus eum vocat.

Matt. 10 Et Matthęus Euangelista Petrum vocat primum Christi Apostolum.

Gen. 12. Deus Abraham de terra sua, & Petrum quoque de sua

terra

A terra eduxit. Ac Abraham quidem de Vr Chaldęorum in Haram primū, deinde in terram Chanaam educus est. *Ibidem.*

Petrus verò inde iter suum arripens, vbi Abraham id absoluit; de terra Chanaam profectus est primū Antiochiam, deinde autem Romam. Quemadmodum verò mundus ad finem suum magis magisq; appropinquat: sic vterq; eorum oriente relicto, qui velut aurora mundi est, magis magisq; ad occasum tendebat.

Nec Abraham terrę Chanaan, nec Petrus vrbs Romę possessionem dum viuerent acceperunt, nisi quòd ille in Ephron, Petrus autem in Vaticano sepultus fuit. *Gen. 25.*

B Licet Abraham plures haberet vxores, & ex illis plures *Gen. 22* *Gal. 3.* liberos: tamen in vno Isaac, quem iam senex genuit, vocatum est ei semen, cui etiam cuncta quę possederat dedit.

Et quamquam Petrus tenuisset plures Ecclesias, & illi plures cathedras, tamen in vna Romana cathedra (quam & vltimam accepit, & in qua ex Christi voluntate ad portam Romanę vrbs ei reuelata vsque ad finem mundi requiescit) promissionis verba potissimū cōseruantur. Vnde etiam soli Clementi potestatem clauium à Domino sibi traditam commisit. *Ambros. epist.*

Post mortem Abrahę afflictum est semen eius vehementer à regibus Aegypti. *Exod. 12.*

C Et Petri quoque spiritale semen ab Imperatoribus Romanis post Petri mortem vehementissimè afflictum est.

Quò magis vel filij Abrahę in Aegypto, vel Petri successores in Vrbe affligebantur, eò magis multiplicabantur & crescebant. *Exod. 13.*

Quarta generatione post mortem Abrahę liberati sunt filij eius de seruitute Aegypti, submerso Pharaone, dum Moyse eleuaret Domini virgam, & extenderet manum contra Aggyptios in figuram Christi super signum Crucis eleuati, & extensi. *Exod. 14.*

Et quamquam paulò breuiore temporis intervallo, sicut prædictum est, dies qui ad nouissimam noui Testamenti horam spectant, breuiandos fore: tamen dum quarta ætas à die-

à diebus Petri adhuc instaret, liberati sunt Petri successores cum grege suo à persecutione tyrannorum Maxentio in Tybri ad pontem Miluium submerso, dum Constantinus in signo Crucis Christi eum vinceret, ac debellaret. An ista fortuitò accidere & casu quodam sibi mutuò respòdere potuerunt?

Exod. 1. Semen Abrahę antequam exiret de Aegypto, formam reipublicę non assequatur, sed sub tyrannis agebat in Aegypto.

Nec Petri successores vmquam poterant Oecumenicā synodum indicere, aut Episcopos & Patres omniū Ecclesiarum (in quibus potissimū cernitur Christianę reipublicę maiestas) ex toto habitabili orbe conuocare, antequam à persecutore, iugo & tyrannide per Constantinum Magnum liberati fuissent.

Exod. 25 Post egressionem filiorum Israel de Aegypto, populus Iudaicus in reipublicę formam redactus est. Nam & arca fœderis, & tabernaculum est factum, & lex promulgata, & cęremonię constitutę, & iudicia pręscripta.

Vide hist. Theodoret. l. 1. cap. 2. Eodem modo tyrannorum persecutione cessante, cum Christiani velut ex Aegypto exiissent, tēpla & altaria per totum orbem impunè sunt publiceq; erecta, & solemniter consecrata; Euangelium liberè promulgatum; cęremonię rerum sacrarum auctę, iudiciorum Ecclesiasticorum formulę pręscriptę, immunitates Ecclesiis datę.

Deut. 7. Postquam semen Abrahę terram Chanaam possidere cœpit, aras idolorum subuertit, statuas confregit, lucos succidit, sculptilia combussit.

Et postquam Petri successores liberam diuini cultus professionem adepti sunt, Constantini permissu arę idolorum subuersę, sculptilia combusta, & statuę sunt contractę.

Ios. 13. Quemadmodum verò terra promissionis inter duodecim tribus Israel per Iosue diuisa est: sic & administratio Ecclesię per Petri successores, & ipsorum Coepiscopos in prouincias, dioeceses, & parochias multo quàm antea, & liberius

A berius & vniuersaliter distributa est, potissimū in Concilio primo Nycęno, cui Papa Siluester; & primo Constantinopolitano, cui Papa Damasus per legatos suos pręfuit.

vide hist. Socratis. lib. 5. cap. 8.

Post acquisitam terrę possessionem sepe traditi sunt filij Israel in manus aduersariorum, qui affixerunt eos.

Iud. 1.

Itemq; post permissam à Constantino fidei Christianę liberam professionem, surrexerunt Imperatores hęretici, vt Constantius, Valens, Iustina, Iulianus apostata, Theodoricus, & alij Ariani, qui vehementer affixerunt Catholicam Ecclesiam, & Sedem Apostolicam.

B Verum vt Iudęis Deus interim suscitauit multos liberatores, sic etiam dedit Christianis Iouinianum, Theodosios, Honorium, & Martianum, qui eos recrearent, & defenderent.

Ab ingressu filiorum Israel in terram Chanaam, quadringenti ferè anni transferunt, antequam vrbs, & Arx Hierosolymorum eiectis Iebusęis deuicta penitus esset & subiugata.

Itemq; post liberam Romanę vrbs habitationem Petri successoribus à Constantino Magno permissam, quadringenti ferè anni pertransferunt, antequam infidelibus omnino ex vrbe Roma eiectis, aut extinctis, tota ciuitas penitus Christo subderetur, ac in plenum successorum Petri dominium sub Ludouico Pio concederetur.

Quod erga semen Abrahę tuendum & propagandum David & Salomon fuit, hoc erga successores Petri tuēdos, & propagandos fuerunt Pipinus, Carolus Magnus, & Ludouicus Pius.

Quod post regni Iudaici diuisionem, in semine Abrahę dispergendo & in schismata pertrahendo, Samaria fuit, hoc idem post orientalis Ecclesię ab occidentali discessionem in persequendis Petri successoribus, & schismate propagando, Constantinopolis extitit.

3. Reg. 12

Euersi sunt Samarię reges, eo quòd domum Davidis (cui Deus promissiones iam prius Abrahę factas renouauit)

4. Reg. 17

uit) & templum Salomonis reliquissent. **D**
 Et Constantinopolis Imperatores euerſi ſunt primūm
 à Flandris & Venetis, deinde etiam à Turcis, eo quòd
 vnitatem Sedis Petri, & ſacerdotalis vinculi nexum de-
 ſeruiffent.

1. Paralip. 3. Regia tribus Iudę vnà cum Iofedech Sacerdote ſummo
 in Babyloniam translata eſt, vbi cum per annos ſeptuagin-
 ta egiſſet, Deo ſpiritum Cyri excitante, in terram promiſ-
 ſionis ſub Ieſu ſacerdote magno redijt.

Vide Pla- Itemq; Clemens Quintus Pontifex Romanus natione
 tinam. Vaſco, habitationem ſuam ab vrbe Roma in Auiniū Gal-
 lię vrbe tranſtulit, vbi ſucceſſores Petri videlicet, Cle-
 mens Quintus, Ioannes Vigefimus ſecundus, Benedicūſ
 Vndecimus, Clemens Sextus, Innocentius Sextus, & Vr-
 banus Quintus per annos penè ſeptuaginta conſtiterunt, **E**
 donec Deus ſpiritum S. Catharinę Senenſis, & aliorum
 piorum excitans, Gregorio Vndecimo perſuaſiſſet, vt is
 Romam reuerteretur, quod & fecit. Quis hanc transla-
 tionem dicat hominum & non potius occulto Dei confi-
 lio factam eſſe? aut quomodo Clemens Quintus, qui tranſ-
 lationis auctoꝝ fuit, præſcire potuit tot dumtaxat ſucceſſo-
 res ſuos tanto tempore Auinij manſuros eſſe? Non ſunt
 hæc humanę præſciētię aut diſpenſationis opera: ſed quod
 Deus prædeſiniuerat, & in ſemine Abrahę ante monſtra-
 uerat, id ipſum in Petri ſucceſſoribus compleri oportuit: **F**
 quia hoc nobis eſt Petrus, quod Iudæis fuit Abraham. hoc
 nobis Roma, quod illis Ieruſalem.

Gen. 49. Vt autem paulò ante primum Chriſti aduentum deſe-
 cit ſceptrum de Iuda, & ad Herodem paterna origine A-
 ſcalonitam, materna verò Arabem iuxta prophetiam Ia-
 cob translatum eſt: ſic & paulò ante ſecundum Chriſti
 aduentū, quātum de tam occulto myſterio ex ſacris libris
 loqui & conijcere fas eſt, deficient etiam ſceptrum de oc-
 cidentis Imperatoribus; & ad Antichriſtum transferetur;
 1. Theſ. 2 ſicut Paulus ait, filium perditionis, Antichriſtum, minimè
 reuelatum iri, niſi venerit diſceſſio primūm (à Romano Im-
 perio)

A perio) & is qui nunc imperium tenet, de medio aufera-
 tur. Cum autem anguſti ſint hodie huius imperij fines,
 quantumq; ipſius poteſtas ſchiſmatis, ac hæreſecōn ma-
 lo, eas maximè prouincias, quibus imperij dignitas con-
 tinetur, occupante, in dies imminuatur, ſapientes facilè
 cernunt; ex eoq; probable exiſtimant, imperij occiden-
 talis ruinam inſtare, & Antichriſtum in foribus adeſſe.

Certè quemadmodum præcipua Synagogę cathedra, &
 vnicum templum in Ieruſalem (vbi Abraham filium ſuū **Gen. 22.**
 olim volebat immolare) vſque ad primum Domini aduen- **Mat. 23.**
 tum conſtitit; nec Dei foedus cum Abraham initum, vllis
 Iudæorum peccatis irritum fieri potuit; ſic omnino pri-
 mus aliquis paſtor & Eccleſia fidelis ei adhærens in cathe-
 dra Petri non deerit vſque ad ſecundum Chriſti aduentum; **Mat. 16.**
B vt impleatur Chriſti verbum, quod ad Petrum dixit, tum
 portas inferi non præualituras aduerſus illam petram, tum
 fidem Petri non defecturam. Quæ cum ita ſe habeant; non
 abs re dicimus Petrum & Petri ſucceſſores, Abrahę, ac ſe-
 mini eius tam in primatu ſacerdotij, quàm in vrbe Romę
 dominio adæquari.

Temporale autem hoc dominium vrbe Romę, quod
 Pontifices tenent, inter cetera comparatum videtur ad
 gloriam Chriſti paganis, Iudæis, hæreticis, & ſchiſmaticis
 conſteſtandam: vt qui fide Chriſti ac ſpiritu Dei non du-
 cuntur, ſaltem corporis oculis vel inuiti aſpicerent hoc
 magnum Dei opus, quo factum eſt, vt Imperatores Roma-
 ni orbis penè totius domini, armis, æquis, viris, opibus,
 omniq; potentia ſuffulti & affluentes, à ſucceſſoribus pi-
 ſcatoris, ſola ſpirituali poteſtate inſtructis, primūm in certa-
 mine de fide vnus Dei & Chriſti eius vincerentur inuiti,
 deinde ſe ipſos Euāgelio Chriſti vltro ſubmitterent, mox
 Imperij ſui arcem & caput Vicario Chriſti concedentes,
 ipſi nouas ſedes quærerēt, tandem etiam ob defectionem
 à fide non ſolūm vrbe Roma, ſed etiam Italię magna parte
 priuarentur: poſt autem in alia orbis parte eiufdem Ro-
 mani Pontificis auctoritate nouum erigeretur imperium,
 li quod

Angli.
Galli.

Poloni.

Dan. 2.

quod regni sui diadema non nisi de manu successorum **P**
tri acciperet, omnemq; occidentis moderationem illis
 præcipuè acceptam ferret. Ac ne dicas imperium quidem
 Romanum eo quòd Romæ Pontifices agerent, illorum ar-
 bitratu in occidente institutum fuisse; alia verò imperia &
 regna iisdem nihil detulisse; tota memoria repete etiam
 reges Angliæ octingentis & amplius ab hinc annis regnū
 suum vœtigale Pontifici Romano fecisse. Gallos ad Za-
 chariam Papam retulisse, quis apud eos regis nomē mere-
 retur, & ex illius sententia Pipinum, qui officio regis fun-
 gebatur, in locum Childerici adhuc viuentis, qui solo re-
 gis nomine abutebatur, subrogasse. Polonos etiam non
 nisi ex Pontificum Romanorum præscripto reges sibi præ-
 fecisse, & postea ducentis annis à regio nomine abstinuis-
 se, eo quòd Gregorius septimus ob S. Stanislauum à Boles-
 lao rege occisum, eis hanc dignitatem interdixisset. An
 vtrum hæc fuerunt opera hominum? an non potius Dei,
 qui solus regna constituit, transfert, dissipat & disponit?
 Quis igitur hanc potestatem Pontificum à solo Deo insti-
 tutam, & tam admirandis Dei operibus contestatam oppu-
 gnet, nisi Antichristus? aut fuit alius quispiam in mundo
 Episcopus, qui vlla vel attentione sua, vel fraude, vel vi, se-
 mel tantum obtinere potuit, vt ad vnicum vnus horum mo-
 mentum reges ipsi parerent & obedirent? Si nihil tale
 cuiquam alteri concessum est, vtique opera Dei prima-
 tum Romani Pontificis insigniter commendant, & con-
 firmant.

Ad cetera verò Dei in hoc genere opera & illud ac-
 cidit, quòd quemadmodum Matthæus Euangelista librum
 generationis Christi texens, à Patriarcha Abraham illum
 repetit, & ita filiorum Abraham linea obseruata, ad Christū
 vsque deducit; sic post Christi ascensionem in cælos, nulla
 clarior continuandæ temporum supputationis ratio in
 Ecclesia extat, quàm per Pontificum Romanorum à Petro
 inchoatam, & ad nos vsque deductam successionem.

Nullum enim aliud opus Dei tam certum, stabile & cō-

b

stans

A stans reperitur, quod eorum quæ gesta sunt, perpetua regu-
 la & mensura esse queat. nam Imperium Romanum præ-
 terquam quòd in plures etiam olim diuisum erat ob eaq;
 causam difficillimè memoria comprehendi possit, quo
 quisque anno regnare cœperit, & quamdiu aut solus, aut
 cum alijs præfuerit, etiam post Valentinianum Tertium,
 vsque adeo perturbatum est, vt modò reges Italiæ occur-
 rant, modò Imperatores Constantinopolis, modò Fran-
 ciæ, modò Germaniæ, modò etiam Turcarum; nec aliquid
 vnum tam ratum & firmum in tota rerum serie inuenia-
 tur, quàm Pontificum Romanorum continua & numquā
 (nisi dum sedes ad paruum aliquod tempus vacaret) inter-
 rupta successio. Hinc factum, vt non modò Catholici
B Chronographi, Eusebius, Hieronymus, Prosper, Beda, Ma-
 rianus, Regino, Sigibertus; verum etiam Hæretici Fun-
 dius, Pantaleon, Carion, & omnium mendacissimi Mag-
 deburgenses, in temporibus supputandis, lineam Pontifi-
 cum Romanorum inseruerint & obseruauerint.

Quæ alia Monarchia etiam terrena tam longæua? tam
 immobilis? tam sui similis? aut quis vniquam principatus
 mille quingentis annis eundem tenuit imperij statum? so-
 lus in vetere testamento Abraham, solus in nouo Petrus
 hanc gratiam sortiti sunt, vt spiritalem suam Monarchiam
 ad annos bis mille per suos successores administrarent.

C Relinquamus regna, quæ alia in mundo Apostolorum
 cathedra tam florens, tam stabilis, tam perpetua?

Nonne Alexandria, Ierusalem, Antiochia, Constanti-
 nopolis aut nullas iam Episcoporum, aut ita obscuras ca-
 thedras tenent, vt planè appareat, illas non instar stellarū
 cæli, aut lucernarum esse, quas ob splendoris & doctrinæ
 claritatem Christus in candelabris eminentibus posuerit, *Matt. 5.*
 sed potius contra, Dæmonum & speluncas latronum vi-
 deri?

Meritò Gamaliel id maximè omnium pro Dei opere *Act. 5.*
 agnouit & prædicauit, quod ab hominibus dissolui non
 potuit, quia Dei digito fundatum esset: nec præter illam

Ep. 52. petram, inquit Leo, quam Dominus in fundamento (Ecclesie) posuit, stabilis erit vlla constructio. nil mihi cum verbis hominum ad Dei opera prouoco. Christus pro Petro solo rogauit, vt non deficeret fides eius. defecit autem iam olim fides successorum Andreæ Apostoli in vrbe Constantinopolis; defecit fides successorum Iacobi & Simeonis in vrbe Hierosolymitana; defecit fides successorum etiam Petri tam Alexandria, quàm Antiochia. Sola fides & Sedes Petri, quam in vrbe Romana plantauit, manet, stat, floret vsque in hodiernum diem. hæc igitur est vera Sedes & fides, de qua Christus locutus est, cum Petri fidem non defecturam prædiceret.

Luc. 2.

Quæ in scripturis sacris de Christi Ecclesia commemorantur, aut nullibi omnino præterquam in Romana Ecclesia, aut nullibi tam certò & manifestè implentur. Cap. VI.

Vigesimum Dei opus.

Esa. 2.
Mich. 4.

Mons domus Domini, hoc est maxima, & firmissima sublimitas Ecclesie Christi, præparabitur, inquit Esaias, in vertice montium, & eleuabitur super colles. Cum per montes & colles intelligantur sublimes huius sæculi potestates, sicut scriptum est, Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. quis perinde vertex montium ac vrbs Roma, imperij potentissimi arx & caput? In Roma igitur non solum domus Domini, verum & mons domus Domini, hoc est vertex & caput Ecclesie Christi præparatum est & eleuatū, sicut & Esaias prædixit, & experientia demonstrat.

Psal. 71.
Ioan. 2.**Esa. 2.**

Ad montem domus Domini, ait idem Esaias, fluent omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. In

qua

A qua tandem Christi Ecclesia, perinde ac in Romana hæc propheta impletur? Ad quam enim aliam Christi Ecclesiam tot gentes & populi, quot ad Romanam omni ætate ascenderunt, & adhuc ascendunt, vt vias Domini doceantur, ac ambulent in semitis Ecclesie Romanæ? Nonne Britannii tot penitus orbe diuisi, cum Lucius apud eos regnaret, prætermisiss vicinioribus Gallie, Hispanie & Italie Episcopis, ad Ecclesiam Romanam velut ad montem domus Domini per nuntios & litteras suas iuerunt, vt per Eleutherij Pontificis Romani auctoritatem Christi fidem, ac baptismum susciperent, atq; in semitis Ecclesie Romanæ potissimum ambularent?

B Nonne Ireneus refert tum alios Asiae Episcopos ad Sixtum, Telesphorum, Nigenum, & Pium Pontifices Romanos, tum Polycarpum totius Asiae principem ad Anicetum Pontificem Romanum accessisse, vt tam de aliis rebus de quibus inter se discrepabant, quàm de festo Paschatis inter se cõferrēt? Deniq; epistolę Clemētis ad Corinthios, Victoris ad Episcopos Asiae, Antheri ad Episcopos prouinciarum Beticæ & Toletanæ, Stephani ad Afros Cappadoces, Galathas, Syros & Arabes, Iulij ad Eusebianos, Liberij ad Constantium Augustū, Damasi ad Episcopos in Illyrico, Siricij ad Mediolanensem Ecclesiam, Innocētij, Leonis, Gelasij, Gregorij, aliorum Pōtificum ad Episcopos & Ecclesias omnium gētiū; facillè demonstrant Romanam Ecclesiam docuisse omnes gentes viam Domini, & adhuc eandē docere, vt liquidò appareat Esaię prophetiam in Ecclesia Romana si non solum at certè potissimum impleri.

Vos autem, inquit Dominus ad ministros noui testamenti, Sacerdotes Domini vocabimini; Ministri Dei nostri dicetur vobis: fortitudinem gentium comedetis, & in gloria eorum superbietis. Quis inter omnes Apostolos magis sacerdos & minister Dei nostri, hoc est Iesu Christi, quàm Petrus Apostolorum primus? Quis inter successores Apostolorum magis sacerdos & minister Christi, quàm Petri successor Pontifex Romanus, quem Hieronymus

*apud Euseb. l. 5. c. 24.**Esa. 61.**Matt. 10*

nymus

In praefat. ad Euang. nymus vocat summum sacerdotem, hoc est Pontificem? **D**
 Deinde quis fortitudinem gentium magis comedit, & in gloria eorum magis exaltatur, quàm Pontifex Romanus, qui Romam gentium caput fortitudinem ac gloriam, solius Christi virtute multis ab hinc sæculis sibi acquisiuit? Roma enim (B. Hieronymo auctore) Hebræis sublimitatem, Græcis fortitudinem seu robur significat. Siue autem comedere idem hoc loco valeat quòd coniungere sibi & incorporare, vt in illis Domini ad Petrum verbis, Occide & manduca; seu liberè vti & in rem suam vertere, certum est nullam in mundo, Christi Ecclesiam perinde fortitudinem gentium comedere, & in gloria eorum illustrem fieri, ac Romanam Ecclesiam; quæ vt hanc prophetiam potissimùm implet, sic veram Christi Ecclesiam potissimùm regit & administrat. **E**

Esa. 60. Esaias Ecclesiam alloquens, Venient, inquit, ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. Quænam Ecclesia vel per Imperatores adhuc infideles magis humiliata est & afflicta, quàm Romana, cuius Pontifices per annos trecentos penè continuos, vincula, direptionem bonorum, mortemq; acerbissimam perpeffi sunt, vel ab iisdem Imperatoribus iam ad fidem conuersis magis honorata est & obseruata, cum eorundem infidelium Imperatorum fideles filij ad Pontifices Romanos curui iam diu uenerint, & adhuc veniant, etiam pedes eorum in honorem Christi osculantes? & locum pedum meorum glorificabo ait Dominus. **F**

Iere. 33. Si irritum potest fieri pactum meum cum die (ait Dominus) & pactum meum cum nocte, vt nõ sit dies & nox in tempore suo; & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt non sit ex eo filius, qui regnet in throno eius, & Leuitæ, & Sacerdotes ministri mei.

Mat. 22. Per Dauidem hoc in loco intelligitur Christus Dauidis filius, sicut idem Ieremias paulò antè scriptum reliquit: In tempore illo germinare faciam Dauid germen iustitiæ, & hoc

A hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Thronum autem Christi sacerdotis in æternum secundum ordinem Melchisedech, non solum regium, verùm & sacerdotalem accipiendum hic esse, inde manifestò conuincitur, quòd huic filio Dauidis apud Ieremiam Leuitæ & Sacerdotes adiunguntur. Vnde iterum subiungit, Multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos. Si ergo ex Christo sacerdote numquam deerit filius, qui regnet in cathedra eius; ne deerunt Leuitæ & sacerdotes: vtique filius iste Christi Leuitarum & Sacerdotum princeps est, qui nõquam cessabit regnare in throno Christi vsque ad consummationem sæculi.

B Porrò quis magis filius Christi, quàm Petrus, cui Christus æterna petra, & nomen petre, & officium pastoris cõmunicauit, nec minus pro illo, quàm pro se ipso didrachma solui iussit? aut quis potius in throno Sacerdotali Christi regnauit, quàm is, cui regni sui clauē dedit? Idem enim est clauē regni Christi accipere & in throno Christi regnare. Iam verò post Petrum quis perinde regnat in throno Christi ac Pontifex Romanus, qui principalem Petri cathedram tenet? An vllus alius sacerdos aut Episcopus vnumquam in mundo fuit, qui vel verbo tenus auderet sibi thronum Christi arrogare? Quod autem Pontifex Romanus primam totius Ecclesiæ cathedrā possideat, semper sanctorum patrum doctrina & fides in eo consensit. Hic ergo est filius, qui vnà cum Sacerdotibus & Leuitis ei adiunctis in throno Christi vsque ad finem regnans, implet prophetiam, de qua iam egimus.

Dominus ad Ieremiam sacerdotem in figuram Christi dixit, Ecce constitui te hodie super gentes, & super regna vt euellas & destruas, & disperdas & dissipes, & ædifices & plantes. Christo enim Deus dedit gentes in hereditatem, vt eas regeret in virga ferrea.

Vnde & reges terræ iubentur ei seruire in timore. Christus verò potestatis suæ ministerium in Ecclesiam suā transtulit, sicut scriptum est. In diebus regnorum illorum suscitabit

*Heb. 7.**Ier. 33.**1. Cor. 10.
Ioan. 1.
Ioan. 21.
Matt. 17
Matt. 16**Cyp. lib.
1. ep. 3,**Syn. sub
Sil. cap.
20.**Optatus
lib. 2. cõ.
tra Parmen.**Ierem. 1**Psal. 2.**Dan. 2.*

scitabit Deus cæli regnum, quod comminuet & confu- **D**
Matt. 13 met vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, & om-
Dan. 7. nes reges seruient ei, & obedient. Iam Ecclesia, quæ re-
Luc. 1. gnum Christi est, hanc quam in regna mundi accepit pote-
 statem, quo potius modo, quàm per Ecclesiam Romanam
 exercet?

Principiò regna mundi consumuntur & comminun-
 tur, quando vel ex profanis fiunt Christiana, vel Christia-
 na malè gubernata ad meliorem frugem conuertuntur.
In Ioan. Factum est regnum, inquit Augustinus, non iam de mun-
traff. 113 do, quicquid inde in Christo regeneratum est.

Deinde qui euellit zizania, vt plantet triticum, qui que **E**
 destruit peccata, vt virtutem edificet, non tã euellere quàm
 plantare, nec tam destruere quàm ædificare dicendus est,
 propterea quod finis cuiusq; rei potior eius pars est, mul-
 toq; magis expetitur & spectatur.

Vnde si Ecclesia Romana quædam regna in ædificatio-
 nem Ecclesiæ destruxit & dissipauit; non propterea pote-
 statem in destructionem, sed in ædificationem accepit.

Quando igitur Deus (vt Augustini verbis vtat) de pesca-
 tore, (hoc est de Pontifice Romano Petri piscatoris succes-
 sore) lucratus est Imperatorem: primùm quidem Philip-
 pum, deinde Constantinum Magnum ad fidem Christi

adiungens; quando Papa Eleutherius Lucium Britannia, **F**
 Victor Donaldum Scotia, Gregorius magnus Ethelber-
 tum Cantij, Sibertum Aefexia, Eduinum Deira, Hono-
 rius Cynigillum occidentalium Anglorum, Nicolaus pri-
 mus Trebellium Bulgaria: quando ceteri Pontifices Ro-
 mani Bohemia, Hungaria, Daniæ, Suetiæ, Roxolanorum,
 Liuonia, denique Indorum tam orientalium, quàm occi-
 dentalium reges & principes per eorum operam, qui ab
 Apostolica Sede ad prædicandum illis Euangelium missi
 sunt, Christianos fecerunt; tunc in Christi nomine disper-
 sa sunt & dissipata Ethnica huius mundi regna, ædificata ve-
 rò & plantata regna Christiana.

Præterea quando eadem Romana Ecclesia hereticis Im-
 perato-

A peratoribus Constantinopolitanis magnam Imperij co-
 rum partem abstulit, eandemq; ad Francos & Germanos
 transtulit, quando Lotharium Ludouici Cæsaris fratrem
 coegit abiecta Vualdrada concubina sua Thietbergam
 vxorem recipere: quando impios Germaniæ Imperatores
 Henricos, Fridericos, Ludouicos, potestate Imperij priua-
 uit: quando Polonis ne amplius regio nomine vterentur,
 ob S. Stanislaum apud altare Christi occisum interdixit:
 quãdo sacra militia in Christi nomine instituta Saracenos
 ex Hierosolymis expulit, & Christianos reges ibidem in-
 unxit: quando Christianos reges inter se bellum facientes
 aut ad pacem sancendam, aut ad peiora pacis foedera con-
B seruanda partim auctoritate adduxit, partim potestate sua
 cõpulsit: quando Philippū Pulchrū Fraciæ, Ioannē Angliæ,
 Georgium Pogebrachium Bohæmiæ, aliarumq; gētium re-
 ges Christianos gladio suo abutentes, donec saniore men-
 te præditi essent, à communionemouit: quando Chri-
 stianis regibus, vt contra Turcas orbem Christianum inua-
 dentes arma ferrent, diuinitus persuasit: tunc rebus ipsis de-
 monstrauit prophetarum oracula de potestate, quam super-
 gentes & regna Christus accepit, reuelata nullibi verius
 quàm in Ecclesia Romana fuisse completa.

Spiritus meus, qui est in te (inquit Dominus apud Esa-
 iam) & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de
C ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis feminis
 tui, amodò & vsque in sempiternum. In qua tandem Chri-
 sti Ecclesia hoc Domini verbum perinde impletur ac in
 Romana? Ibi enim eodem semper modo perseuerat ea fi-
 des & traditio, quam Romani à Petro, Petrus autem à Chri-
 sto accepit. Quis Pontificum Romanorum non passim
 præferret se maiorum suorum vestigijs inhærere? Hege-
 sippus cum Romæ esset, fatebatur omnia ita obseruari, vt
 Dominus ipse prædicauerat. Romanam Ecclesiam con-
 seruasse fidem, quam ab Apostolis acceperat, Iræneus, Ter-
 tullianus, Cyprianus fatentur & attestantur, Nihil inuenie-
 tur, inquit Stephanus, nisi quod traditum est.

C. nouit.
 extra de
 Iudicijs.

Esa. 59.

Apud
 Euf. lib.
 4. c. 21.
 Lib. 3. c.
 3. de pf.
 1. epist. 3.
 Lirin. c. 9

Athan. Apoc. 2 In ep. ad Constantium. Quę accepimus à S. Petro Apostolo, ea vobis significo, D
 inquit Iulius. secutus morem ordinemq; maiorum, ait Li-
 berius, nihil addidi Episcopatuī vr̄bis Romę, nihil minui
 passus sum, & illam fidem seruans, quę per successionem
 tantorum Episcoporum cucurrit, ex quibus plures marty-
 res extiterunt illibatam custodiri semper exopto. Cur, in-
 quit Hieronymus, post quadringentos annos profers in
 medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Quid
 multis? Spiritus, qui fuit in Christo per naturam, positus
 est in ore Petri per gratiam; idemq; adeo mansit in ore se-
 minis Petri, & seminis feminis Petri, vt etiam si Honorius
 (quod ad priuatam ipsius opinionem attinebat) vnā in
 Christo voluntatem credidisse putetur; tamen in admini-
 strando Romanę Ecclesię Pontificatu, maioribus suis cō-
 senserit, & Pyrrhum Patriarcham Constantinopolitanū
 Monothelitam fede sua deiectum in Africam relegaret.
 Hinc etiam factum est, vt quamquam Vigilius Anthimū
 se velle restituere antea promisisset, tamen iam factus Pon-
 tificex mori potius eligeret, quā vt à maiorum fide discre-
 dens hæreticum hominem reuocaret.

Syno. 6. Act 16 Platina. Sabell. Cum Esaias prædixisset sacerdotes & ministros Dei
 pro confusione sua duplici, duplicia in terra sua possessu-
 ros, subintulit, Fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in
 gentibus semen eorum, & germen eorum in medio popu-
 lorum. Omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti
 sunt semen cui benedixit Dominus. Quę Prophetia quā-
 quam in omnes Christianos cadat, qui sunt Catholici &
 orthodoxi, tamen in Romana potissimū Ecclesia tam
 admirabiliter impletur, vt iam inde à Constantini Magni
 ætate ijdem omnino dicti & habiti sint Romani, qui Ca-
 tholici & orthodoxi Christiani. Vnde Ambrosius de obi-
 tu fratris Catholicos definit eos, qui communicant cum
 Ecclesia Romana. quod idem apud Hieronymum, Possi-
 dium & Victorem vsu venit, nec iniuria. nam Christianę
 fidei disciplinam, inquit Procopius, Romani præcipuè ve-
 nerati sunt. nec dubiū est, quin si quis apud barbaros edu-
 catus

A catus Iudęos, Turcas, Tartaros, Saracenos, Persas, Mauros
 aut quaslibet infideles gentes rerum nostrarum non pror-
 sus ignaros interrogaret, qui nā illi sint, quos dicant Chri-
 stianos; hi statim Romanam Ecclesiam, & eos populos
 qui consentiunt in fide cum Romanis, nominaturi sint.
 Vnde etiam ijdem pagani ad Romanum Pontificem potif-
 simū legationem mittunt, quoties illis cum Christianis
 negotium aliquod intercedit. Hussitas verò, Lutheranos
 Calvinistas, Puritanos, & istiusmodi noua sectarum nomi-
 na, ne Græci quidē nouerūt, ne dum Aethiopes, aut Indo-
 rum populi, minimeq; omnium Pagani & infideles. At
 Romanorum fides annuntiatur in vniuerso mundo. Isti
 B verò cum in medio populorum sciuntur, verè sunt semē,
 cui benedixit Dominus, quodq; oracula prophetarum ma-
 nifestè adimplet. Romana Ecclesia est lucerna in candela-
 bro cōstituta, quę lucet omnibus, qui in domo sunt, quiq;
 ingrediuntur in domum. Illa est ciuitas in monte posita,
 quę non potest abscondi. Illa est solium glorię altitudinis
 à principio, locus sanctificationis nostrę. Illa thronus
 Christi, qui est sicut sol in cōspectu Dei, & sicut Luna per-
 fecta in æternum. Illa est epistola Christi, quę scitur & legi-
 tur ab omnibus hominibus. Illa est in qua videtur gloria
 Domini, & in cuius lumine gentes ambulant.

Esaias demonstrans nouę Ierusalem, nimirum Ecclesię
 C Christi, multitudinem ingentem, quę ipsi per comunē
 fidem coniungitur atque adhæret, Leua, inquit, in circuitu
 oculos tuos, & vide. Omnes isti congregati sunt, venerunt
 tibi. filij tui de longe venient, & filię tuę de latere surgent,
 tunc videbis & afflues, & mirabitur & dilatabitur cor tuū,
 quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo
 gentium venerit tibi, & ædificabunt filij peregrinorum
 muros tuos, & reges eorum ministrabunt tibi.

Cum necesse sit matrem à filiis & filiabus discernere,
 oportet hæc verba prophetę ita intelligi de Christi Eccle-
 sia, vt in eam Ecclesię partem, quę antiquissima & glorio-
 sissima est, præcipuè cadant.

Quę nam igitur in vniuerso mundo Ecclesia est, quę mater ceterarum omnium Ecclesiarum tam verè dici possit, quàm Romana? Cur enim princeps Apostolorum eam condiderit, ibiq; principatus sui sedem fixerit, meritò illā Cyprianus appellat principalem Ecclesiam, vnde vnitas sacerdotalis exorta est. Meritò etiam sexcenti Episcopi apud Chalcedonem ante annos ab hinc mille congregati, se ipsos Romani Pontificis filios appellarunt, cum dicerent ad Papam Leonem, Tuis decretis nostrum honora iudicium, & firmitas tua filiis quod decet adimpleat. Quin & antea synodus Ephesina, tum canonibus, inquit, Ecclesię tum sanctissimi Patris nostri & collegę Cęlestini Episcopi Ecclesię Romanę, necessariò compulsi ad hanc seueram sententiam, idq; non sine lachrymis contra Nestoriũ pronuntiandam venimus. Quòd si omnium Ecclesiarum Episcopi Pontificis Romani sunt filij, & ille communis eorum est pater; iam quod Esaias dicit ad Ecclesiam filij tui de longe venient, & filię tuę de latere surgent; manifestè ad Ecclesiam Romanam in spiritu dictum est. Hęc enim est regina, quę astat à dextris Christi in vestitu deaurato, circumdata varietate linguarum & gentium, de qua sequitur, Adducentur regi virgines post eam. fideles enim Ecclesię vel Italię, vel Gallię, vel Hispanię, vel Germanię, quę communicant cum Ecclesia Petri, hęc sunt virgines, quę post Ecclesiam Romanam omnium reginam incedunt, & Christo regi obsequuntur.

Qui verò Esaię verba referunt ad Ecclesiam primitiuã, velut alię omnes Ecclesię atque pedissequę, quamquam quod verum est dicant, tamen totam veritatem non expriment: quia Esaias loquitur de multiplicatione fidelium perseuerante vsque ad sæculi consummationem; adeo vt dicat reges ministraturos illi gloriosę Ecclesię, de qua loquitur. Constat autem reges non ministrasse Ecclesię primitiuę. Itaque propheta loquitur de quadam principali Ecclesia, quę in terris cum existat, quotidie vidit filios & filias hinc & inde ad se venientes, inter quos etiam reges adfint

A adfint: vnde subiungit, portas huius Ecclesię aperiendas iugiter, dieq; ac nocte non claudendas, vt afferatur ad illam fortitudo gentium, & reges earum adducantur. Talis autem Ecclesia non alia est quàm Romana, quam ceterę omnes Ecclesię velut matrem & magistram studiosè obseruant.

Maiores est, inquit Aggęus, gloria domus nouissime, hoc est Ecclesię Christi, quàm primę, nimirum veteris synagogę. Gloria verò vtriusq; domus consistit in ministrorum vtriusq; testamenti dignitate.

Ceterum ingens hęc fuit veteris synagogę gloria, quòd numquam in ea defuit sacerdos summus Leuitici generis, qui federet super cathedram Moyse, indicans Iudæis de lege sua litigantibus, iudicij veritatem. multo igitur magis non deest in Ecclesia Christi gloriosior quidam pastor & sacerdos, qui soluat & liget in terris quicquid vsquam in Ecclesia ligandum & soluendum occurrat. Quis ergo Aggęi prophetiam hac in parte implet, præter Pontificem Romanum, qui sedens in cathedra Petri, multo gloriosius Ecclesiam catholicam in vnitatem spiritus, & vinculo pacis continet, quàm Pontifex leuiticus paruulas illas tribus Iacob in officio continebat? Verùm si ab Ecclesia Romana semel discesserimus, gloriosior est, quod ad cathedrę primatum attinet, domus prima, quàm nouissima: quo quid absurdius? Ac de veteri quidem testamento hęc sint decerpta. Veniamus iam ad scripturas noui testamenti.

Petrus apud Mattheum dicitur fuisse primus Apostolorum. Porrò cum Episcopi sint Apostolorum successores, qui inter Episcopos eum obtinet locum, quem inter Apostolos Petrus obtinebat, præter Pontificem Romanum? oportebat Iudę locum impleri, & Principis Apostolorum locus manebat vacuus?

Christus ad Apostolos dixit, Qui maior, hoc est, secūdu gręcā phrasim, qui maximus est in vobis, fiat sicut minor: & qui præcessor, sicut ministrator. Nonne solus Pontifex Romanus & maximus est inter Apostolorum successores

fores, & sicut minorem se gerit, seruū seruorum Dei se ipsum scribens & existimans? D

Matt. 16. Tu es Petrus, inquit Christus, & super hanc petram edificabo Ecclesiam meam. Cum hæc petra de qua Christus loquitur tam diu necessariò maneat, quamdiu manet Ecclesia, quæ super eam edificatur; Petrus autem Christi diuinitatem confitès semel fuerit hæc petra; quis post mortem Petri magis est hæc petra, quàm Pontifex Romanus, quem & Petrus iam moriturus ex Dei voluntate, primum sibi successorem delegit, & vniuersa Ecclesia præcipuum Petri successorem agnouit semper & vocauit?

Matt. 16. Et portæ inferi non præualebunt aduersus hanc petram, seu aduersus Ecclesiam, quæ super eam ædificatur. Et quæ alia Ecclesia præter solam Romanam, & eas quæ primum Ecclesiæ Romanæ obseruant & colunt, & non vel penitus extincta est, vel ita obscurata, vt sit quasi non esset? Romana verò Ecclesia instar solidissimæ petræ, quò magis oppugnatur, eò magis floret; aduersarios quidem suos comminuens & consumens, ipsa verò stans in æternum. E

Dan. 2.

Claues regni cælorum & vni Petro datæ sunt, & nisi earum administratio vni potissimum data esset, nõ clauis regni (cuius natura est vt ab vno potissimum administratur) sed vel aristocratia, vel popularis cuiuspiam dominationis clauis fuissent. Quis ergo vnus post vnum Petrum clauis regni Ecclesiæ habet, custodit & administrat, præter F

Lib. 10. epistolarum. Pontificem Romanum? Vnde B. Ambrosius ad Siricium Papam scribens: Fideliter, inquit, commissam tibi ianuam seruas.

Mat. 16. Et quodcumque ligaueris, vel solueris super terram, erit ligatum & solutum in cælis, ait ad Petrum Dominus: Nonne hæc in sola Romana Ecclesia potissimum implentur? Illa Iconomachis Imperatoribus excommunicatis ligare, eorum potestatem ne in urbem Romam, Rauennam, aut Venetias, magnamq; Italiae partem amplius extendatur. Numquid in cælis quoque ligata & constricta in solis

A. lis limitibus eorum potestas non est?

Numquid classis, quam contra Pontificem Romanum ob eam causam emisit, in mari Adriatico submersa non perijt? Numquid vniquam postea in urbem Romam potestatem recuperarunt? ligata est Chilperici regis Franciæ potestas per Zachariam Pontificem Romanum, ne amplius ob socordiam suam regnaret, sed ille potius regno potiretur, qui regnum administrabat; numquid non Deus Chilpericum repulit, Pipinum præfecit?

Gregorius septimus Papa, & successores eius ligarunt regum Christianorum manus, ne per virgam & annulum inuestituras Ecclesiarum prælati Ecclesiasticis darent.

B. Numquid tamen plures Imperatores & reges huic decreto repugnassent; tamen non præualuit hoc decretum in cælo, & ita vsque in hodiernum diem obseruatur? Ligatæ sunt omnium hæreticorum potestates ab Episcopis Romanis; An etiam non sunt extinctæ & deletæ de terra iam inde à Simone Mago vsque ad Lutherum & Caluinum? Et si enim reliquiæ istorum adhuc supersint, tamen & illas videmus à se mutuo morderi & consumi: iamq; insipientia eorum per concilium Tridentinum omnibus qui volunt ad sobrietatem sapere, abundè manifestata est & detecta. Soluuntur autem & libertate donantur ab Episcopis Romanis omnes Ecclesiæ, omnesq; fideles, qui consentiunt cum Ecclesia Romana. Et numquid isti coram Deo liberi à peccatis & soluti non manent? numquid non in fidei doctrina & morum institutis hi soli consentiunt? nõ apud Protestantes quæ sunt distincta sæculi dominia, tot sunt & religionum sectæ. Aut numquid Anglus vnquam vel minimo verbulo interrogat cum in parlamento suo de fide statuit, quid Suicus, Danus, Scotus, aut Saxo credat? nõ quid Heluetici schismatici cum Anglo aut Scoto in rerum sacrarum doctrina vel conferunt vel communicant?

Diuisæ igitur sunt inter se omnium eorum linguæ & voces, qui ab Ecclesia Romana discesserunt, quia ligati sunt à Pontifice Romano. At omnes filij Ecclesiæ Romanæ quocum-

quocumque sub rege degant, idem in fide sapiunt, & sentiunt, quia Pontifex Romanus Petri successor à laqueis Diaboli vinculisq; peccati & diuisionis, eos in Christi nomine absoluit, & absoluti sunt coram Deo in cælis.

LUC. 22. Christus rogauit primùm & potissimùm pro fide vnus Petri. An non solius Petri successio in Ecclesia Romana vsque in hodiernum diem fidelis perseuerat? Quis alius Apostolorum tam fidelem cathedram reliquit? Imò quæ vna Ecclesia in mundo, quæ Romanæ Ecclesiæ primatum non agnoscit, talem successionem iam inde ab Apostolis deducere potest, in qua semper Episcopi federint, & nulla hæresum labe maculati fuerint? Constat autem Ecclesiam Romanam nullo vnquam tempore vllam hæresim docuisse, quinimò hæreses hæreticosq; omnes condemnasse.

LUC. 22. Petrum Christus iussit etiam fratres suos confirmare. Quis hoc in Ecclesia Christi perinde impleuit ac Pōtifex Romanus? Quis Episcopus quadringentos in Ariminensi concilio hinc labantes, hinc deceptos partim reuocauit ab errore, partim confirmauit in vera fide, præter Ecclesiam Romanam? Quis contra Dioscori perfidiam fidelium Episcoporum animos in Chalcedonensi concilio stabiluit & confirmauit præter Papam Leonem, in quo Petrum locutum esse omnes fatebantur? Aliæ Ecclesiæ vel primatum Romani Pontificis agnouerunt, & hoc ipso ab illo etiam suo iudicio confirmatæ sunt; vel non agnouerunt, & ne suum quidem locum atque honorem stabilem retinere potuerunt, ne dum fratres suos confirmarunt. Res ipsæ hoc loquuntur, vt verbis pluribus in re tam perspicua opus non sit.

IOAN. 10. Alias oues habeo, inquit Christus, quæ non sunt ex ouili, nempe ex ouili Iudæorum, illas oportet me adducere, & fiet vnus pastor & vnum ouile. Christus locutus est de ouili militante, ergo etiam de pastore militante. Et quis vnus Iudæorum fidelium, gentiumq; pastor præter Pontificem Romanum? Nullus enim alius ne ab hæreticis quidem.


A dem & schismaticis ponitur. nam Episcopus Constantinopolitanus etiam si aliquando adæquat se ipsum Romano Episcopo, numquam tamen dicit se illius pastorem esse debere. at oportet dari vnum pastorem totius Christiani ouilis, qui numquam datus est alius quàm Pontifex Romanus.

B Christus Petrū iussit agnos suos & oues pascere; si plus alijs Apostolis Christum diligeret; significans se vnum relinquere toti ouili suo pastorem, cui maiorem daret earundem ouium & Christi æterni pastoris amorem, quàm alij cuiquam pastori. Iam dico solum Pontificem Romanum hoc officium tam necessarium in Christi Ecclesia implere. Solus enim ille ab Apostolorum tempore solitudinem omnium Ecclesiarum exercuit. nemo autem alius catholicus vnquam dixit aut scripsit talem sollicitudinem ad se pertinere. Cum autem ea sollicitudo sit signū non mediocris amoris, inde cōuincitur solum Pontificem Romanum plus alijs pastoribus Christum & gregem Christi dilexisse. Ille alios Episcopos omni ætate docuit, ille responsa omnibus dedit, ille in exilium eiectos semper fouit; id quod omnes historiæ Ecclesiasticæ attestantur. Cuius alterius tot Episcopi pro fide & Ecclesia Dei martyrium obierunt? Infinita sunt, quæ in hoc genere dici possent, nisi hæc pauca fatis essent.

C Hoc Euangelium regni, ait Christus, prædicabitur in vniuerso orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio. Vnde postea iussit Apostolos docere & baptizare omnes gentes prædicans secum illis futurum vsque ad consummationem sæculi. Quis ergo in hoc Apostolico prædicandi Euangelium omnibus gentibus opere progreditur præter Pontificem Romanum? Quis alius Apostolorum successor hanc prophetiam implet? nā ceteri pastores nec se ad aliud vocari putāt, quàm vt plebē ipsis commissam pascant, nec eam deserere possunt, & aliā plebem Domino acquirere, ne illis dicatur, Nō mittebam prophetas, & ipsi currebant: & Quomodo prædicabunt ni

Gal. 2.

si mittantur? Solus ergo Pontifex Romanus tam ad priores oues gubernandas, quàm ad nouas acquirendas missus est: quod quidem effectus ipse probat. nam vt Paulus probauit se missum à Deo, quia Deus per eum conuertit multas gentes ad fidem; sic Pontificatus Romani fastigium manifestè probatur à Deo esse, quia Deus ei tam felicem successum in gentibus ad Christum conuertendis dedit. Quicquid enim ferè Christianorum in Occidente, Meridie, Aquilone, aut Indis Oriētalibus, atq; Occidentalibus existit, Romani Pontificis ductu ad fidem Christi accessit, præter solos ferè Moschos, qui quales sint Christiani alijs iudicandum relinquo.



DE

DE CLAVE DAVID

LIBER QVINTVS.

De origine iuris regij, & tam Christianos reges, quàm ethnicos, quod ad ius regnandi attinet, ex aquo terrenos, itemq; sæculi huius, aut gentium reges existere, atque ita vocari, eo quòd hominum etiam consensu, ac non solius Dei voluntate constituti sunt & creati. Cap. I.



T si alia sit Christiani regis & alia Ethnici vocatio, si personæ interiorē qualitatem spectemus; tamen cum ad externam dignitatē vtriusq; ventum est, vt videlicet de regnandi iure quærat, eadem est vtriusque causæ similis origo, parconditio. Nec enim alteruter eorum regnat vel quia Christianus, vel quia Ethnicus (quamquam & hæ conditiones hunc aut illum certis in locis vel impediunt interdum vel commendent) verum quia iure gentium aut ciuili eam potestatem à Deo sortitus est. Deus enim à quo est omnis potestas, & per quem reges regnant, tum permisit, tum inspirauit hominibus (non alio tamen quàm rationis lumine ad eam rem adhibito & interposito) vt ne ritu ferarum sparsim singuli degerent, sed cum sint per naturam orationis, & conuocationis compotes, in communitatem quandam certis legum & magistratum vinculis colligatam coirent, quòd alter alteri opem ferre, communiq; consilio & communē

Rom. 3
Prouer. 8

Ll 2 hostem

hostem pellere, & communia negotia tractare possent. **D**
 Hinc sodalitates primū institutę, mox conditę ciuitates,
 ac demum varię gubernationum formę sunt excogitatę,
 vt videlicet alij omnium aut maioris partis communi de-
 creto rem geri vellent; alij certos optimates sibi præfice-
 rent; alij mallent vni præcipuē rerum gerendarum summā
 committere: quod genus gubernationis regium, aut Impe-
 ratorium vocatur. Et quoniam vnus præfectura tum iuri
 naturali (quod vxorem filios & nepotes vni viro parere
 iussit) maximē consentanea, tum apud plerasq; gentes fa-
 cillimē recepta & conseruata erat; factum est, vt reges non
 tam certorum populorum ciuili, quā penē omnium gen-
 tium communi iure præesse iamdiu viderentur. Quod ta- **E**
 men ita non debet accipi, tamquam reges ex præscripto
 iuris gentium regnent (alioqui nullus esset populus vbi
 non regnarent) sed quod & in plerisq; ciuitatibus regnēt,
 & ius illud quo regnant, omnium populorum ac gentium
 consensu iam sit constitutum & confirmatum. Nam illi
 etiam populi, quibus reges non præsunt, tamen ius regium
 & sciunt, quia id in vicinis locis exerceri vident, & appro-
 bant, quia vident illud à recta ratione non abhorrere. Ius
 autem liberi & absoluti regis hoc erat, vt quidquid subdi-
 tis suis ob communem suam & ipsorum vtilitatem impe-
 rasset, etiam si filios, filias, agros, oliueta, segetes, vineas,
 seruos, ancillas, asinos, & greges illis auferret, id totum illi **F**
 dare & concedere deberent. Vtilitati verò communi &
 hoc adscribitur, vt rex habeat assiduē in familia & curia
 sua equites & præcursores quadrigarum suarum, tribu-
 nos, centuriones, aratores agrorum suorum, messorum fe-
 getum, fabros armorum, & curruum suorum; vnguentarias,
 focarias, & panificas; eunuchos, famulos, deniq; seruos lo-
 cupletes. hoc erat ius regis.

Iam sciendum est, reges non solū apud infideles na-
 tiones, verū & in ipso Dei populo, secundum hoc ius
 regnasse, sicut & Moyse prædixit, & Samuel declarauit.
 Cum dixeris, inquit Moyse, constituam super me regem;
 sicut

A sicut habent omnes per circuitum nationes, eum consti-
 tuens, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fra-
 trum tuorum.

Tria hic animaduertenda occurrunt: Vnum, quod ipse
 populus prædicitur dicturus, Cōstituam super me regem;
 ex quo perspicitur constitutionem regum à libera & spō-
 tanea hominum voluntate profectam esse: Alterum, quòd
 populus Dei regem sibi constituere volebat, sicut ceterę
 nationes habebant. vnde patet iudaicum, aut Christianum
 regem non differre in iure quidem regio, à ceterarum gen-
 tium regibus, cum ad aliarum gentium formam Dei popu-
 lus regem sibi constituerit. Tertium est, quòd Deus in per-
 sona regis eligenda eam conditionem apposuit, vt popu-
 lus fidelis non posset infidelem sibi regem constituere.
 Ista conditio ex Deo est, non ex hominibus. Quod verò
 ad nostrum institutum hoc tempore attinet, satis constat
 qualiscunque sit persona regis, tamen ius regium & ab ho- **I. Reg. 8**
 minum consensu (Deo ita rem disponente) ortum esse,
 & idem apud fideles atque infideles existere. Vnde Iudæi
 ad Samuelem dixerunt. Constitue nobis regem, vt iudicet
 nos, sicut & vniuersę habent nationes. rex enim erit super
 nos, & erimus nos quoq; sicut omnes gentes, & iudicabit
 nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit prælia
 nostra pro nobis.

C Officium ergo regis tam in Dei populo, quā in cete- **Officium**
 ris nationibus hoc erat, vt domi populum iudicaret, mili- **Regis.**
 tię prælia pro illo iniret, eosq; ad bellum aut ipse per se,
 aut per aliquem ex optimatibus suis educeret. Quidquid
 autem populus vllus in vllō genere gubernationis præfi-
 ciendo sibi & constituendo secundum rectam rationem
 fecisset, id Deus quoque fecit, tum quia dedit populo eam
 mentem & consensionem, tum quia opus illud stabiliiuit
 & corroborauit. Hinc cum Roboam filius Salomonis de-
 cem tribuum postulatis non acquiesceret, ac propterea **3. Reg. 12**
 decem tribus congregato cœtu vocarēt Ieroboam, & eum
 constituerent regem super omnem Israel: Deus dixit hęc
 rem

rem à se factam esse. Itaque & vnum regem omnibus Isra- **D**
 elitis Deus primùm dedit, & duos postea dedit, vtraque in
 re id confirmans, quod populus suus liberè petiuerat, &
 elegerat. Vnde efficitur, vt regum constitutio sit quidem à
 Deo, sicut alia omnia; sed ita sit, vt Deus non ex solo bene-
 placito misericordiæ suæ, verùm interiectis hominum vo-
 luntatibus, eos creauerit & constituerit. Iam ex qua parte
 homines regum constituendorum auctores sunt, reges di-
 cuntur esse terreni, sæculares & mundani, seu de terra, sæ-
 culo, & hoc mundo. Quod adeo verum est, vt Samuel dixit,
 Grande malum fecistis vobis in cōspectu Domini, pe-
 tentes super vos regem; & populus respondit, Ora pro ser-
 uis tuis dominum Deum tuum, vt non moriamur, Addi- **E**
 dimus enim vniuersis peccatis nostris, vt peteremus nobis
 regē. Sicut ergo iuramentum ex malo est, licèt malum in
 se nō sit, ita & constitutio regum, quæ non est mala, est ta-
 men ex malo. & ideo non cælestibus Dei gratiis & donis,
 verùm terrenis operibus annumeratur: neque ex Deo so-
 lo est, vt fides, charitas, religio, & regnum Christi: verùm
 etiam ex hominibus & mundo, vt Christus ipse attestatur;
 cum dicit, Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex
 hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decer-
 tarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meū
 non est hinc. Dicendo regnum suum non esse hinc, nec de
 hoc mundo, facilè significauit aliorum principum & ma- **F**
 gistratum ciuiles potestates, quorum ministri pro ipsis
 decertant, hinc esse, & de hoc mundo esse; vt meritò dici
 & possint & debeant terreni reges, ac sæculi principes, de
 quibus etiam Paulus ait, Nullum ex huius mundi princi-
 pibus Dei sapientiam in mysterio absconditam cognouisse.
 Si enim cognouissent, numquam Dominum gloriæ cru-
 cifixissent. Huius mundi principes appellauit non solum
 Dæmones, verùm & philosophos, & reges, & quoslibet
 potentes, quorum prærogatiua humanis modis acquiritur,
 sicut etiam Dauid apertius ait, Astiterunt reges terræ, &
 principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, &
 aduer-

A aduersus Christū eius. Reges terræ nihil aliud sunt, quàm
 terreni reges, cuiusmodi erant Herodes & Pontius Pila- **Aff. 4.**
 tus, in quibus hanc Dauidis prophetiam impletam fuisse
B. Paulus docet. Porrò Herodes fuit Tetrarcha Galilææ, nō **Luc. 3. eb**
 alienus à Iudæorum seclā, nec propterea eò minus rex ter- **23.**
 renus, eo quòd hominum opera eam potestatem adeptus
 esset. Vnde etiam Augustinus Constantinum Magnum
 vocat terrenum regem, licèt is quoque nec tum quidem à
 Christiana fide abhorreret. Cum enim Donatistę ad Cō- **Optatus**
 stantinū appellassent, is exclamauit: O rabida furoris auda- **lib. 1.**
 cia, sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem in-
 terposuerunt. Vbi cū causas Christianorū à gentiliū causis
 discreuerit, ea quæ Christi sunt nō ignorasse ostēditur. Por- **August.**
B rò Augustinus eūdem Constantinū vocat terrenū regem **ep. 48.**
 his verbis: Donatistę datos sibi Episcopos iudices apud ter-
 renū regem (videlicet Constantinum) accusauerunt. Am-
 brosius verò cum audiret Flauianum ex Antiochię Episco- **Lib. 10.**
 pis, qui tunc plures erant, vnum ad Theodosium confugisse, **ep. 78.**
 vt Imperatoris ope se ipsum facilius contra Pontificem
 Romanum, qui Euagrio eius æmulo fauebat, tueretur; ad
 Theophilum scribit in hæc verba: Habet quod metuat
 Flauianus, ideoq; refugit examen. Scribit Sanctitas tua
 Flauianum ad Imperialium rescriptorum suffragia remea-
 uisse. Frustra ergo tantorum sacerdotum susus labor. ite-
 rum ad huius sæculi iudicia reuertendum. Ambrosius er-
C go Theodosij Imperatoris iudicium, licèt is foret Christia-
 nus, iudicium sæculi vocat, & ab Ecclesiastico iudicio di-
 scernit. Non enim quia Theodosius fuit Christianus, id-
 circo Imperij Romani potestas terrena esse desijt, cū Theo-
 dosius in eo Imperio non Petro Apostolo, quem Christus **Matt. 10**
 instituit primum Apostolorum, sed Octauio Augusto suc-
 cesserit, quem veterani milites in gratiam Iulij Cæsaris
 (Deo ita volente) ad Imperij maiestatem euexerunt. Qua-
 propter vt communi cum ceteris hominibus iure Christia-
 ni emunt, vendunt, & contractus alios ineunt; sic etiam
 Christiani reges communi iure cū ceteris gentium Ethni-
 carum

Gen. 10. carum regibus præfunt, nec Apostolorum, sed Nemrodi, D
Nini, Cyri, Alexandri, & Cæsaris successores & sunt, &
appellantur.

Lib. 2. hi Refert Sulpitius Seuerus Martinum Turonensem Epi-
stor. sa- scopum (quem virum Apostolis conferendum ait) satis su-
cre. perq; sufficere dixisse, vt Episcopali sententia hæretici Pri-
scillianistæ iudicati (quod Cæsar Augustæ in Hispanijs fa-
ctum erat) Ecclesijs pellerentur. Nouum esse & inaudi-
tum nefas, vt causam Ecclesiæ Iudex sæculi iudicaret. Hęc
Martinus; Qui non Ethnicum modò, sed & Christianum
Imperatorem, ad quem Priscillianus à Damaso Papa reie-
ctus se contulerat, sæculi iudicem appellat, causamq; Eccle-
się iudicare non debere contendit. Reges igitur etiam post E

Ad The Christianam incipiunt Ecclesiastici iudices fieri. Hiero-
siphōtem nymus quoque ait Priscillianum, quem Maximus rex Chri-
aduersus stianus Treueris agens capitis damnauerat, sæculi gladio
Pelagii. damnatum. Christiani regis gladium non Ecclesiasticum,
sed sæcularem appellat: quia non eum de manu ministro-
rum Ecclesiæ velut à Christo institutum, sed de manu mi-
litum velut ab ipsis subministratum acceperat. Chryso-
stomus etiam, cuius etate Imperatores erant Christiani, ta-
men in vniuersum ita scribit: Habent & terrestres Prin-

Lib. 3. de cipes vinculi potestatem, sed corporum solùm. Sacerdo-
Sacerdo- tum autem vinculum ipsam etiam animam contingit. De-
tio. nique Leo Magnus cum videret Episcopum Constanti-

Leo ep. nopolitanum idcirco velle Patriarchis Alexandrino &
52. Antiocheno præferri, quòd regiæ Urbis esset Episcopus,
quamquam tunc Imperatores & catholici essent, tamen ad
Martianum Augustum ita scribit. Alia ratio est rerum sæ-
cularium, alia diuinarum. Non dedignetur Anatolius re-
giam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere se-
dem. Ac iam abundè tum ex Euangelio, tum ex antiqua
Ioa. 18. lege, tum ex sanctorum patrū testimonijs declaratum est,
1. Reg. 8. reges & Principes etiam Christianos habere potestatem suam
& 12. etiam ex hoc mundo, ac non ex solo Deo, & propterea esse

ac

A ac manere non nisi reges terrenos, mundanos, sæculares,
nec per fidem & baptismum Christi Ecclesiasticos aut
cælestes, aut spiritales iudices in causis Ecclesiæ cognoscē-
dis aut iudicandis fieri. Nam si fides & baptismus Christi
susceptus regem antea terrenum iam faceret cælestem &
spiritalē regem, ita vt causas & res diuinas iudicare au-
toritate regia deinceps posset; etiam ciuili & Romani iu-
ris, imò & artis medicæ prius peritum faceret, deinceps di-
uini & cælestis iuris tam peritum, vt non secus in diuino
iure absque alia scientia vel potestate accepta, responsa da-
re, & Euangelium cum auctoritate annūtiare posset, quàm
aut ante in iure ciuili, aut medendi facultate hoc ipsum fa-
cere poterat, aut adhuc potest. Ceterum per fidem & ba-
ptismū hęc sola potestas acquiritur, vt filius Dei quis fiat,
non item vt res Dei iudicet aut disponat. Alioqui omnes
baptizati ex æquo id facerent; absque eo quod ad prædi-
candum de nouo mitterentur, quod à Christi doctrina
abhorret.

Ioa. 1.
Rom. 10
Heb. 5.

De origine potestatis Ecclesiasticæ, & quod potestas
administrandi Ecclesiam neq; Iudaicis, neq; Chri-
stianis regibus à Deo tributa sit. Cap. II.

C Am Ecclesiam, inquit Aclerus, quàm Rēpubli-
cam administrandi potestatem Principibus no-
stris à Deo tributam, vt tam in rebus Ecclesia-
sticis Clero, quàm in ciuilibus populo impe-
rare possint, contra vestram Monarchiam contendimus.
Hęc ille.

Romanar
chig lib.
2. c. 3.

Cum nihil, Aclere, in causis diuinis aut credendum aut
gerendum contendas, quod in sacris litteris expressum
non sit: Cur eum locum ex scripturis sacris non profers,
qui potestatem regibus tam Ecclesiam, quàm Rēpubli-
cam administrandi à Deo tributam esse conuincat? Nam
quod scriptum est, Regem honorificandum, omnemq; ani-

2. Pet. 2.

M m

mam

Rom. 13. mam sublimioribus potestatibus debere subijci: cū ea ver- **D**
 ba Neroni Ethnico, qui tunc imperabat, Christianos pare-
 re iusserint, nullam verò potestatem administrandi Eccle-
 siā Neroni ex illis verbis tributam esse, tu ipse concedas;
 certè huiusmodi scripturarum loca tuum propositum ni-
 hil omnino prouehunt, aut confirmant. Quanto præcla-
 rius Leo Magnus docet, aliam sæculariū, & aliam diuinarū
 rerum esse rationem? Regna sæculi ex Deo quidem sunt,
 sed per humanam cogitationem & consensum instituta;
 vt iam proximè demonstrauius. Et quia modum, quo
 Deus potestatem sæcularem constituit, humanæ rationi &
 voluntati subiecit; meritò dicimus potestatem sæcularem
 siue regiam, seu quamlibet aliam ex hominibus esse: **E**
 iam quia homines regna & politias iustituerunt non per fidei
 diuinum lumen, sed per mentis & rationis naturalem vim
 & facultatem, quæ post peccatum ex se ipsa non nisi rebus
 terrenis addita erat; idcirco potestatem regum, aut opti-
 matum vnā cum sanctis patribus vocamus terrenam &
 sæcularem.

Longè autem secus in Ecclesiæ Dei origine, atque in spi-
 rituali potestate instituēda se res habuit. Ecclesia enim Dei
 quæ regnum Christi est, non est ex hoc mundo. Filij enim
 Dei (qui sunt Ecclesia ipsius) neque ex sanguinibus, neque
 ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo
 nati sunt, quia Verbum caro factum est, & habitauit in no- **F**
 bis. Quantum ergo inter filios Dei & filios hominum,
 hoc est, inter lucem & tenebras interest, tantum etiam
 inter Ecclesiam Dei & Rempublicam humanā interest.
 Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est
 de spiritu, spiritus est. Deus quidem condidit tam car-
 nem quàm spiritum, hoc est tam hominum sæcularem
 confociationem, quàm spiritalem in Ecclesia sua vi-
 uendi communionem: sed alijs atque alijs modis has res
 procreauit. Regna sæcularia per consensum & operam
 humanam: Regnum verò Ecclesiæ per mediatorem Dei
 & hominum, hominem Iesum Christum. Quamuis ergo
 prin-

In epist
 ad Mar-
 tianū. Au-
 gust. ep.
 52.

Ioan. 18

Mat. 5.

Ioan. 1.

Gen. 6.

Ioan. 3.

1. Tim. 2

sphef. 4.

A principium sit vnum, quia vnus est Deus ex quo sunt om- **Deut. 17**
 nia: tamen modus est alius atque alius (Nam humanæ
 Reipublicæ per hominum ingenia & placita constitutæ
 sunt, Ecclesia verò per solum Dei beneplacitum, quo ex **1. Reg. 8.**
 nimia charitate sua Christum nobis Saluatorem dedit, in
 quo ipsi benè complacuit) propterea dicimus regna sæcu- **Mat. 3.**
 laria esse terrena, regnum verò Ecclesiæ non nisi diuinum **Et 17.**
 & cæleste. Sicut enim Christus, licèt in mundo esset, & lux **Ioan. 1.**
 mundi esset, tamen non erat de mundo, sed de cælo descen- **Et 8.**
 dit, vt daret vitam mundo: Sic & Christi Ecclesia quam **Ioan. 6.**
 in mundo sit, & lucerna sit supra candelabrum po- **Mat. 5.**
 sita, quæ lucet omnibus qui in domo Dei sunt, non tamē
 de mundo aut ex mundo est, verum ex Deo & de cælo.
B Vnde Ioannes in Apocalypsi ait: Ego Ioannes vidi sanctā **Apoc. 21**
 ciuitatem Hierusalem nouam descendentem de cælo; à
 Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo, & audiui
 vocem magnam de throno dicentem, Ecce tabernaculum
 Dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi po-
 pulus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Quæ cum ita sint; putas ne Aclere, Deum ita rem in-
 stituisse, vt terrenus aliquis rex, etiam si filius Dei per fi-
 dem & baptismum factus sit, Ecclesiam Christi, quæ regno-
 rum cælorum est, vt terrenæ potestatis suæ absque alia di-
 uina potestate adiuncta, ritè administraret? An hoc aliud
 est quàm Christi sponsam ac potestatem eius diuinam cæ-
 lestemq; terrenæ potestati subijcere? Quo enim iure, quo
 titulo, hanc sibi potestatem rex terrenus vendicat? Vtrum
 quia rex est? at hoc illi cum Sardanapalo, cum Cæsare, cum
 Nerone commune esse iam audisti. An quia Christi bap-
 tismo initiatus est? ac isto modo etiam singuli Christiani Ec-
 clesiam administrarent. Porro quid præterea iuris acce-
 pit rex tuus, quo Ecclesiam administraret? An de manu
 Christi clauē regni cælorum accepit? Nemo sumit sibi **Mat. 16.**
 honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron. Quan- **Hebr. 5.**
 do igitur vocatus est rex tuus ad Ecclesiā Christi admini-
 strandam? Quibus Euangelij verbis? Quo Ecclesiæ sa-

cramento? Vtrum quando rex inunctus fuit? an igitur illam vnctionem regis, tu sacramētum aliquod, aut signum à Deo institutum esse ponis, quo regi potestas ad Ecclesiam administrandam data sit? Hoc si dicis, per te plusquā duo sacramenta erunt, quod certè Calvinus pontifex & apostolus vester numquam vos docuit. Nec sanè vnquā vel fando auditum est inunctionem regis à Christo institutam fuisse, aut diuinum aliquod sacramentum esse. Alioqui cum Esaias iubebatur in Damascum reuerti, & vngere Nazael regem super Syriam, & Iehu filium Nansi regem super Israel; tam ethnico, quem schismatico potestatem administrandi Ecclesiam Dei contulisset, iisdemq; iussus esset sacramentum diuinum impartire, cum tamen Dei sacramenta solis fidelibus præparata fuerint à Deo, nec alijs per Dei ministros dispensanda sint. Vetamur enim projicere margaritas ante porcos. Nam inter dispensatores id quæritur, vt fidelis & prudens quis inueniatur. Qui autē sacramenta Dei ethnicis daret; nec prudenter ageret, quia hæc non est mensura tritici, quæ illis debetur; nec fideliter, quia in oues & agnos Christi, non in lupos aut porcos potestatem accepit, & præterea communicaret cū peccatis alienis; quod ne in manuum impositione committeret, Paulus Timotheum admonuit. Si ergo inunctio regis Syriæ, & regis Samariæ non fuit sacramentū aliquod, ne dum tale quo potestas administrandi Ecclesiam illis daretur; neque Christiani regis inunctio & consecratio sacramentum est, quo ei potestas detur ad Ecclesiam administrandam, propterea quòd omnium istorum inunctio nihil aliud significet quàm Deum esse auctorem illius regie potestatis, quæ Rempublicam illam, de qua agitur in ijs quæ ad homines pertinent, administrat. Oleum enim quod liquoribus alijs superfertur, & excellentem Dei erga nos misericordiam, & præstātem illius qui vngitur dignitatem demonstrat. Sed cum rex non ab alio rege, non à duce aut comite (qui sunt velut gradus quidam regij status) verum à solo sacerdotalis ordinis viro inungatur; certum est regem

Secunda
ratio.

3. Reg. 19

Matt. 24

1. Cor. 4

Ioan. 21

1. Tim. 5

A regem, qui ita sanctificatur, vt post ea neminem sanctificare possit; minorem illo esse à quo in Dei nomine consecratur. Nam sine controuersia, inquit Paulus, quod minus est à meliore benedicitur. Inunctio igitur, quæ à Sacerdote regi confertur, nec ab vlllo rege conferri potest, non modò nō facit regem sacerdote maiorem, sed potius declarat eundem sacerdote minorem esse. Vnde Chrysofomus vtrumque ordinem, nempe Regium & Sacerdotalem inter se conferens ait: Maior est sacerdotij principatus. Propterea rex submittit caput manui sacerdotis, & vbique in veteri scriptura sacerdotes inungebant reges. Hęc ille. Animaduertendum & illud, regem quando inungitur nec ad sacrum faciendum nec ad Ecclesiam gubernandam inungi. Nam quid sacri faceret aut profanus; Syriæ aut schismaticus Samariæ rex? aut quam Ecclesiam administrarent, quorum omnes aut penè omnes subditi colebant idola?

B Quapropter cum eadem sit Ethnici & Christiani principis regia potestas, constet verò inter nos Ethnicum regem non posse Dei Ecclesiam administrare; constare etiā deberet, neq; Christianum regem vi regie suæ dignitatis Ecclesiam administrare posse.

C Qualis est cuiusque Reipublice primus magistratus, talis ea Respublica dicitur & iudicatur. Nam si rex præest, regnum; si optimates, optimatum præfectura; si populus gubernat, politia vel status popularis appellatur. Itaque si rex terrenus Ecclesiam Christi administraret, Ecclesia Christi diceretur & esset nō cæleste sed terrenum regnum, quod à vero alienissimum esse nec tu negabis: Ni si fortè dices, regem Christianum esse regem non iam terrenum sed cælestem. Obsecro te, qui regnant in Anglia, vtrum iure & more illius regionis non possident illud regnum hæreditario iure? an statim ac primo loco nati sunt, ius ad regnum obtinendum non habent? an ex eo ipso iure Principes Vuallie interim dum pater eorum viuit, & regnat non dicuntur? an potest quisquam ex vtero matris

Dei

WYF
Heb. 7.

De ver-
bis Esaię
hom. 4.

Q
E
O

Tertia
ratio.

Quarta
ratio.

Nota. Dei filius, aut rex cælestis procreari? Christiani non nascuntur, sed fiunt; Angliæ autem reges non fiunt, sed nascuntur. illorum ergo regium ius terrenum est, non cæleste. Nec baptismus subsecutus magis eos facit cælestes aut spiritales reges, quàm Ducum, Comitum, aut Marchionū, primogenitos facit cælestes aut spiritales Duces, Comites aut Marchiones. Ac profectò quo iure Christiani reges Ecclesiam illius Prouinciæ, in qua regnum obtinent, administrarent, eodem Christiani Comites, Duces, ac Marchiones suarum singularum prouinciarum Ecclesias administrare sub eisdem regibus Christianis deberent, vt membra suo capiti consentanea essent. Quis hæc absurdissima esse, & ab instituto Christi alienissima non videt? Christi Ecclesia non ex vtero matrum prodijt, vt primogeniti regum & comitum, sed de cælo descendit, hoc est non aliqua naturali, sed cælesti solùm potestate supra omnem humanam cogitationem & facultatem instituta est & procreata. Porrò descendit de cælo non mutila, non manca, non orbata capite, verùm integra, perfecta, & velut sponsa ornata viro suo. Cum ergo Ecclesia Christi regnum sit, non de hoc mundo, sed cæleste; profectò cum rege suo cælesti descendit, vtique cum Christo, qui non ex humano semine, sed per operationem Spiritus sancti ex Maria Virgine natus est. Christus autem hoc modo natus, cum præsentiam suam visibilem subtraheret, etiam visibilem Præfectum, qui eandem Ecclesiam administraret instituit, non sanè secundum terrenam originem, qua is Præfectus in peccato conceptus erat: sed secundùm ius quod post spiritalem regenerationem suam ex Dei dono accipere, quo dixit ad Petrum, Amas me plus his, Pasce oues & agnos meos. Hæc est potestas de cælo descendens, quia ex Christi ore accipitur, qui de cælo descendens dedit Ecclesiæ suæ primum Apostolos, deinde Prophetas, tum autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in edificationem corporis Christi. Paulus enim Apostolus non ab hominibus neque per homi-

nem,

A nem, sed per Iesum Christum & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis. An quisquam regum rectè dixerit, se non ab hominibus neque per hominem esse? Cum igitur Ecclesia Dei descenderit de cælo, non modò cum suo æterno capite Iesu Christo, sed etiam cum suo capite Vicario, quod Christus instituit, iubens Petrum agnos & oues suas, vt plus alijs diligentem pascere & gubernare; quo iure ingerunt se terreni reges in Dei cælestem sponsam? Deus regno cælesti regem terrenum non præficit, neq; cum corporis sui mystici etiam pedes è cælo demiserit, ipsum caput è terra mutuatur.

B Si reges instar ceterorum hominum concipiuntur, fo- uetur in vtero matrum, nascuntur, & demum educantur; profectò etiam renascuntur, sicut ceteri Christiani; quorum nullus potest aut pater Ecclesiæ esse, antequam Ecclesiæ filius fiat, aut statim cum in filium generatus fuerit, eorum qui eum genuerunt pater fieri. Qui verò administrat Ecclesiam summo in gradu, quemadmodum Ecclesia tamquam familia quædam ei subiecta est, sic ipse tamquàm loco patrisfamilias illam gubernat. Reges verò, cum ad Christi Ecclesiã accedunt, primùm ab illa per sancta desideria & vota concipiuntur, deinde per spem & subministrationem alimenti spiritualis fouentur, donec per aquam & spiritum sanctum renascantur. Itaque reges etiam potentissimi antequam Ecclesiæ inferantur, non minus quàm priuari omnes, verbo catechizandi sunt, sicut Dauid prædixit, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Catechizantur autem ab ijs, quibus Christus dixit, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos. Qui catechizat & erudit aliquem, eius pater in Christo est. In Christo, inquit Paulus, per Euangelium vos genui. Omnis autem filius per ius naturæ subest patri suo etiam spirituali. Nam patres carnis nostræ eruditores habuimus. num multo magis obtemperabimus patri spirituum & viuemus? Non obtemperat patri spirituum qui ministros Christi non audit. Obedite, inquit Paulus, præpositis vestris, & subiacete

cete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro ani-
 mabus uestris reddituri. & iterum: Rogamus vos fratres,
 vt noueritis, eos qui laborant inter vos, & p̄sunt vobis in
 Domino, & monent vos, pacem habete cum eis. Si rex
 debet agnoscere & Ecclesiam totam pro matre, & pasto-
 rem Ecclesie Christi velut patrem & p̄positum suum in
 Domino, certè vt spiritalem patrem, & p̄positum agno-
 scet illum. Quid est autem regem agnoscere Episcopum
 vt patrem & p̄positum spiritalem; nisi agnoscere quod
 Episcopus in sacris & spiritualibus causis maior ipse rege
 sit, & in illis causis tanto maior, quanto per ius naturæ
 pater filio maior est? Imò cum plus sit in Christo regene-
 rari ad æternæ vitæ hereditatem; quàm à patre terreno
 ad æternam mortem generari: sicut Deus per spiritalem
 eruditorem plus regi confert, quàm per carnalem con-
 tulit; sic propter Deum plus obedientiæ rex in Dei causis
 spiritali pastori debet, quàm in sæculi rebus carnali paren-
 ti debere potuit. Et certè per naturam filius numquam
 potest compensare beneficium, quod siue à spiritali, seu à
 carnali patre accepit. Atque ideo vt in æternum filius pa-
 trem honorare, atque in ijs quæ naturæ sunt semper debet
 obedire: nec alius quàm impiissimus & ingrattissimus habe-
 ri posset, si parentibus suis in domo & familia ipsorum,
 atque in ijs bonis, quæ propriè paterna sunt, præesse &
 imperare conaretur: sic etiam rex Christianus si pastori-
 bus & spiritualibus parētibus suis in ijs spiritalibus bonis,
 quæ ad ministros Christi & dispēfatores mysteriorum eius
 propriè spectant, præcipere & imperare conaretur, om-
 nium hominum impiissimus, & ingrattissimus meritò ha-
 bendus esset. Deus autem non est auctor sed vltor impie-
 tatis, nec violator sed vindex iuris naturæ: numquam igitur
 fieri potuit, vt Deus regi summam potestatem in Ec-
 clesiam eiusdem regis matrem, aut in ministros Christi, pa-
 tres ipsius regis & eruditores, ad spiritalia Ecclesie bona in
 summo imperij gradu administranda concederet.

Nota.

Septima
ratio.

Præterea cum rex sit alicuius Ecclesie membrum, non
statim

A statim fit eiusdem Ecclesie radix: (alioqui Ecclesia saltem
 illius Prouinciæ, in qua is regnat, primùm incoepisset ab
 illo quod secus est) verùm inferitur in eiusdem Ecclesie sti-
 pitem, velut ramus, vt comparticeps & socius radicis fiat.
 Non ergo debet gloriari aduersus radicem, quia non ipse
 radicem portat, sed radix illum. Quod cum sit argumentū
 Apostoli ad omnes gentes commonefaciendas, ne glori-
 entur aduersus Iudæos, quamquam infideles; quia Patriar-
 che, hoc est Iudæorum patres portant Christianas gentes;
 multo magis valere debet ad commonefaciendos reges,
 vt ne aduersus ipsam Ecclesiam fidelem & Christianam,
 quæ tamquam particularis quædam radix portat illos, glo-
 rientur, eamue sibi subiiciendam in rerum Ecclesiastica-
 rum administratione contendant. Si enim rex Angliæ
 diceret se Ecclesie Anglicanæ caput, gloriaretur aduersus
 illam velut sibi subiectam, cum tamen ramus non habeat
 sibi subiectam radicem, sed potius ab illa in ijs, quæ ad ar-
 boris naturam spectant, regatur & gubernetur. Nec tan-
 tum ex primo regis in Ecclesiam ingressu animaduertitur
 ipsum non posse Ecclesie caput & summum administrato-
 rem esse, verùm etiam ex reliqua vita & consuetudine.
 Semper enim debet rex Christianus audire prophetas &
 pastores Ecclesie, vt sciat quomodo regnum suum iuxta
 Dei verbum administret. Qui enim Christi ministros
 non audit, nec ipsum Christum in eis loquentem audit.
 Quorsum verò audiet, nisi vt obediat Euangelio & cre-
 dat ijs quæ audit? Qui autem in administrando regno suo
 alium audire & sequi iure diuino cogitur, eius regnum à
 spiritali Ecclesie pastore, magna ex parte in causis ciuili-
 bus administratur; tantum abest, vt ipse regnum Ecclesie
 in vllis causis diuinis administret. Quemadmodum enim
 Paulus dicit, heredem quanto tempore paruulus est, quàm
 quam sit Dominus omnium, tamen nihil differre à seruo;
 quia sub tutoribus & actoribus agit vsq; ad præfinitum tem-
 pus à Patre: sic etiam Christianus rex, qui ministros Chri-
 sti audire, & Dei verbo per eos nūtiato parere iubetur, ita

Nn sub

sub præconibus iustitię tamquam sub curatoribus quibus **D**
dam agere debet, vt cum sit Dominus omnium in gubernatione
ciuili; tamē in ijs quę Dei sunt, nihil à seruo differat,
2. Pet. 1 sed omnia secundum normam verbi diuini & interpreta-
tionem Prophetarum, & pastorum Ecclesię administrare
neesse habeat. Et quomodo caput, aut summus modera-
tor Ecclesię dicitur qui neesse habet alijs in moderanda
1. Reg. 13 etiam Republica obedire? Vtrum enim non abiecit Deus
& 15. Saulē ne regnaret, eo quòd non audisset vocem Samue-
Malach. 2. lis, nec obedisset verbo Domini, quod ille nuntiabat? La-
bia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requi-
rent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est.
Quis ergo verius administrat Ecclesiam in rebus diuinis, **E**
vtrum is qui tamquam Dei Nuntius audiri iubetur, qui est
sacerdotis locus, an is qui necessariò alium legem Dei do-
centem audit, quod regi facere neesse est? Certè cum
Moyses summum atque æternum Ecclesię administrato-
rem indicaret, hoc signo primatum eius descripsit, Prophe-
tam suscitabo eis de medio fratrum tuorum similem tui,
Deut. 18 & ponam verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia
quę præcepero illi. Qui autem verba eius quę loquetur,
in nomine meo audire noluerit, ego vltor existam. Deus
Matt. 17 etiam ipse in Euangelio dixisse narratur de Christo, Hunc
audite. quem ergo in exponenda lege ac voluntate Dei
tenentur audire, is potissimùm administrat Ecclesiam, quę **F**
verbo Dei pascitur & administratur: sed in vetere testamē-
to lex Dei erat requirenda ex ore sacerdotis, quia is fuit
Mat. 28. Angelus Domini, & in nouo Apostoli & eorum succes-
Iphes. 4. sores audiendi sunt, quia illi iubentur docere, ac baptiza-
re omnes gentes, tamquam Prophetę, Euangelistę, Pasto-
res & Doctores quibuscum Christus est omnibus diebus
vsque ad consummationem sæculi. Certissimum igitur est
præcipuam Ecclesię administrationem penès Ecclesię pa-
stores, & non penès Christianos reges existere.

Nonara
tio.

Tu ipse fateris, Aclere, summum Iudicem esse illum ad
quem vltimo loco appellatur. sed in causis Ecclesiasticis
vltimo

A vltimo loco iturad sacerdotes, dicente ipso Deo, Sacerdo- **Exec. 44**
tes accedent ad me, vt ministrēt mihi: & cum fuerit contro-
uersia, stabunt in iudicijs meis & iudicabunt. Qui autem **Deut. 17**
superbierit nolens obedire sacerdotis iudicio, qui eo tem-
pore ministrat Domino Deo tuo, decreto iudicis morietur
homo ille, & auferes malum de Israel. In nouo etiam te- **Matt. 18**
stamento, qui Ecclesiam non audierit, iubetur nobis esse
tamquam Ethnicus & publicanus. Et per Ecclesiam eo lo-
co intelligitur iudex Ecclesiasticus in persona Christi li-
gans aut soluens quod ligandum aut soluendum est. Is
enim qui dixit ad Euangelistas & Pastores Ecclesię, Qui **Luc. 10.**
vos audit, me audit. Qui vos spernit, me spernit, dixit etiã. **Matt. 18**
B Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Pu-
blicanus. Idem ergo est audire Ecclesiam, quod Pastores
Ecclesię audire. Imò in eodem ipso loco, vbi Dominus
cum tamquam Ethnicum haberi iussit, qui Ecclesiam non
audiret, ad Apostolos dixit, Amen dico vobis quęcumque
ligaueritis aut solueritis super terram, erunt ligata aut so-
luta & in cælis: tamquam si diceret, Cum Ecclesiam dixi
audiendam, nihil aliud dixi, quàm vos esse audiendos.

Quid quòd promissio tam in vetere quàm in nouo testa- **Decima**
mento non regibus aut eorum semini, sed leuitis, & sacer- **ratio.**
dotibus facta est, vt illis adhererēt quicumq; salui esse vel- **Deut. 12**
lent. Caue, inquit Moyses, ne derelinquas Leuitam in
C omni tempore quo versaris in terra. Populus igitur Dei
ad sacerdotalem tribum alligatur, quę numquam defectu-
ra apud Ieremiam denuntiatur. Quin & Malachias dicit, **Ier. 33.**
Lex veritatis fuit in ore leui, & iniquitas non est inuenta **Malach. 2.**
in labijs eius: adeo vt ipse Christus cum in mundum venif-
set, non dubitauerit dicere, Super cathedram Moyfi sede- **Mat. 23.**
runt Scribę & Pharisei. omnia ergo quęcumque dixerint
vobis, seruate & facite. Quid simile vumquam de regibus
dictum est? Illi enim & longè post leuitas constitutos crea-
ri coeperunt, & à captiuitate Babylonica vsque ad aliquot
sęcula nulli omnino fuerunt, vt omittam quod pleriq; eo-
rum à Domino recesserant & apostatę facti sunt, vt Iero-

3. Reg. 12 boam, & posterius eius omnes Samarię Reges. itaq; si Deus **D**
 Ecclesiam suam regibus administrandam dedisset, ouem
 lupo commisisset. in nouo etiam testamento ad Apostolos
 Matt. 28 & ad eos qui post illos docerent, ac baptizarent omnes
 Matt. 18 gentes, promissio facta est, Christum omnibus diebus cū
 illis futurum vsque ad consummationē sæculi, & omnia in
 cælo soluenda & liganda, quæ illi soluissent aut ligas-
 sent, & nominatim promisit Dominus Petro, quod super
 Matt. 16 hanc petram ædificaret Ecclesiam suam, & portæ inferi
 Luc. 22. non preualerent aduersus illam. Pro illius enim fide Chri-
 stus rogauit, eamq; tam stabilem effecit, vt illum iuberet
 etiam fratres suos confirmare. Quod si promissionem
 veracis Dei summo studio nos amplecti oportet, vt im- **E**
 Abacuc. pleatur in nobis, quod Abacuc prædixit, Iustus in fide sua
 viuet, profectò adhærere nos oportet pastoribus & Docto-
 ribus Ecclesię, ac præcipuè ipsi Petrę, quam Christus plā-
 tauit ac stabilem nostra causa effecit, vt semper esset vnde
 confirmaremur in fide vera. Nam si Christianos Impera-
 tores & Reges animo & oratione percurrere volumus, vi-
 debimus quàm arundineus baculus illi nobis fuissent. Si
 Constantinus Magnus fuit fidelis, tamen præ ignorantia
 rerum Ecclesiasticarum partim iudicauit, controuersiam,
 quæ inter catholicos & Arianos de Christi diuinitate e-
 rat excitata, rem non maximi ponderis extitisse, vt ex epi-
 stola eius ad Alessandrum & Arium apparet, partim præ **F**
 nimia credulitate fidem personis non grauissimis adhibēs
 & Athanasium affixit, & Ario tamquam Catholico, dece-
 ptus fauit. Iam verò filius eius Constantius fuit apertè
 Arianus, & tamen nobis hunc obtrudis, Aclere, pro sum-
 mo Ecclesię administratore? Nisi Christus Ecclesię suę
 melius quàm tu, consulisset, utiq; vnà cum summo ca-
 pite suo iam dudum tota in infernum præcipitata esset.
 Iulianum omitto, qui Constantio successit: nam nec
 tu illi administrationem Ecclesię opinor dedisses. Por-
 rò qui eum sequebantur Iouinianus & Valentinianus
 senior, si Catholici fuerunt; non ne Valentiniani frater

Valens

A Valens hæreticus erat? Si Gratianus & Theodosius Ec-
 clesiam Dei propugnarunt; nonne Iustina Valentiniani
 iunioris mater eandem affixit? Si Theodosius iunior &
 Martianus fidē magno studio prouexerunt, eandem Zeno
 per simulatū illud vnionis & pacificationis edictū labefa-
 ctare, Anastasius verò Euthychianis fauens apertè, prorsus
 euertere conatus est. Si Iustinus & Tiberius Secundus Ca-
 tholici; Iustinianus Eutychie hęresis suspectus, Hera-
 clius autem apertus Monothelita habitus est. Cōstantinus
 Heraclij filius pietatis cultor; Constans eiusdem nepos ve-
 ritatis persecutor fuit, Constantinus Pogonatus Heraclij
 pronepos, sextam catholicam synodum propugnauit; Iu-
 stinianus Heraclij abnepos eandem (pseudosynodo indi-
 cta) oppugnauit, cuius impietatem Philippicus Bardanos,
 Leo Iconomachus & Constantinus Copronymus imitati
 sunt. Contra verò ab eadem hęresi Artemius, Theodo-
 sius Atramytenus, & Irene abhorruerunt. Quid ergo est
 Aclere? nonne si regibus Christianis rerum Ecclesiastica-
 rum principatus creditus fuisset, actum penitus esset de Ec- **Ex euen-**
 clesiā? Nam si Ecclesiasticam historiam euoluas, inuenies **tis.**
 his omnibus monstris tum ceteros Episcopos, tum præci- **3. Reg. 1.**
 puè Romanum se oposuisse, atque ea ratione fidem in Ec- **12.**
 clesia conseruatam esse.

Sine controuersia, si Deus vnquam ea mente fuisset, vt **Vndeci-**
C vellet reges rerum Ecclesiasticarum summam habere po- **ms ratio**
 testatem, fecisset (id quod ipsi factu facillimum erat) vt re-
 ges primi omnium in Christum crederent, primi aliorum
 ad Christum conuersionem expeterent, primi Euangeliū
 alijs annuntiarent, primi eos qui crederent in Christum
 baptizarent, primi tam in Iudaico, quàm in gentium po-
 pulis Ecclesiam plantarent, nec eorum fides vnquam de-
 ficeret; quin & fratres confirmare iuberentur, vt isto mo-
 do & primitię humani generis in credendo fierent, & ma-
 tres credentium in concipiendo sanctum desiderium con-
 uersionis aliorum, & patres in seminādo eis verbum Dei,
 & fundamenta Ecclesię in ædificando fideles populos su-

pra

pra fidem suam, & radices in portando nouos populorum furculos quotidie inserendos, & summi pastores in pascēdo, & distribuendo vnicuique mensuram suam. Ista enim ratione cessarent argumēta omnia, quę nunc in scripturis sacris aduersantur huic ficto regum principatui. Nunc autem cum Ecclesia Christi aliquot sęculis constituta fuerit, antequam vlli reges fierent Christiani, vel summa illa imperandi Ecclesię potestas, quam nunc regibus Aclere vendicas; nullibi omnino, vel certę penę Episcopos & pastores Ecclesię Dei fuit. Nam Imperatores, qui eo tempore summam rerum in sęculo moderabantur, adeo non administrabant Ecclesiam, vt eam potius persequerentur & vastarent. Summum igitur illud Ecclesiasticum Imperium si nullibi omnino extitit, vt tunc inane & superuacaneum fuit; sic etiam inane adhuc est. Ecclesia enim Christi tribus illis prioribus sęculis nulla re necessaria caruit, cum esset plenitudo Christi omnia in omnibus adimplentis, vt Apostolus ait: Si illud summū Imperiū, quod Christiani reges in Ecclesiā sibi nūc arrogāt, superuacaneū nec olim fuit, nec adhuc est; vtiq; cū in regibus paganis, qui tunc imperabāt, esse nō potuerit, in Apostolis primū, ac deinde in Episcopis, & alijs pastoribus fuerit necesse est. Quę igitur pręfēt urafemel fuit Apostolorū & Pontificū, qui successerūt Apostolis; quo iure vel Episcopis adēpta, vel ad reges Christianos est trāsata? Nā si Christiani Reges numq̄ facti sunt Episcopi, nō video quo pacto quicquā Episcopalis auctoritatis ad reges Christianos transire potuerit; quanto securius Prophetarum oraculis, quām tuis ineptijs fidem, Aclere, habebimus? Illi autem nihil minus quām quod tu doces, docuerunt. Nam Esaias prędixit, reges in splendore Christi ambulantes (hoc est Christianos) Dei ciuitatem (vtrique Christi Ecclesiam) adoraturos vultu in terram demisso, & adoraturus vestigia pedum illius; adeo vt regnum, quod Ecclesię non seruiret, perituum esset: nonne qui iure adoratur ab altero, maior est illo qui adoratur illum? Quare cum Ecclesia Christi quibusuis Regibus

Duodecima ratio.

Ephes. 1.

Ephes. 4.

Matt. 18

Decima tertia ratio.

Esa. 49.

60.

D

E

F

tanto

A tanto maior sit, vt illi eam adorare debeant; quomodo fieri potest, vt rex ad summa Ecclesię gubernacula sedeat? Ius enim gentium est hoc, vt omnes populi adorent summos Pręfētos suos. Itaque si rex Christianus Ecclesiam in summo gradu administraret, Ecclesia ipsum adoratura esset, quam nunc ipse à Christo illuminatus dicitur adoraturus. Illi ergo reges, qui summunt sibi vt Ecclesiam proximę secundum Deum ipsum administrarent, non ambulānt in Christi lumine, sed à Diabolo principę tenebrarū excęcantur. Quid Prophetas perscrutor?

Ipsam naturę lumen in te requiro, Aclere: nam quem admodum in societate humana per æterna quędam honoris & administrationis signa facilē intelligitur quis in ea primum dignitatis locum teneat, is videlicet qui gladium, securim, faces, aut sceptrum portat, qui purpura induitur, quem satellites cingunt, populi adorant, principes deducunt; qui reis dat veniam, afflictis ius vltimum reddit, denique cui omnes deferunt & obediunt; eodem modo in Dei ciuitate non difficulter cognosci potest, quis Deo & Christo, in causis Dei maximę appropinquet, quis primus Apostolorum, aut Episcoporum sit; quis clauē regni cęlorum portet, quis cathedram Petri teneat, quis vltimo loco liget aut soluat, quis in summa Ecclesię specula tamquam ianitor vigilet, quis Episcopos ad Euangelizandum in orbem vniuersum mittat, quis eisdem ad synodos conuocatis velut pastor pręsit, ad quem maxima quęquę negotia Ecclesię, & appellationes vltimę in causis fidei (eo quod fides eius non deficiat) meritō deferantur, aduersus quem portę inferi numquam pręualuerint. quis denique totum corpus Ecclesię per totum orbem diffusum & propagatum in vnum velut ouile per communicatorias litteras suas colligat, & adunet, segregans orthodoxos ab hereticis, catholicos à schismaticis, lupos ab ouibus, & agnis, vt sit vna fides, vnum baptisma & pastor vnus Ecclesiam Christi sustentans, confirmans & pascens vsque ad consummationem sęculi. Hęc Apostolatus Ecclesiastici

Esa. 60.

Decima quarta ratio.

Rom. 13.

Matt. 10

Matt. 16

Marc. 13

Ioan. 21.

Luc. 22.

Matt. 16

Ioan. 10.

Ephes. 4.

Ioan. 10.

621.

D stici Euangelica signasti penēs Christianos reges omni-
 tate fuerunt, & adhuc sunt; dicas licet, Aclere, illos Ec-
 clesie summa gubernacula tenuisse. Sin tu ipse fatearis
 illos nec minimum quidem ex omnibus Christi sacramen-
 tis posse ritē atque ordine administrare, eo quod ad tantā
 dignitatem assumpti & consecrati non sint; non minus
 inepta est, & à communi sensu abhorrens tua opinio, qua
 dicit, administrationē Ecclesie regibus Christianis à Deo
 tributam esse, quā si quis diceret Angliæ regnum in ci-
 uilibus causis non à rege, qui pro tempore præfuit guber-
 natum esse, aut saltem gubernari debuisse, verum ab opi-
 fice aut Agricola nescio quo. Quis enim putet eum san-
 ctis esse, qui cum fateatur (quod ad testamentum vetus
 attinet) solum Pontificem in sancta Sanctorum intrasse,
 Regem verò foris mansisse, itemque digniorem hostiam
 pro sacerdote, quā pro Principe populi oblatam, pro
 sacerdote vitulum, pro Principe Hircum de capris; tamen
 contendat regem in sacris rebus & causis diuinis Pontifi-
 ce maiorem & superiorem extitisse? Quis etiam vlllo iu-
 dicio aut ratione præditum esse illum arbitretur, qui &
 concedat reges Christianos non posse aut Euangelium præ-
 dicare, aut Eucharistiam conficere, aut peccata remittere,
 aut quicquam Ecclesiasticum facere: tamen dicat, scribat,
 argumētetur Christianos reges ipsis episcopis in Ecclesia
 administranda præesse debere? Quid ergo? an hoc ap-
 pellas Ecclesiam administrare, nihil eorum quibus Eccle-
 się in Christi nomine ministratur, administrare posse? Mi-
 nister & administrator vtrum à ministerio & administra-
 tione vocem suam appellationemq; sortita non sunt? Sic
 nos existimet homo, inquit Paulus, vt ministros Christi,
 & dispensatores mysteriorum eius! Qui ergo est admini-
 strator Ecclesie, id vtique est, quia Christi minister est; &
 qui minister seu administrator Christi est, mysteria Chri-
 sti dispensat, nempe Dei verbum, Eucharistiam & remis-
 sionem peccatorum. Sed nihil horum dispensat rex Chri-
 stianus, idque tu ipse fateris. Non est igitur Ecclesie vllus
 omnino

Heb. 9.

Leuit. 4.

1. Cor. 4.

A om nino ne dum summus, & præcipuus administrator. Di-
 cam planius: Tu concedis reges Christianos non posse
 Christi sacramenta plebi Christianæ administrare: Cete-
 rum Ecclesia ipsa maximum est & intimum Christi sacra-
 mentum; non possunt igitur Christiani reges ipsam Ec-
 clasiam Christi administrare. Omnia enim Christi sacra-
 menta eò tendunt, vt incarnationis, mortis & resurrectio-
 nis Christi beneficia, ipsi Ecclesie Dei tum significant, tum
 impertiant. Nam Christus se ipsum tradidit pro Ecclesia,
 vt illam sanctificaret, mundans eam lauacro aque in ver-
 bo, vt exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non ha-
 bentem maculam aut rugam. Vnde Apostolus viri & mu-
 lieris coniunctionem magnum sacramentum esse dicit in
 Christo & in Ecclesia. Cum igitur sanctificatio Ecclesie
 sit omnium sacramentorum finis, resque ipsa, quam Deus
 in omnium sacramentorum collatione potissimum sibi
 proponit; nescio cuius impudentiæ est, vt dicas reges Chri-
 stianos, qui nec minimum ex omnibus sacramentis popu-
 lo dispensare possunt, tamen posse maximum illud augu-
 stissimum & sacratissimum Dei sacramentum (quod est ip-
 sa Ecclesia) in summo imperij gradu administrare: quod
 perinde est ac si dicas, eum qui non potest in sancta, imò
 nec in atrium exterius ingredi, posse tamen in sancta san-
 ctorum intrare: aut eum qui ab vltimis finibus ædium spō-
 si arcetur, posse in ipsum thalamum sponsæ penetrare. Ec-
 clesia enim Christi verè sanctum illud sanctorum est, ad
 cuius summam administrationem, non Laici, non Leui-
 tæ, non Sacerdotes, filij Aaronis, sed solus Pontifex sum-
 mus, quem Deus tamquam ipsum Aarō vocauit, semel in
 anno ingreditur, non sine sanguine, quem pro sua & popu-
 li ignorantia offert. Qui habet sponsam sponsus est; ami-
 cus autem sponsi audit vocem eius, & gaudet. Sponsus est
 Christus, sponsa Ecclesia, in dote Ecclesie sunt sacramenta
 Christi. Qui ergo non admittuntur, vt vel externam Ec-
 clesie dotē administrant, eos tu Aclere ad sponsam ipsam
 in summo imperij gradu regendam ingeris & præcipitas?

Decima-
quinta
ratio.

Ephes. 5.

1. Cor. 12.

1. Cor. 12.

Heb. 5. et
9.

Ioan. 3.

Optatus
li. 1. cōs.
Parmen.

Vide ne amicus sponsi non sis.

*Decima-
sexta ra-
tio.* Certè cum opera Dei sint perfecta, nec fieri vnquam possit, vt prohibeat summo capiti ea facere, quæ ad summi capitis officium insigniter spectant; celum & terra potius transferit, quàm vt verum esse queat Ecclesiæ administrationem regibus à Deo tributā esse. Numquid enim Christus verissimè ac supra homines omnes, & Angelos caput Ecclesiæ, ac summus eiusdem administrator non fuit? Ergo aliud quàm summi capitis officium præstitit, aut præstare potuit? Christus verò an sacramentum Eucharistiæ non & suo ore confecit, & suis manibus distribuit, & ab *Luc. 22.* Apostolis idem fieri iussit? Administratio igitur Eucharistiæ non potest à summi capitis officio aliena esse. Verùm tu, Aclere, dicis reges Christianos Ecclesiæ Christi summa capita esse, & tamen fateris non esse concessam illis potestatem conficiendi & administrandi Eucharistiā; imò expressè legitur in scripturis prohibitum regibus fidē Christi colentibus, ne adolerent incensum, adeò vt Deus Oziā id aggredi ausum, lepra percuteret. Somnium igitur, imò *2. Para-
lip. 26.* Idololum & hæresis blasphema est, cum dicis, Reges tuos accepisse à Deo potestatem administrandi Ecclesiam in sacris & Ecclesiasticis causis. Nonne maior est, qui alium ligatum iure suo soluit, & dimittit, quàm is qui ligatus erat.

In ciuilibus causis rex quem vult in custodiam inijcit, & quem vult liberum dimittit. At cum in Deum peccauerit, nō solūm alieno iudicio (vt & summus Pontifex) soluitur aut ligatur, sed etiam aliena potestate soluitur & ligatur, quod summo Pontifice non accidit. *Matt. 18
Ioan. 20.*

Potestas enim illius qui summum Pōtificem soluit, ab ipso Pontifice accepta est, sicuti potestas, qua Ioannes Christum baptizauit, ab ipso Christo collata fuit. Ceterum nec tu das regi tuo potestatem ligandi & soluendi. *Matt. 3.*

Cum igitur alterius potestate absoluator, vt peccata sua illi remittantur: cumque remissio peccatorum præcipuus quidam

A quidam fructus passionis Christi sit, & insignem Ecclesiæ administrationem comprehendat; non potest fieri (quod tamen tu affirmas) vt rex tam in sacris causis Ecclesiam administret, quàm in ciuilibus Rempublicam. In ciuilibus enim causis omnia potest ligare & soluere absque vlla restrictione aut interdictione superioris alicuius potestatis. Quòd si peccata regis, aut reginæ talia sint, vt ea nullo modo emendare velint; nonne per ministros Christi ex Ecclesia ita eijciendi sunt, vt nullum in ea locum omnino, ne dum primum & summum occupent? Cum enim Christus omnium vniuersalis medicus, non modò aliorum hominum, sed etiam regum morbis medicinam exhibeat, **B** illius verò medicina in fraterna correctione cōsistat, cuius vltimus gradus est, vt qui Ecclesiam non audit, fiat nobis tamquam Ethnicus, & Publicanus; profectò si reges Christiani Ecclesiam non audiunt, excommunicandi sunt, & fatanæ tradendi, vt si vllò vnquam modo, saltem isto resipiscant. Aut soli reges extra disciplinam sunt, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri sunt, & non filij. Sin & illi possunt ex Ecclesia eijci, quomodo summum in Ecclesia obtinent imperium? Vtrum Ambrosius Theodosium Imperatorem, & Innocentius Arcadium communionem sacrorum non interdixit? Quod idem de infinitis alijs regibus Christianis doceri posset. Sicut autem Sara **C** maior fuit ancilla & filio eius, quem ex domo sua eiecit; sic maior est Ecclesia & minister Ecclesiæ illis regibus Christianis, quos excommunicat. Tamen ne reges Christiani rerum in diuinis gerendarum summam moderationem tenent? Alia multa sunt, Aclere, quibus hæc tua hæresis accommodatissimè refelli posset, quæ suis postea locis proferentur. Nunc audiamus qualem tu primatum tuis regibus tribuas. *Decima-
octaua
ratio.
Matt. 9.
Matt. 18
Heb. 12.
Gal. 4.*

*Quam inertem, mutum, cæcum, impotentem, arrogan-
tem, cruentem, ineptum, denique blasphemum
primatum regibus suis Christianis à Deo
in Christi Ecclesiam tributum Acler-
us mentiatur. Cap. III.*

Li. 2. c. 3.

Nostri Principes, inquit Aclerus, non tractant sacra; non verbum diuinum pro concionibus populo nuntiant, non sacramenta & ritus Ecclesiasticos populo ministrant, Pontificatus aut sacerdotia non gerunt, Ecclesiastica iudicia non exercent, censuras in delinquentes non proferunt: sed hæc ipsa à Pontificibus & sacerdotibus, cum opus est, auctoritate regia fieri iubent. hæc ille.

Iners pri-
matuſ.

Matt. 23

Mutus
primatus

1. Cor. 14

1. Tim. 2

Esa. 56.

1. Cor. 14

Si principes tui cum se ipsos capita & administratores Ecclesiæ vocent, nihil horum, quæ ad Ecclesiam administrandam præcipuè spectant, faciunt aut ministrant; non temerè dico eos inertem & desidem quendam primatum obtinere. onera enim grauiā (instar Phariseorum) in cleri humeros imponunt, digito autem suo nolunt ea mouere. Dicunt enim, & non faciunt. Deinde cum verbum diuinum pro concionibus populo non annuntient; dico eos mutum quemdam primatum administrare; & vsque adeo mutum, vt regina tua non modò concionari, sed etiā loqui in Ecclesia prohibeatur. Est ergo canis muta, non valens latrare. Canis quidem, quia hoc sumit sibi vt Ecclesiam administrèt, vt ouile Domini custodiat, vt fures & latrones arceat; muta verò quoniam non latrat, non prædicat Euangelium, non loquitur: addo etiam, non valens latrare: quoniam & si maximè loqui & latrare vellet, tamen non solùm nescit quomodo latret, sed etiam iure diuino latrare prohibetur. Numquam igitur à mundo condito verius impleta fuit prophetia Esaiæ de canibus mutis, quàm in hoc genere primatus quod tu, Aclere, posuisti.

Dico eundem reginæ tuæ primatum etiam cæcum esse: quia

- A** quia vt verbum Dei populo non annuntiat, & iudicia Ecclesiastica non exercet; sic neque cathedram seu clauem scientiæ ex dono Dei obtinet, quo saltem sciat vel officij sui existat, vt sciat quid populo annuntiari debeat. Alijs enim rebus ex officio suo vacare cogitur, videlicet vt populū in ciuilibus causis iudicet, & bella eius gerat, aliāq; opera, quæ ad regis officium pertinent, administret. Sacerdotum verò est & Pastorum scientiam diuinæ legis tam sibi habere, quàm alijs tradere, dicente Domino apud Prophetam Ezechielem, Sacerdotes populum meum docerunt, quid sit inter sanctum & pollutum. & apud Oseam, Quia tu scientiam repulisti, repellam te ne sacerdotio fungaris mihi. Denique apud Malachiam, Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Rex autem postquam federit in solio regni sui, iubet etur describere sibi Deuteronomium legis Dei, accepto exemplari à sacerdotibus leuiticæ tribus. Sicut autem qui gladium à rege accipit, eo ipso fatetur se in potestate gladij minorem illo esse, à quo illum accipit; sic & rex cum exemplar non ipse det sacerdotibus leuiticæ tribus, verum ab illis accipiat, eo ipso fatetur se in ijs quæ legis Dei sunt, minorem iisdem sacerdotibus esse. Vnde vsus acceptæ legis non est, vt deinceps rex vel doceat vel iudicet de controuersijs legis Domini, sed (vt ibidem adiungitur) vt discat timere Dominum Deū suum, & custodire verba & cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Regis est discere, non docere: custodire præcepta, non custodire scientiam præcipiendi, quæ sacerdotum propria erat. Vnde summus Pontifex habebat ex præscripto Dei, Vrim & Thummira, id est doctrinam & veritatem, seu lumen & plenitudinem in rationali iudicij positam, vt quando ingrediebatur coram Domino, gestaret iudicium filiorum Israel in pectore suo, in conspectu Domini semper. Cum ergo dicas, Aclere, Principes tuos auctoritate regia iubere, vt sacramenta populo ministrantur, & verbum Dei annuntietur; qui tamen clauem scientiæ si-

Cæcus
prima-
tus.

1. Reg. 8.

2. Para-

lip. 19.

Ezec. 44

Osee. 4.

Malac. 2

Deut. 17

Deut. 17

Exod. 28

Luc. 11.

bi diuinitus commissam non habeant; necesse est hunc primatum valde cæcum existere: Vnde cum cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt. Præcipit enim rex id fieri, quod an rectè fiat, prorsus ignorat. Quòd si eum à Pastoribus & Doctoribus Ecclesię quid præcipere debeat erudiendum esse dices, multò sanè præclarius diceres, Nō regi sed iisdem pastoribus & doctoribus summam præcipiendi potestatem commissam esse. Deus enim qui fecit os hominis, qui fabricatus est mutum & surdum, videntē & cæcum, nemini dat mutam & cæcam potestatem, sed est in ore illius quem mittit, docetq; eum quid loquatur. Itaque si Deus reges ad Ecclesiam administrandam misisset, reges ipsos curasset omnia scientia Ecclesiastica instruendos, qua nunc vsque ad priuati sunt, vt vix vllum genus hominum longius à scripturarum aut canonum sacrorum peritia, quàm reges abesse videantur. Neque mirum: nam plerique canones in hoc sunt conditi, vt eos qui Deo militant, à curijs regum & sæcularibus Aulicorum negotijs ad magis spiritalem viuendi modum reuocent & reducant.

Exod. 4.
Matt. 10

2. Tim. 2

1. Tim. 4

2. Tim. 1

Rom. 10.

Quid verò quod hic tuus primatus, Aclere, non solùm nihil agit, nihil dicit, nihil nouit, sed etiam nihil eorū omnino, quibus præficitur, administrare potest.

Tu dices, Principes tuos non tractare sacra, non Euangelizare, non ministrare sacramenta, non exercere iudicia Ecclesiastica: sed tamen ita hoc totum exprimis, tamquam non audens rem ipsam apertè eloqui. Pudet enim te fateri, quòd capita Ecclesię tuę non possunt tractare sacra, non possunt concionari, non possunt sacramenta ministrare, aut censuras in delinquentes proferre: Sed cum re vera nihil horum possint facere, propterea quòd nec ad huiusmodi ministerium segregati, nec manus illis ad has res tractandas impositæ sunt, Vides quanta ratione talem primatum dicam impotentem, egenum, imbecillem. Qualis enim suprema potestas illa est, quæ infirmior, & abiectior existit, quàm vt nō dico fungatur, sed præterea possit fungi,

aut

A aut Diaconi, aut Exorcistæ, aut Lectoris munere? Quo- modo enim quidquam horum faciet, nisi mittatur? nam quotquot antequam mittantur, currunt; fures sunt & latrones. Porrò cum Principes tui tam parum aut potius nihil in Dei causis facere possint, & tamen auctoritate regia hæc omnia fieri iubeant, nonne huiusmodi primatum rectè vocauerim arrogantem? Quid enim potest fingi arrogantius, quàm vbi iure ipso nihil possis ipse facere, ibi alijs omnia præcipere? Principes tui non possunt tractare sacra, non verbum, non sacramenta, non quidquam Ecclesiasticum dispensare: sed possunt inquis auctoritate regia ijs qui Ecclesiastica potestate præditi sunt, imperare, vt hæc omnia faciant: Ne tu imperiosum nobis primatum parturiisti. Pauperem superbum, inquit Ecclesiasticus, odit anima mea. Quid eo in causis Ecclesiasticis pauperius, qui nihil omnino sacri gerere aut tractare potest? quid eodē superbius, qui tamquam in omnia sacra potestatem accepisset, omnia illis imperat, quibus non ipse, verum Deus potestatem sacrorum credidit? Addidi hunc tuum primatum etiam cruentum esse, quod ita se habere, tua ipsius verba conuincunt Aclere.

Si quid, inquit Aclerus, Pontifices, aut Sacerdotes in suis muneribus perperam committant, nec ordinarijs iudicijs pareant, reges iure suo regio castigant eos, monent, atque increpant. hæc ille.

C Regem Pontifices & Sacerdotes ordinarijs Episcoporum iudicijs nō auscultantes, iure suo regio castigare, nihil est aliud quàm gladio in eos vindicare. Nam alias poenas præter mutilationes membrorum, & mortis illationem, ordinaria Episcoporum iudicia infligunt, sicut Paulus fornicatorem Corinthium Satanę tradidit in vexationem corporis, vt spiritus saluus fieret in die Domini: sed vbi desinet castigatio Ecclesiastica, ibi vult Aclerus, regium primatum inchoare. Vult igitur vt rex Episcopos ordinarijs iudicijs non subiectos, gladio feriat. Tandem Aclerus aliquid in medium protulit, quod rex nō tantum præcipere,

Arrogans
primatus

Eccl. 25.

Cruentus
primatus

1. Cor. 5.

Sanguino
lētus pri
matu.

præcipere verum & suis manibus exequi posse videatur: D
 nepe vt tortoris aut carnificis officio in sacerdotibus Dei
 occidendis fungatur, ne sine causa gladium portet. Non di-
 Rom. 13: co, Aclere, aut regem necessariò debere, aut te omnino id
 cogitasse, vt deberet, suis manibus Episcopos & Dei sacer-
 1. Reg. 22: dotes instar Doeg Idumæi occidere. Sed animaduertere,
 quòd cetera quę nominasti sub executionem iuris regij te
 ipso auctore non cadunt, hoc verò solùm cadit. Sacra non
 tractant reges, vt tu dicis, verbum Dei non annuntiant,
 nec quidquam Ecclesiasticorũ munerum ipsi per se obeunt,
 vt tu fateris. Episcopos verò suis manibus interficere, et-
 si non debeant (quia filij parentes suos honorare, non è
 Exod. 12: medio tollere iubentur) tamen si volunt, secundum te pos-
 sunt. Secundum te inquam, qui fateris reges non posse
 tractare sacra, nec gerere sacerdotia, sed posse castigare Dei
 Sacerdotes officio suo non fungentes. In ceteris ergo re-
 bus talem regis tui primatum confinxisti, vt omnia impera-
 re potuerit, & nihil eorum, quæ imperat gerere. In occi-
 dendo autem Sacerdotes, non modò imperare secundum
 te, verum & suis manibus quod imperandum iudicat, exe-
 qui potest. Perfectum igitur tui regis in Ecclesia Dei pri-
 matum in alia re nulla constituis, præterquam in occiden-
 dis sacerdotibus Dei. Nam primatus, qui tantum impe-
 rat, & nullo modo per legem Dei potest exequi, & perfice-
 re id quod imperauit, necessariò est imperfectus. Alioqui iu-
 re saltè facere posset hoc ipsum quod imperat: posset in quã
 iuris auctoritate id facere; licet aliàs ab eo faciendo ex oc-
 casione impediretur, sicuti legimus Deum dixisse, & mox
 factum esse quod dicebat mandasse & creata fuisse, quæ vo-
 luit. Quædam enim per se ipsum Deus facit, quædam per
 ministros suos: Verum ita per hos, vt si fortè illi nolint
 Psalm. 148. Dei mandato parere, tamen Deus absque illis quidquid
 Esaiæ 7. vult faciat. Ita cum Achaz etiam quando iubebatur, nol-
 let à Deo signum petere; Dominus ipse dedit ei signum,
 vt ostenderet quàm facilè posset ipsum ab hostibus libera-
 re. Samuel etiã cum vidit Saulem nõ occidisse regē Agag,
 sicut

A sicut Deus præceperat, ipsemet illũ occidit. Qui verò iubet
 aliquid ab altero fieri, cumq; nemo alius id velit facere, ne
 ipse quidẽ id exequi etiã si velit per legẽ Dei potest; similis
 est homini parum considerato, qui prius fundamenta tur-
 ris iecit, quàm computasset, vtum sumptus ad eam exæ-
 Luc. 14. dificandam necessarios haberet necne: & omnes qui vi-
 dent incipient illudere ei, dicentes; hic homo cœpit ædifi-
 care, & non potuit consummare. Quapropter cum Prima-
 tus, qui perficere quod inchoauit non potest, adeo sit im-
 perfectus, vt certum sit Deum, cuius perfecta sunt opera,
 eiusmodi primatum non instituisse; omnino efficitur, vt
 primus perfecti primatus regij gradus in eo rerum gene-
 re, quod ab ipso rege perfici potest, versetur. Ex quo re-
 linquitur, cum ex tua sententia rex nihil aliud perfectè in
 Ecclesia & imperare & exequi per se possit, præterquam
 vt Dei sacerdotes occidat, in sacerdotes occidendo sum-
 mus ille primatus, quem regi tribuis, maximè cernatur
 & consistat. Hoc enim iure Henricus octauus Ecclesiæ
 tuæ primas Ioannem Episcopum Roffensem orbis Chri-
 stiani lumen, multosq; reuerendos Abbates, Monachos,
 & Presbyteros neci dedit. Hætu, Aclere, perpulchrum
 regibus tuis primatum excogitasti, bellè inertem, mutũ,
 cæcum, egregiè impotentem, speciosè arrogantem, perfe-
 ctè cruentum, propriè ineptum. Tu ipse iudicato ex his
 C etiam quæ sequuntur.

Christiani reges (inquit Aclerus) Pontifices & sacer-
 dotes ad concilia compellebant, quibus tamen ipsi Reges
 interesse nolebant: sed eos de rebus Ecclesiasticis seor-
 sim à populo agere, statuere, ac decernere permittebant.
 hæc ille.

Quàm eleganter ista cohærent? Qui compulit Episco-
 pos vt ad concilia coirent, an postea permisit, vt de rebus
 Ecclesiasticis statuerent ac decernerent? Qui vim aut me-
 tum in conuocando adhibuit, nisi gladium sui primatus,
 quem semel in Episcopos vibrauit, in vaginam reposuisse
 meridiana luce clarius probetur, non ne eadem vi metuq;

vsus putabitur in compellendis Episcopis, vt de rebus Ec-
 clestasticis regio arbitrato statuerent ac decernerent? Fru-
 stra contendis permisos vt decernerent, quos pramittis
 compulsos vt venirent. Imperatorium (inquit Athana-
 sius) negotium non synodale haberi debet, vbi Imperato-
 ria edicta, quos ipsi volunt coire compellunt. hæc ille.
 Nunc autem perpende tecum paulisper, Aclere, quàm au-
 dacter non modò talem hunc Primatum in medium attu-
 leris, verùm etiam à Deo fabricatum affirmaris: Nimum
 profectò blasphemè putas Deum & regibus Christianis
 præcepisse vt Ecclesiam administrarent, & isdem prohi-
 buisse, ne illa officia, quæ ad ministerium Ecclesiasticum
 propriè spectant, gererent atq; administrarent. Nonne
 hoc perinde se habet, ac si rex aliquem ex optimatibus
 suis iuberet exercitui præesse, eidemq; sub pœna ca-
 pitis vetaret, ne aciem aliquando instrueret, ne tesseram
 militibus daret, ne excubias disponderet, ne vè ad milites
 verba ipse faceret, sed tantùm hæc ab alijs fieri præcipe-
 ret? Nam si ad Imperatoris officium pertinet milites &
 verbo ad pugnam ineundam excitare, & opere in sua loca
 opportuna distribuere, profectò etiam ad summi capitis
 Ecclesiastici munus pertinet eos, qui Deo militant, & cõ-
 cionibus pascere, & manibus impositis ad sua quemq; mu-
 nera consecrare. Si ego regem illum pro infano habitur-
 us esses, Aclere, qui cum virum, quem exercitus sui Ducẽ
 summum constituisset, sub pœna capitis vetaret aciem
 instruere, aut milites ore suo ad pugnam incitare; neque
 sub tali Duce rem præclarè geri posse iudicares: tamen
 ne quod hominibus indignum est, Deo tribuis? Quod in
 profana Republica turpiter institui concederes, hoc in
 sancta Dei ciuitate necessariò obseruandum statuis? O bla-
 sphemas cogitationes tuas. Væ mihi, ait Paulus, si non
 euangelizauero. Et tu nobis reginam tuam, hoc est, tale
 summum Ecclesiæ caput assignas, cui dicendum verè sit,
 Væ tibi, si euangelizas?

*Athana-
 sius in Apo-
 loget. 2.*

*Blasphe-
 matus
 prima -
 tus.*

Simile.

Ioan. 21.

Act. 6.

13.

Malach.

1.

1. Cor. 1

A Primatum illum Ecclesiasticum, quem Regibus suis à
 Deo tributum Aclerus dicit, Antichristia-
 num esse, eo quòd facta, instituta, do-
 ctrinam, totumq; Christi consilium
 & assumptę carnis myste-
 rium oppugnet.
 Cap. IIII.



B

Nus est Dominus Iesus Christus, per quem
 omnia & nos per ipsum. talis verò præfectu-
 ra, quę licet administrare sacra Dei mysteria
 non posset, tamen eorum dispensationibus
 auctoritate regia imperaret, nusquam fuit
 per Christum vel gesta vel instituta, vel etiam permilla.
 Nam quod ad Christum ipsum attinet, præfectura ipsius
 non fuit istiusmodi. Cum enim data sit illi omnis pote-
 stas in cælo & in terra: necesse est fateamur eum potuisse
 illa omnia facere & administrare, quæ Apostolis aut Disci-
 pulis suis secundum potestatem aliquam gerenda præscri-
 psit. Nec potuit modò gerere, sed etiam re ipsa gessit, do-
 cens in Synagogis & in templo Salomonis, Petrum Apo-
 stolum (vt Euodius eiusdem Petri in Antiochena Eccle-
 sia proximus successor, in epistola quam Luminis titulo
 inscripsit, auctor est) suis manibus baptizans, paruulis ma-
 nus imponens, infirmos curans, Demones eiiciens, pec-
 cata remittens, Eucharistiam instituens & ministrans.

At fortè dices, hoc solius Christi proprium esse, alios ve-
 rò potuisse præcipere, quæ non potuerint gerere. Quid er-
 go? Cum Christus Apostolis suis potestatem daret, num-
 quid instituit, vt in Cathedris suis sedentes tantùm alijs
 præciperent, ipsi verò eorum quæ præcepissent, nihil face-
 rent? Imò cum daret illis potestatem spirituum immun-
 dorum, talem dedit, vt eiicerent spiritus immundos, ac nõ
 vt alios iuberent alios eiicere. iussit eos ire, docere, bapti-
 zare,

Mat. 10.

Mat. 10.

Mat. 10.

1. Cor. 8.

Mat. 18.

Mat. 4.

Niceph.

lib. 2. c. 3.

Mat. 19.

Mat. 9.

Mat. 10.

Mat. 28

- Ioan. 20.** zarc, peccata remittere, soluere & ligare. Nec iniuria. **D**
- Mat. 18.** Omnis enim potestas faciendi non dicendi causa instituitur. Qui verò per potestatem operari, & facere nihil potest, inanem atq; adeo nullam accepit potestatem. **Christus** autem est ille pater familias, qui peregrè profectus dedit seruis suis potestatem cuiusq; operis, vt videlicet quisq; sciret quid ei non præcipiendum, sed operandum esset. Qui verò nō est operatus, eijcitur in tenebras exteriores.
- Mat. 25.** At Apostoli diligenter operati sunt prædicantes vbiq; Domino cooperante, & sermonem confirmante sequētibus signis. Quid quòd Christus tam sollicitè cauit ne capita Ecclesiæ suæ omnia ministeria Ecclesiastica tantum præcipere alijs, & ab illis exequendis ipsi interim abstinere; vt quædam instituerit sacramenta, quæ à solis Pontificibus & Episcopis, nec ab vllō præterea exerceri & in opus deduci possent? cuiusmodi sunt confirmationis & sacrorum ordinum conferendorum mysteria. Itaq; cum Philippus prædicasset Dei verbum in Samaria, multosq; viros ac mulieres baptizasset in nomine Iesu, audientes Apostoli miserunt illuc Petrum & Ioannem, qui postquam orassent pro ipsis vt acciperēt Spiritum sanctum, imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.
- Ioan. 3.** Vtiq; in robur spiritale, & ad confirmandas gratiæ cælestis vires, quas prius acceperant cum ex aqua & spiritu sancto renati essent. Quod enim natum est de spiritu, spiritus est. Itaq; & iam erant spiritales per baptismum à Philippo Diacono collatum, & propterea opus erat, vt augerentur in vita spiritali per Apostolos, qui per maiorem, hoc est Pontificiam potestatem eos maiore Christi dono & sacramento confirmabant. quod cum Philippus Diaconus nō posset conferre, ad illud conferendum venit Petrus Apostolorum primus, & Ioannes quem diligebat Iesus.
- Eodem modo sacri ordines per solos Episcopos conferuntur; sicuti Paulus per impositionem manuum suarum gratiam Timotheo ministravit, de qua scribit in hunc modum, Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te
- 1. Timo. 1.**

per

- A** per impositionem manuum mearum. Quin & ipsi Paulus iam ante per Ananiam baptizato, manus impositæ sunt; vt segregaretur in opus Domini, & à Spiritu sancto mitteretur ad prædicandum gentibus. Præclare Epiphanius, Episcoporum, inquit, ordo patrum generator est: patres enim generat Ecclesiæ. Ordo Presbyterorum, cum non possit generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Ecclesiæ, non tamen patres aut doctores. Hæc in eum finem citavi, vt ostenderem ex institutione Christi, ne altissimam quidem Ecclesiæ dignitatem ab opere Ecclesiastico vacare posse, tantum abest, vt ex necessitate debeat ab eorum omnium sacrorum dispensatione, quæ alijs imposit, abstinere.
- B** Veniamus nunc ad doctrinam Christi: Reges, inquit, gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui maior est in vobis (id est secundum græcam phrasim, qui maximus est inter vos) fiat sicut iunior; & qui præcessor, sicut ministrator. Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Ex eo quòd regum dominationi, Apostolorum, hoc est capitum Ecclesiasticorum, ministratio opponitur; facillè intelligimus illam dominationem in regibus reprehensam esse, quæ ab administratione longissimè aberat. ex eo etiam quod subiungit Christus, maiorem esse qui recumbit, quàm qui ministrat, se verò in medio illorum esse velut qui ministrat; talem administrationem Apostolis præcipi constat, qualem Christus exercuit, cum & pedes eorum lauaret, & tam Dei verbum, quàm sua sacramenta illis ministraret, ac deniq; se ipsum vsq; ad mortem pro illis traderet, sicut boni serui pro salute dominorum suorum vitam & sanguinem profundere interdum solent. Quod igitur non nisi dominantium est, id Christus præpositis Ecclesiæ suæ prohibet, quod verò ministrorum est & fidelium seruorum, id illis præcipit. Domini recumbunt, serui ministrant; Domini præcipiunt, dicentes vni vade, alteri autem veni: tertio fac hoc. serui interim vadunt,

Act. 13.

Leo in Ep. 81. Epiph. Hæres. 73

Luc. 22.

Dominatio.

Ministratio.

Luc. 22. Mat. 8.

vadunt, veniunt, & hoc quod præcipitur faciunt. Si reges subditis, aut domini aliquid seruis suis donauerint, benefici vocantur. Si serui cum toto die arauerint, vesperi domum reuersi ne tunc quidem quiescant, sed dominorum cenam præparare iubeantur, tamen neq; benefici habentur, neque gratiæ illis redduntur, quia quod debuerunt facere fecerunt, nihil præterea. Apostoli ergo & omnes alij Ecclesiarum præpositi iubentur se in præfectura sua gerere non vt reges, non vt dominos, sed vt ministros & seruos, non vt præcipiant, sed ministrent, & cum ministrauerint non se putent beneficos fuisse, verum officio sanctos esse, quia Græcis & Barbaris, sapientibus & insipientibus debitores sunt. Hæc est Christi doctrina. Iam si principes tui, Aclere, dicant se maximos inter Christianos existere, & præcessores à Deo institutos esse, debent non recumbere sed ministrare, nec solum præcipere quid fiat, sed potius facere quod Christus in sacrorum administratione gerendum præcepit; nec etiam beneficiæ suæ quicquam, sed omnia officio & debito adscribere. At quomodo ministrare sacra possunt, cum tu ipse concedas omnium sacrorum administrationē illis interdictam esse? Sublata igitur rerum sacrarum administratione, quid restat præter solam præcipiendi potestatem? Nihil verò aliud quàm præcipere, nec aliquid interim rerum sacrarum ministrare, nullo modo est ministri, nullo modo serui, nullo modo capitis Ecclesiastici, ac ne Christi quidem, sed tantum regis gentium & domini profani. Rem igitur ab Euāgelio Christi ad instituta gentium reuocasti; ministratiōnem humillimam, quæ propria est Ecclesiastici capitis, eā subtulisti, dominatum regium, quem Christus prohibuit, & exterminauit, eum velut postliminio restituisti. Plus dico: Dominatum longè peiorem, quàm vllus vnquam apud gentes erat, in Ecclesia Christiana collocasti. Pona- mus regem aliquem ex ijs, qui gentibus præfunt, nulla iustiore causa impeditum, nolle ad bellum pro Republica gerendum, in quo præsentia ipsius necessaria esset, egredi,

sed

A sed ex sola desidia & animi prauitate domi manētem, alijs optimatibus & militibus sub poena capitis imperare, vt in hostem se conferant. Dominatur iste quidem, nec interim Rempublicam ipse, vt deberet, administrat; sed tamen & potuit ad bellum egredi, & debuit; nec ignorat se officij sui præuaricatorem esse, atq; ideo causam plerumq; aliquā, licet falsam obtendit cur officio non fungatur. Ceterum tui Principes cum in præcipiendo Episcopis & presbyteris dominantur, nec interim quidquam eorum, quæ præcipiunt administrant, etiam aliter facere secundum te nec possunt nec debent, nec in isto deside & otioso dominatu se peccaj re putant, aut causam vllam prætermissi ministerij obtendunt. Cum igitur vtrobq; id non fiat à præcipiente quod ipse alijs præcipit, eaque res vitio danda sit, quoniam vt Reipublicæ, sic etiam Ecclesiæ administrator debet ipse tum Rempublicam, tum Ecclesiam administrare; tamen hoc interest, quod in illo regis gentiū dominatu culpa rejicitur in hominem, qui officio suo non fungitur: hic autem rejicitur in Christum, tamquam ipse prohibuisset summū Ecclesiæ administratorem quidquam rerū Ecclesiasticarū gerere, aut tractare. Itaq; cū ex doctrina Christi cōstet, summū Ecclesiæ administratorem non modò posse, verum & debere omnium maximè seruire ac ministrare; tamen contraria iam doctrina per te statuitur, summum Ecclesiæ caput & administratorem nec debere, nec posse quidquam Ecclesiasticum administrare. Et tamen cum dicas Principes tuos tam Ecclesiam in sacris, quàm Rempublicam in ciuilibus administrare, an Christi doctrinæ non contradicis? Christus noluit Apostolos in præfectura Ecclesiæ, quā illis commissurus erat, administranda, vel similes regum existere, & nunc putabimus eum non solum permisisse, verum & instituisse vt ipsi reges Ecclesiam gubernarent? Quid potuit à Christi proposito magis alienum dici? Nam si Christo placuisset, vt ipsi reges Ecclesiam administrarent, numquam ei displicere potuisset, vt Apostoli ad similitudinem regum eandem administrarent. Nullū enim pecca-

Luc. 22.

03.5

Nota.

peccatum est, quid dico peccatum? magna & præclara virtus est in gubernando Ecclesiam illis regibus similem existere, quos Deus ipse ad Ecclesie sue administrationem vocasset, nisi forte vitio cuiquam dabitur, quod exemplar ab ipso Deo propositum imitatus sit. Nunc autem, cum Christus prohibuit, ne Apostoli dominarentur ut reges, eo ipso docuit se nullo modo passurum, ut ipsi reges in Ecclesiasticis rebus & causis dominatum suum exercerent. Hic nihil aliud obtendi potest, quam Christum veruisse ne Apostoli dominarentur tamquam gentium reges, nihil tamen obviare, quo minus Christiani Reges, non quidem tyrannice dominantur, verum ex æquo & bono administrant Ecclesiam Christi. Qui error tametsi ex his quæ iam dicta sunt, satis perspicue confutatus sit, tum quia reges Christiani sunt etiam gentium reges, tum quia genus ipsum gubernationis, quod tu Christianis regibus tribuis, nominatim à Christo reiectum est, eo quod nulla ex parte in ministrando, sed solum in iubendo & dominando consistit, (cum interim præfectura, quam Christus constituit, magis in administrando & gerendo res sacras, quam in præcipiendo consistere debeat) tamen præterea multo dilucidius confutabitur, ubi ad reliquam Christi doctrinam ipsius in stabilienda Ecclesie administratione altissimum consilium è scripturis sacris haustum, & repetitum exposuerimus. Ad hoc ergo Christus in mundum venit, ut stultam faceret sapientiam, & infirmam redderet potentiam huius mundi. Nam quia in Dei sapientia non cognouit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia. & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret, ut non gloriatur omnis caro in conspectu eius. In quibus verbis Apostolus & finem consilij diuini reuelauit, & modos ad eum finem adipiscendum idoneos patefecit. Cum Deus sciret superbiam fuisse atque esse initium omnis peccati; salutis

Supra c.
3.

1. Cor. 1.

Eccle. 10

D

E

F

Atis humane rationem in contraria humilitatis medicina collocavit. Et quia humilitatis reconditum mysterium in Christo ante omnia fuerat consecrandum; is tum de celo descendens, exinaniuit se ipsum, ut qui erat per naturam diues & immortalis, fieret per assumptam carnem egens & morti obnoxius: tum in crucem ascendens, ipsam carnem suam usque ad mortem acerbissimam, & contumeliosissimam, magis etiam adhuc humiliavit; ut suo & sacramento & exemplo humilitatis radices in æternum stabiliret: atque hoc est verbum crucis quod euacuari non debere Apostolus prædixit. Iam modi quibus ad hanc humilitatem peruenitur, hi sunt, ut nec in verborum ornatu, nec in liberalium disciplinarum ostentatione, nec in principum, & optimatum potentia salus queratur, sed in fide mortis Christi; & in societate illorum, quos è mundo euocatos constituit Ecclesiam suam. Porro istius Ecclesie fundatores & capita non fecit rhetores, non philosophos, non reges; verum idiotas, piscatores, & egentes. Videte enim vocationem vestram fratres, quia non multi potententes, non multi nobiles. Arma enim militie Christiane non sunt carnalia (videlicet potentia, opes, eloquentia, & littere humane) sed quæ spiritali virtute pollent ad omnem altitudinem, quæ se aduersus Dei scientiam extollit, destruendam. Itaque tum persone, quibus diuinam potestatem edificandi Ecclesiam suam Christus dedit, humiles in conspectu hominum abiectæque fuerunt, tum instrumenta quibus operabantur, non erant humana, sed diuina, quæ omnem vim & sapientiam humanam superant: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus; & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Cum igitur Deus ad humilitatem in nobis melius infigendam, ut non gloriatur in conspectu eius omnis caro, mysterium salutis nostre, nec in philosophorum scholis & placitis, nec in rhetorum facundia, nec in regum & principum opibus, ac potentia, sed in eo quod mundus infirmum, ac stultum iudicat, sapientissimè collocarit: atque ad id demonstrandum rudes, indoctos & ignobiles Euangelij

2. Cor. 8.
Philip. 2

1. Cor. 1.
Rom. 3.

1. Cor. 1.
2. Cor. 10

1. Cor. 1.

Rom. 1. sui ministros fecerit, eosq; adeo non ornauerit sæculi dō-
nis, vt etiam prohibuerit, ne instar principum sæculi domi-
narentur, sed humillimè se instar seruorum gererent, agno-
scentes se Græcis ac Barbaris, sapientibus & insipiētibus
debitores existere, vt omnes Christo lucrifacerent. Nunc
velles vt hoc scandalum crucis euacuetur, nec amplius ca-
pita Ecclesiarum sint, qui succedunt humilibus, & secun-
dum carnem infirmis Apostolis, & in eorum cathedris se-
dent: Verùm reges gentium qui dominantur non seruiūt,
quiq; non debitores sed benefici vocantur, hoc nescio cu-
ius est impietatis, Apostasię & Antichristianismi.

Simile. Certum est etiam Christianos reges post fidem & ba-
ptismum Christi susceptum, non secus manere in illa prio-
re conditione regia, quæ aut gentium, aut ciuili iure illis
obuenit, quàm serui & mancipia etiam post fidem & ba-
ptismum Christi susceptum, in sua priore seruili condi-
tione & statu manēt: id quod in Onesimo clarissimè perspi-
citur, quem Paulus in vinculis suis Deo genitum, etsi uti-
liorem Domino suo, tamen adhuc seruum Philemoni re-
stituit. Christi enim dona ius regni cælestis conferunt.
sed ius aliquod huius sæculi nemini inuito auferunt: Cum
igitur institutum Christi fuerit per mysterium humilitatis
& crucis suę infirmam reddere potentiam huius sæculi,
& ideo non modò per annos trecentos regum ope in plan-
tanda Ecclesia sua vt noluerit, sed etiam eosdem per-
miserit omni sua potentia & vi Ecclesiam suam oppugna-
re; cumq; nihil profecissent, eorundem persecutorum
filios armis, equis, viris, omniq; huius sæculi robore, &
apparatu instructos per piscatorum & idiotarum inermes
successores humilitati crucis suę subrogauit, & ita subiuga-
rit, vt secundum Esaię prophetiam curui adorauerint vesti-
gia pedum Ecclesię. Non est putandum, quòd Christus
ijsdem regibus iam subiugatis, qui tamen vetere suo iure
adhuc regnant, Ecclesiam suam administrandam commi-
serit. Etsi enim personæ regum iam sunt sanctæ, dignitas
adhuc manet sæcularis. Christus verò non solum perso-
nas

Daniel. c. 2. & 7
Dan. 2.
1. Cor. 15
Euseb. in vita Constantini.
A nas regum, sed & ipsam dignitatem regiam voluit cęlesti
suę dignitati absque potentia sæculari per vim & potentia
Euangelij subijcere, vt regnum Christi (sicut Daniel prædi-
xit) comminuat, & consumat vniuersa regna mundi, vtq;
regnum & potestas & magnitudo regni, quæ est subter
omne cælum, non præficiatur, sed detur populo sanctorū
altissimi, cuius regnum, regnum sempiternum est, & om-
nes reges seruiant & obediant ei. Lapis enim abscissus de
mōte sine manibus (qui est Christus sine humano semine
de Maria Virgine natus) comminuit testā & ferrum, & æs
& argentum, & aurum, hoc est omnia regna mundi & om-
nes Monarchias; idq; non vt postea regnum suum idest Ec-
clesiam, ijsdem regnis iam per fidem Christi & illorum
B spontaneam cessionem deuidis & subiectis, gubernandā
traderet; sed vt magnitudo regni detur populo sanctorum
altissimi, hoc est Christianę Ecclesię. Animaduerte finem,
Aclere, ad quem Christus victoriam suam referat. Vicit
mundum, & principatus ac potestates euacuat, vt non ipse
iam deuidis à se potestatibus Ecclesiam suā submittat (ab-
sit à nobis hæc blasphema cogitatio) sed vt nulla sit pote-
stas, quæ potestati suæ, qua Ecclesiam fundauit & mode-
ratur subiecta non sit; vt cum omnia regna & imperia sibi
atque Ecclesię per virtutem crucis suę subiecerit, tum de-
mum tradat regnum hoc vltimum & vniuersale (in quo
regna omnia comprehenduntur & continentur) suo pa-
tri, vt non sint amplius multa regna sed vnum, & hoc non
mundi sed Christi, & id non diuisum à Dei patris regno,
C sed illi submissum & subiectum, vt sit Deus omnia in om-
nibus. Hoc inquam est consilium Christi, hoc institutū, hic
finis, quem tu Aclere irritum reddere frustra conaris.

Negare non potes Constantinum Cæsarem visa in cæ-
lo Crucis imagine (quam tu oppugnans) suum militare ve-
xillum in eandem crucis imaginem transformasse, in eo-
dem signo Maxentium tyrannum, atque etiam postea Li-
cinius vicisse: demum fide Christi confessa, Palatium suū
Lateranense partim Christo in templum, partim Christi

Act. 5. Vicario in habitationem concessisse; tum autem sponte **D** sua urbem Romam reliquisse, atque imperij sedem Constantinopolim transtulisse. Inde factum esse, ut Imperatores paulatim Christiana fide imbuti, urbem Romam imperij sui caput, visibili Ecclesiæ capiti Episcopo Romano moderadam commiserint, & modò contestati se Christo fasces suos submisisse. Quod opus non ex hominibus, verum ex Deo esse conuincitur: quia etiam si non defuerint qui summis viribus id oppugnarent, per tot sæcula tamen dissolui numquam potuit. Et quò incertius, vobis præsertim, est huius rei principium, eò est certius causam eius rei Deo non hominibus tribuendam esse. Deus enim mutat tempora & ætates, transfert regna atque constituit. **E** Dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam. Ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta, & lux eorum est. Duo passeres affe uenunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine Deo. *Dan. 2.* Quanto magis caput imperij Romani Episcopo Romano Christi Vicario subiectum, non fuit sine Dei prouidentia? Cum igitur Deus pastori Ecclesiæ Christi Romam caput mundi subiecerit, ut ea re significaret omnem mundi potentiam Christo demum subiiciendam esse: Tamen ne tu inuides Christo hanc gloriam, & potius concedis oportuisse Petri successorem & Christi Vicariū clauēs suas & cathedram Christianis Imperatoribus tradidisse? Nonne vides te instar Gigantum Deo bellum indicere? **F**

Ut autem in Dei consilio, quantum in nobis est, inuestigando pergamus; voluit Deus contemptum huius mundi omnibus in ipsum credentibus persuadere, & ideo non aliquē ex Monarchis aut mundi Principibus, sed hominē de medio Ecclesiæ suscitatum, qui non tam terrenis, quàm cælestibus donis commendaretur, voluit Ecclesiæ suæ præesse; qui non dominaretur in cleris, sed forma gregis ex animo fieret. Ceterum si reges Christiani administrarent Ecclesiam, forma quæ imitanda Christianis proponeretur,

A retur, non essent deserendi, sed amplectēdi mundi forma, & exemplar. Membra enim oportet capiti suo conformari. Caput autem per te rex est, & sæculi rex, cuius vocatio nec à te ipso quidem tam perfecta, & à mundo abhorrens existimari potest, quàm ut Apostolorum vocatio fuit; aut eorum adhuc est, qui cathedras Apostolorum tenent. Et si enim tum aliqui reges vitam spiritalem agant, tum multi Episcopi ex donatione principum Christianorum in honorem Christi facta non paruas opes videantur accepisse, tamē quia secundum originem suam vnumquodq; censetur (de terra homo terrenus, de cælo cælestis, si radix sancta, & rami) constar & Pontificem Romanum, qui ad Petri originem suam refert, pastorem spiritalem, & Constantinum, qui Caio Iulio Cæsari succedit, regem esse terrenum. Nec vocationi suæ responderet Constantinus, aut alius rex terrenus, nisi & generis nobilitati plurimum deferret, & opum magnitudine afflueret, & imperij sui potentiam iuste tueretur. At in Episcopo summę daretur laudi, si nec vbi caput reclinaret, instar Christi haberet; manibusq; suis operans tam sibi quàm suis victum & vestitum subministraret. deniq; ignobilis, egens, purgamentum huius mundi & omnium peripsa fieret. Sine cōtrouersia igitur, cum vocatio Episcoporum sit perfectior, institutum Christi & propositum semper fuit, Ecclesiam suam (quæ perfecta esse iubetur sicut pater eius cælestis perfectus est) non regibus, qui minus perfectum statum gerunt, sed Episcopis administrandam committere, quorum vocatio tam perfecta est, ut non solum ipsi debeant sancti esse, verum etiam alios sanctificandi, hoc est purgandi, illuminandi, & perficiendi potestatem à Deo acceperint. Purgant enim remittendo peccata, illuminant docētes nos seruare quæcumq; Christus præcepit; perficiunt dum cælestibus mysterijs imbutos de virtute in virtutem deducunt, donec videatur Deus in Sion. Quis verò nisi cæcus non videt, quatum ab hoc perfecto statu reges absint? Nam præterquam quòd neminem à peccatis absoluunt, neminem cælesti doctrina cum

1. Cor. 15.
Rom. 11.

1. Cor. 4.

Mat. 5.

Ioan. 20.

Mat. 28.

1. Cor. 4.

Galat. 4. cum auctoritate illuminant. nemini sacramenta Christi **D**
 conferunt, manu suè imponunt: etiam regnant interdum
 pueri, quibus tutore opus sit: regnant femine, quibus neq;
 interrogare aliquid, ne dum præcipere in Ecclesia licet: re-
 gnant heretici & Apostata, vt Constantinus, Iulianus, Va-
 lens: regnât infideles supra christianos, vt in Græcia, Asia,
 & Africa iam comparatum videmus: regnant qui nullis li-
 beralibus disciplinis, ne dum sacris canonibus addiscendis
 operam dederunt: regnant postremò qui & cogitare de-
 bent quæ sunt vxorum, & secularibus negotijs necessariò
 implicantur; quæ omnia impedimenta longè absunt ab
 Episcopali statu, apud catholicos præsertim, qui nec pue-
 ris, nec feminis, nec infidelibus, nec hereticis, nec apo-
 statis, nec laicis, nisi prius in clerum receptis, nec coniu-
 gatis Episcopatus deferunt. **E**

Præterea quamquam Christus vt certa esset sui generis
 origo, tam sacerdotalem quam regiam tribu (ex qua vtraq;
 vt in Mathæi & Lucæ Euangelij apparet, oriundus erat)
 per carnalem propagationem in Abrahæ familia continetur
 succrescere voluit & conseruari: tamen postquam in mûdo
 iam erat, veteribus cæremonijs finem imponens, legem in
 Euangelium, carnem in spiritum transtulit, vt non iam qui
 filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æsti-
 mentur in semine. Qui enim Christi sunt, hi semen
 Abrahæ sunt, secundum promissionem heredes. Ceterum **F**

si reges Christiani essent capita Ecclesiæ Dei, cum illi nõ
 per spiritale Dei semen, vt Episcopi & Pastores Ecclesiæ,
 verum per semen hominum carnale generentur, eiusq; vi
 in regnis suis succedant, iterum Ecclesia Christi certo car-
 nali semini alligaretur, vt ibi quærèda esset administratio,
 & promissio spiritalis, vbi semen carnale regnaret. Sic
 stultus es Aclere, vt cū spiritu cœperimus, carne velis nos
 consumari? Certè quemadmodum Ismael, qui secundum
 carnem natus fuerat, persequatur Isaac, qui natus est se-
 cundum promissionem & spiritum; ita & nunc carnalis re-
 gum propagatio administrationem Ecclesiæ sibi arrogans

per-

A persequitur Ecclesiam Dei spiritalem. Sed quid dicit scri-
 ptura? Eijce ancillam, & filium eius. non enim hæres erit
 filius ancillæ cum filio liberæ. Filius ancillæ est quicumq;
 secundum carnalem propagationem natus, ideo Ecclesiã
 sibi subiectam esse contendit, quia natus est ex regali san-
 guine. Quis enim nescit & ipsum regum sanguinem ser-
 uire peccato, nec vllum filium à rege quopiam nisi in pec-
 cato concipi? At regnum ei debetur ob sanguinem suum,
 nempe quia regiæ carnis filius est, non item quia per fidem
 & baptismum filius Dei est: alioquin non deessent etiã
 alij filij Dei, qui eum è Regno eijcerent tamquam maio-
 res natu, & ideo in successione præferèdi. Caro autem pec-
 cato seruiens est instar ancillæ: spiritus verò per Christum
 liberatus, est instar liberæ. Filius ergo sanguinis regi ex eo
 non nisi filius ancillæ est. & ideo ratione solius sanguinis
 sui non erit hæres cum filio liberæ, ac multo minus eiecto
 aut etiam subiugato filio liberæ, administrationis Eccle-
 siasticæ, hereditatem suæ carni & sanguini annectet. Solent
 tui fratres, Aclere, quando nos Episcoporum continuatam *Galat. 4.*
 seriem & successionem vnã cum Ireneo, Tertulliano, Opta-
 to, Patiano, Augustino & ceteris patribus vrgemus, respõ-
 dere nobis, quòd veritas Euangelij nulli certo loco aut
 successionem vrgemus, verum spiritalem, quam ipse *Succeß.*
 Christus & promissit, & constituit. Cum enim Apostolos
 ad docendum & baptizandum omnes gentes mitteret,
 dixit eis, Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad *Mat. 28.*
 consummationem sæculi. Si ergo Christus cum ijs est, &
 omnibus diebus cum ijs est, & vsq; ad consummationem sæ-
 culi cum ijs est, qui succedentes Apostolis in opere Apo-
 stolico pergunt, docentes & baptizantes omnes gentes
 vsq; ad consummationem sæculi, quomodo tu negas ibi quæ-
 rendam Euangelij veritatem, vbi Christus dicit se esse, &
 perpetuò esse? Licet igitur in carnali aliquo semine aut
 successione Christus non sit quærendus, tamen in spiritali
 Doctorum & Pontificum semine tam nunc quæri, quam *Luc. 22.*
 olim

D olim in medio Doctorum inueniri voluit. At nunc tu relicto Christi sanguine, qui nos regenerauit in spem viuā; relicto spiritali Episcoporum semine, qui non per carnē, **1. Tim. 4.** sed per manuum impositionem propagantur, reuocas nos **2. Tim. 1.** ad carnem & sanguinem hominum, ad primogenitos regum, ad sæculi potestates. quod quidem nihil est aliud, quàm totum Christi aduentum, & vniuersum eius spiritalia concilium & institutum labefactare & subuertere conari. **Act. 13.**

Postremò vt hunc sermonem de consilio & proposito Christi susceptum absoluamus; certissimum Christi consilium in Ecclesia moderanda hoc fuit, vt cum Christiana fides omnium nostrarum actionum basis & fundamentum esse debeat, certissima & clarissima fidei regula semper ob oculos omnium Christianorum proponeretur, quam nemo ignorare vnquam posset, nisi se ipsum sponte sua oculorum vsu priuare vellet. Nā Spiritus sanctus de cælo missus est, vt doceret nos omnem veritatem. Et repleta est terra scientia Domini, sicut aque maris operiētes. Et hæc erit vobis directa via, ita vt stulti non errēt per eam. Parauit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium, & videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri: quia ecce tenebræ operient terram & caligo populos. Super te autem (ò Ecclesia) orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. non item tu in splendore ortus regum. sed quis est modus, quo ista lux tam perspicuè nobis resplendet? Christus primum ipse lux est mundi, quem spiritus Domini misit ad annuntiandum mansuetis. Deinde Apostoli, vt ipse Christus dixit, lux mundi sunt, de quorum successoribus ex gentiū Ecclesia eligendis Isaias prædixit, Stabunt alieni, & pascēt pecora vestra: vos autem sacerdotes Domini vocabimini, ministri Dei nostri dicentur vobis, & fœdus perpetuum feriam eis. & scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum, omnes qui viderint eos cognoscent illos: quia isti sunt semen

A semen, cui benedixit Dominus. Et omnes gentes & linguæ venient & videbunt gloriam meam. Et assumā ex eis in sacerdotes & leuitas, dicit Dominus. Quia sicut cæli no ui & terra noua, quæ ego facio stare coram me, dicit Dominus, sic stabit semen vestrum & nomen vestrum, & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro vt adoret corā facie mea, dicit Dominus. In summa lux mundi est fides in Christum. Quia per fidem ambulamus nō per speciem. & lucerna pedibus nostris verbum Domini. Fidei prædicator æternus est Christus magister vnus. Ministri Christi sunt primum Apostoli, deinde eorum successores, quibuscum Christus esset omnibus diebus vsq; ad cōsummationem sæculi. Inter Apostolos primus fuit Petrus, idemq; maximus inter illos & præcessor, & fratrum confirmator, & ouium atq; agnorum pastor plus alijs diligens. Christus autē et si pro omnibus Apostolis & omnibus Christianis, qui per Apostolorum prædicationem credituri erant, orauit; tamen orationem suam ordine quodam voluit in effectum deduci. Nam cum Satanus cupe-ret cribrare omnes Apostolos, Christus non ex æquo rogauit Deum pro omnibus, sed ad solū Petrum dixit, Ego rogauit pro te, vt non deficiat fides tua. Quid ergo fiet de alijs Apostolis? Et tu (ait Christus ad Petrum) confirma fratres tuos. Vide ordinem à Deo cōstitutum, Aclere. Deus cōfirmat Christū quatenus homo est: Christus Petrum, quatenus is præcessor & primus Apostolorum est: Petrus Apostolos vt potè collegas suos: Apostoli reliquos fideles. Et qua in re cōfirmādi sunt Apostoli? vtiq; in fide. Nam Christus Deum rogat, vt fides Petri non deficiat, eumq; alios iubet confirmare, vtiq; in fide in qua ipse non deficit. Christus autem reliquos Apostolos Petro collegas dedit, ab eo tamen Petro confirmandos. Petro autem successit Romanus Pontifex, vt sancti Patres attestantur, & res ipsa loquitur. Hic igitur Pontifex Romanus ex institutione Christi est, & omnium Christianorum, & ipsorum etiam Episcoporum in fide confirmator; hic inter omnes fidei annuntiatores

Semen
benedi-
ctum.
Esaia.
66.

2. Cor. 5.
Ps. 118.

Mat. 23.
Mat. 28.
Mat. 10.

Luce. 22
Ioan. 21.

Ioan. 17.

Luce. 22

Ordo cō-
firmandi
Christia-
nos in fi-
de.

Irenæus.
lib. 3. c. 3

Optatus
lib. 2.

Mat. 5. tiatores maximè est lux mundi, sal terræ, & lucerna super **D**
Lucæ. 8. candelabrum posita, quæ lucet omnibus aut qui in domo
Ioan. 1. sunt, aut qui ingrediuntur domum. Cum igitur Christus
 vera lux, quæ illuminat omnem hominem venientem in
 hunc mundum, hoc ordine quem iam exposui, Ecclesiam
 suam pascat & gubernet; Christiani autem reges non sint
 vocati ad Euangelium omnino prædicandum; ac multo mi-
 nus vt ceteros, qui illud prædicant confirmet, per Euan-
Rom. 10. gelij verò prædicationem fides conseruetur, & per summū
 fidelem prædicatorem Ecclesia in summo gradu pascatur,
Ioan. 21 & administratur; nullo modo cum instituto Christi, & cō-
 filio cohæreere potest, vt alij cuiquam administratio Eccle-
 siæ in summo gradu committatur, quàm summo pastori, **E**
 pro cuius fide Christus rogauit, vt ea non deficeret. Nec
 tibi, Aclere, horrendum axioma (vt tu loqueris) videri de-
 bet, quòd Papa cum sit Vicarius Christi errare non possit.
 Quin magis horrendum videretur, si posset errare, cum
Luc. 22. Christus Deum orauerit, vt non deficeret fides Petri. Et
 cur vt non deficeret? Et tu, inquit, conuersus confirma
 fratres tuos. Fratrum igitur confirmandorum causa non
 deficiet. An Petrus in Ecclesia fratres non habet vsq; in
 hodiernum diem? Nec in hodiernum ergo diem deficit
 fides Petri, hoc est præcessoris & ducis Ecclesiæ, sed in ho-
 diernum diem fratres suos confirmat. Nam sine pæniten-
Rom. 11. tia sunt dona Dei & vocatio. Placuit Deo, vt Petri fides ob
 Apostolos confirmandos non deficeret. Successerunt au-
 tem Apostolis alij pastores & doctores; qui omnes magis
 indigent confirmatore in fide, quàm Apostoli. Non mi-
 nus ergo istis Episcopis Petri successor, quàm illis Apосто-
 lis ipse Petrus confirmator in fide est datus. Tu verò neq;
F per somnium dicere audes Christianos principes non pos-
 se errare in fide, cum tot eorum & hæretici, & apostata, &
 persecutores catholicæ fidei fuerint (Cōstantius, Iulianus,
 Valens, Iustina, Theodoricus, & multi præterea Gothorū
 reges) & tamen qui non potest errare in fide, maximè ido-
a. Cor. 5. neus est qui Ecclesiam, quæ per fidem ambulat, in sum-
 mo

A mo gradu administret, & confirmet. A Christi ergo men-
 te alienissimum est, vt reges Christiani ad Ecclesiæ summa
 gubernacula sedeant. At verò nos liberè dicimus, & quod
 verbo dicimus, re ipsa comprobamus, Petri successorem
 Episcopum Romanum in exponenda Episcopis fide Chri-
 sti numquam errasse, numquã aut vllius hæresis auctore
 fuisse, aut alij hæretico ad promulgandam hæresim, suam
 præbuisse auctoritatem. neq; mirum. Nam quis non fa-
 teatur Ecclesiam Christi eadem prærogatiua frui debere,
 qua olim Synagoga Iudæorum fruebatur? Malachias pro-
 pheta, qui post Moysen penè octingētis annis floruit, imò
 Deus, qui in æternum viuit, de Leuitica tribu ita per Mala-
B chiam scribit: Pactum meum cum leui, lex veritatis fuit in
 ore eius, & iniquitas non est inuenta in labijs eius. in pace
 & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniqui-
 tate. Cur id? Labia enim sacerdotis custodient scientiam,
 & legem requirēt ex ore eius: quia Angelus Domini exer-
 cituum est. Ecce leui, hoc est sacerdos legalis de tribu leui-
 tica ortus vt cūq; in factis suis aliquādo errauerit, tamē
 in ore suo habuit veritatem, imò legem veritatis, nec est
 inuenta iniquitas in labijs eius, idq; quoniam Deus consti-
 tuit illum velut Angelum suum, qui voluntatem Dei ce-
 teris fidelibus nūtiaret, adeo vt Caiphaz prophetaret, quia *Ioan.* 11.
C Pontifex erat anni illius. Si hæc res ita se habuit, si ratio
 eius rei certa est, si Christus Moyse minor non est, imò si
 Christus illud beneficium Synagogæ contulit, tamquam
 familiæ suæ; Si Ecclesiam Christianam perinde amat, ac *Hebr.* 3.
 Synagogam amauit; Si Angelum & nuncium suæ volun-
 tatis in Ecclesia Christiana non minus habet, quàm in Sy-
 nagoga habebat: Si Angelus Christi errare non potest:
 Si Petrus inter Christi Angelos primus fuit & præcessor. *Mat.* 10.
 Si alius Pontifex nullus nominari non potest, qui perin- *Luc.* 22.
 de successerit Petro (pro cuius fide vt ea nō deficeret Chri-
 stus rogauit) ac Pōtifex Romanus: Si alius nemo fuit, qui
 tot gentibus Christi fidem annuntiauit, qui tot hæreses
 extinxit & repressit, qui tot fideles in vna fide & commu-
 nione

nione adunauit & custodiuit; cur tibi horrendum axio- **D**
 ma videtur, vt dicamus, hunc Angelum Christi, hunc noui
 testamenti Sacerdotem, qui sedet in cathedra Petri non
 posse in fide errare? Contra verò quia nos credimus ver-
 bo Dei, & scimus Christum mentiri non potuisse, & legi-
 mus illum pro Petri fide vt illa in fratribus confirmandis
 non deficeret, orasse, & Petrū vsq; ad cōsummationē sēcu-
 li non minus quàm alios Apostolos in successoribus suis
 viuere, & Christum omnibus diebus cū illis esse ex Euan-
 gelio didicimus: propterea contestamur consilium Chri-
 sti hoc fuisse, vt per Episcopum Romanum Petri succes-
 sorem, qui errare in fide annuntianda non potest, Ecclesiā
 suam potissimū administraret, non itē verò per Christia-
 nos principes, qui & possunt & solent in fide errare, atq;
 etiam à fide Christi deficere, aliosq; innumerabiles popu-
 los in eandem secum perniciem trahere, maximè ob hoc
 ipsum quòd sint reges & potentes in hoc sēculo. Nec po-
 tuit ordo aut genus hominum vllum à te excogitari Acle-
 re, cui Christiana Ecclesia minus cōsentaneè administrā-
 da gubernaretur. Nam & de rebus Christi minimū sciunt,
 & in rebus sēculi plurimum possunt, & plerunq; non pa-
 scunt gregem, sed maētant; non plebem amore ad Chri-
 stum alliciunt, sed Tyrannide à Christo abducunt. Vis dicā
 paucis? Tempa Christi, sacra vasa, opes Ecclesiasticas, ip-
 sumq; Christum sibi interdum subijcere laborant, vt ne in **F**
 solos homines, aut solas res humanas imperium tenuisse
 videantur. Nosti & quid Ieroboam olim in Samaria, &
 quid nuper Hēricus Octauus in Anglia fecerit, qui omnia
 monasteria non ad Dei cultum & honorem, sed ad suā li-
 bidinis vsum, & ministerium deformauit, obtendens qui-
 dem quòd superstitionem delerurus erat, re vera verò de-
 tenstandum sacrilegium committens, quia in rem priua-
 tam publicos Christi thesauros conuertit.

Mat. 28

3. Reg.
12.

A Ius numquam deficere, quominus qualibet summa po-
 testas subiectarum sibi potestatum munera exe-
 qui possit. Nec summam imperandi ra-
 tionem in his plerumque consistere,
 quæ à præcipiente geri non
 possit. Cap. V.



N Monarchia mea dixi, quamlibet summam **Lib. 2.**
 potestatem id totum gerere posse, quod vlla
 inferior potestas ex superioris præscripto se-
 cundum suæ potestatis vim & officium gerit.
B Nam & Imperatorem id posse gerere, quod Tribunitiæ;
 Regem quod Prætorie; Architalassum, quod gubernato-
 riæ; Episcopū, quod presbyteralis aut diaconicæ potesta-
 tis est. Sicut Octauus Augustus rerum in Vrbe potitus, nō
 modò ius dici præcepit, verum & ipse ius dixit assidue, &
 in noctem nonnumquam, si parum corpore valeret, lecti-
 ca pro tribunali collocata, vel etiam domi cubans. Dixit **Apud**
 autem ius non diligentia modò summa, sed & lenitate. **Suetoniū**
in Augu
sto. c. 33.

C Moyes quoque populi Dei summus Dux, priusquam à **Exod. 18**
 focero admoneretur, vt ad minora negotia cognoscenda
 iudices constitueret, minima quæq; de mane vsque ad ve-
 speram iudicauit. Paulus Apostolus, quamuis non ad ba- **1. Cor. 1.**
 ptizandum, sed ad euangelizandum missus: tamen quia
 potestas euangelizandi maior fuit, & potestatem baptizan-
 di complexa est, fatetur se Stephanæ domum etiam bapti-
 zasse. Denique Christus ipse, qui Apostolos iussit euan-
 gelizare, dæmones eijcere, infirmos curare, & corpus suū
 in mysterio facere, ipse quoq; euangelizauit pauperibus,
 dæmones eiecit, infirmos curauit, corpus suum in myste-
 rio fecit, ac discipulis ministravit. Qua propter cum Epi-
 scopi, Presbyteri, & Diaconi potestates quasdam Ecclesia
 sticas exercent, si rex Christianus illis etiam in rebus sa-
 cris & diuinis (vt Anglicani Protestantes dicunt) præest ac
 auctoritate regia præcipit; necesse est vt idem rex potesta-
 te

Lib. 2.

NO

Apud
Suetoniū
in Augu
sto. c. 33.

Exod. 18

1. Cor. 1.

Matt. 10

Luc. 22.

D **N**on careat, aut Euangelizandi, aut Eucharistiam conficiendi & ministrandi, aut alia munera Ecclesiastica obeundi; Constat verò inter ipsos Protestantes, Christianos reges non habere potestatem hæc munera Ecclesiastica gerendi, quia non sunt ad hoc ministerium à Deo vocati, vel per manuum impositionem additi & segregati; Non ergo verum est, quòd rex Christianus in causis diuinis maior sit Episcopis & Presbyteris, quodq; illis præcipere in ijs, quæ Dei sunt, aut imperare possit.

Ita argumentatus ego cum essem: Aclerus hanc doctrinam sibi refellendam sumens, cum me delirantē, stupidū, hebetem, atq; adeo insanum quòd ita concluderem vocasset, in vniuersum ita proponit.

Obiectio. Summa imperandi ratio in his præcipiendis plerumq; consistit, quæ geri aut tractari à præcipiente non possint. hæc ille.

Responsio. Quàm accommodatè ad rem ipsam locutus est? nulla calumnia, nulla circuitione vsus, quod ego posui, hoc ille negauit, vt iam inter nos de statu quæstionis pulchrè conueniat. Quod ergo tam bellè dixisti Aclere, quibus tandem argumentis probas? Difficilem sanè proninciam suscepisti. Nam in quo potissimùm cernitur atque eminet summa imperandi ratio? nonne in auctore omnium Deo?

Eccles. 3. Quoniam magna potentia Dei solius, & regnum ipsius omnibus dominabitur. Summa igitur imperandi ratio, quæ in ipso Deo est, vtrum in his præcipiendis plerumque consistit, quæ geri atque tractari à præcipiente non possint? an præcipit quidem quidquam Deus, quod idem gerere atque tractare non queat? quasi verò vllum verbum imposibile sit apud Deum.

Luc. 1. Plus dico, non solùm gerere potest Deus quæcumque præcipit, sed etiam nisi ea nobiscum vna gerat, à nemine præterea geri possunt. In ipso enim viuimus, mouemur & sumus. Ipse omnia opera nostra operatur in nobis, & sine ipso nihil possumus facere aut etiam cogitare. Ipse verò dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt. Voluntati autem eius quis resistit? Summa igitur

Act. 17. **Esai. 5.** **Psal. 248.** **Rom. 9.**

A igitur imperandi ratio, quæ Dei propria est, non in alijs præcipiendis vnquam consistit, quàm quæ à præcipiente necessario gerenda sunt. At enim te agere dices non de summa imperandi ratione, quæ in Deo, sed quæ in hominibus est. Quid ergo? an summa imperandi ratio, quæ in hominibus ex dono Dei est, illam imperandi rationem, quæ ipsius Dei propria est, non imitatur, & refert quantum potest?

Ad imaginem quippe Dei conditus est homo. Itaque potestas illa maior etiam humana, quæ ritè iubet publicum aliquod munus ab alio exerceri, extendit se ad eiusdem publici muneris publicam executionem, vel (te ipso auctore) per aliam saltem explicandam. Quod autem per alium

B quis rectè facit, id per seipsum eodem iure facere potest, non dico, debet, sed potest. Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam dico Dominus? si ego qui generationem ceteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? quasi dicat, Qui potest facere quod plus est, vt videlicet etiam alijs tribuat faciendi aliquid potestatem, multo magis quod in eodem genere minus est, facere poterit, vt ipse id faciat, quod alijs præscribit. Nam qui per alterum facere aliquid potest, duos ad minimum potestatis gradus obtinuit, vnum vt faciat, alterum vt etiam per vicarium suum id faciat. Nec quia vicarium substituit, ideo ius suum prodidit. Quot ego tibi exempla summorum Ducum, Regum, & Imperatorum proferre possem, quibus laudi maximè datur, quod interdum Tribuni militum, aliquando Centurionis, nonnumquam verò & militis gregarij officio functi sunt? Cyrus, Alexander Magnus, Annibal, Scipio, nihil penè militibus imperabant quod non ipsi prius susceperint, vt exemplo suo ceteris præirent.

C Octavius Augustus in imperio positus Tribunitiam potestatem per se exercuit. Quin & multis munere in bello contra Marcum Antonium gesto functus est. Nam Aquilifero legionis suæ grauitè faucio, aquilam humeris subijt, diuq; portauit. Antoninus Pius labores actuum publicorum incredibili diligentia ad speciem optimi patrisfamilias

Gen. 1.

Esa. 66.

Ier. 10.

Act. 17.

Apud
sext. in
reliū vi-
torē hęc
habetur.

miliās non modò imperauit, verùm & executus est. Suetonius refert, Vespasianum Augustum restitutionem Capitolij aggressum, ruderibus purgandis manus primum admouisse, ac suo collo quædam extulisse. Titum verò Vespasiani filium nouissima Hierosolymorum oppugnatione septem propugnatores totidem sagittarum ictibus cõfecisse. Hæc alijs in summis Imperatoribus præclara, nostro autem Aclero non tantū indecora, verùm etiam plerunque illicita videntur. Ait enim, ea quę imperantur geri à præcipiente plerumq; non posse. Vnde hanc regulam sumpisti Aclere? non ex cælo, alioquin Deus eam non violaret; non ex hominibus, alioquin non laudarentur summi Duces, qui gerunt ipsi ea, quę alijs imperant. Vnde igitur eam Aclere didicisti? ex Platone inquit. Nam Plato ait regem ea quę imperat alijs, facere ipsum non oportere, hæc Aclerus. Si Plato aliud Aclere dicit, quàm Deus ipse facit, & commonstrat; nonne tutius in Deo quàm in Platone acquiescis, Deus enim & imperat, & eadem quę imperat facit. Deinde an ignoras Platonis Rempublicam de ijs rebus dici solere, quę potius opinionis cuiusdam excogitata nouitate finguntur, quàm in vsus forenses, & hominum mores recipi solent? Quid verò si neque Platonis verbum causam tuam adiuuat? Neque enim ait Plato, regem non posse facere quę alijs imperat, sed ipsum ea facere nõ oportere. Aliud est Aclere, nõ posse, aliud non oportere quę imperantur facere: non oportet facere quę non decent: non possumus facere quę penitus interdiciuntur & vetantur. Ius deest, cum facere aliquid non possumus; decorum verò, cum non oportet id facere. Non semper oportet regem sua manu ficarium homicidij conuictum occidere; potest tamen id ipsum si vult, quãuis indecorè, non tamen prorsus iniustè exequi. Plato cogitatione saltem voluit officium regis à ministrorum eius opera separare. Ita regi dedit imperandi auctoritatem, ministris reliquit exequendi ministerium: non quòd negaret posse regem id etiam facere quòd magistratui sub se constituto

In Vespasiani & Titi vita

Plato in Politico.

Platonis mens.

D

E

F

A tuto imperat. nã quòd alteri faciendum imperat, id ipse per alterum facit. quòd verò facit per alterum, Plato numquã negauit regem id per se ipsum suo iure facere posse, quãdo id & deceat & expediat. Iam si Plato hoc non docet quòd tu dicis, quid præterea in medium affers? Si omnia quę imperantur ab ipso præcipiente geri possent, Pontifex Romanus, inquit Aclerus, qui maritis iura præscribit, etiam ipse posset maritus fieri & coniugari.

Nunc cauillaris Aclere. neque verò de priuatis oneribus aut officijs, quę priuata de causa imponuntur & imperantur, verùm de publicis honoribus & magistratibus iam disputabamus. Dicimus illa omnia quę à summa potestate inferioribus non personis priuatis, verùm magistratibus secundum eorundem magistratuum publicam potestatem imperantur, ab ipso præcipiente geri posse, vti satis clarè per exemplorum appositionem iam ante docuimus. Nosti enim & regem esse personam publicam, & Pontifices atque Episcopos personam publicam sustinere. Itaque si rex Episcopis ea quę ipsorum publici muneris sunt, auctoritate regia imperare posset, etiam illa eadem Episcopi officia gerere & administrare posset: Non potest autem ex tua confessione Episcopi officia gerere, nec ergo imperare. Ceterum quę ad personam vel emendandam, vel puniendam, vel in officio circa res priuatas continendam spectant, cum nullius publicę potestatis sint, fit sæpissimè vt solùm imperentur, nec etiam à præcipiente geri possint. Nam Christus, cui omnis potestas in cælo & in terra data erat, pænitentiam peccatoribus agendam præscripsit, quam ipse ab omni peccato immunis agere nõ poterat, non quòd vlla potestate careret, sed quòd pænitentiam agere sit & alicuius necessitatis, & maximè utilitatis, verùm nullius publicę potestatis. Itaque cum tu Aclere illud nobis instar magni argumenti opposueris, posse Pontificem iura maritis præscribere, neque tamen aut secundū te cogi, aut secundum nos (voto castitatis iam emissio) permitteri vt vxorem ducat; & inde concluderis plerumque id

Obiectio.

Responso.

13.

Luc. 13.

Si

præ-

pręcipi posse quod geri à pręcipiente non possit; cauilla-
tus es, non argumentatus. Nam ducere vxorem ad nullam
potestatem publicam, ad nullum munus Ecclesiasticum,
sed tantum ad personale certorum hominũ officium post-
quam semel id promiserunt, omnino spectat. Alioqui Chri-
stus, cui omnis potestas data est, & qui omnem iustitiam
impleuit, vxorem duxisset. Imò Apostolus docet acce-
ptionem vxoris, magnum impedimentum ad res Dei ge-
rendas afferre. Nihil igitur quod ad rem facit protulisti.
Nos enim loquimur de summa potestate id fieri iubente,
quod ab alia inferiore eiusdem generis potestate obeundũ
est. In hac causa dico summam potestatem gerere ipsam
posse, quidquid inferior potestas ex eius pręscripto secun-
dum suam potestatem gerit. Ceterum tu fateris non pos-
se regem tractare sacra, fateris reginam tuam iure diuino
prohiberi quo minus aut verbum Dei prędicet, aut Eucha-
ristiam cõficiat. Debes igitur fateri, quòd neq; auctoritate
sua regia ijsdem rebus gerendis pręsit.

Matt. 28

Matt. 3.

1. Cor. 7.

1. Cor. 14

*Ex Acleri doctrina effici, vt vel Dei verbum &
sacramenta dispensare, humile quoddam sit
abiectumq; officium; vel certè rex, qui ea
dispensare non potest, eorum dispen-
satoribus pręesse multo minus
possit. Cap. V I.*



Aclerus dicit, principes suos non annũtiare Dei
verbum, nec ministrare sacramenta, sed ijs, qui
Ecclesiastica potestate pręditi sunt, auctorita-
te regia pręcipere vt hæc faciant. Si quæram
abste Aclere, cur tui principes ea Christi sacramenta, quæ
ministrari ab alijs iubēt, ipsi prohibeantur ministrare: quid
tandem causę afferes? Cum enim plus sit iubere aliquid
fieri quod semper est alicuius potestatis, quàm id ipsum
facere,

- A facere, quod interdum etiam priuatis mandatur: cui autem
maius aliquid committitur, ei quod in eodem genere mi-
nus est multo magis commissum intelligi soleat: necesse
est, vt qui aliter dicit, rem comparatam esse, eius rei pro-
priam reddat ac pręcipuam rationem. Equidem scio mul-
ta rectè imperari, quæ rectè ab imperante non fiunt, sed id
non euenit quia ius faciendi, verum quia decorum deest.
Episcopus rectè iubet pro Ecclesia Dei contra hostes fidei
Christianę arma suscipi & bellum geri; sed ipse propria ma-
nu pugnare non debet, quia incruento Eucharistię sacri-
ficio subseruit: nec decet eum fundere alienum sanguinẽ,
qui ex ministerij sui ratione potius profitetur se proprium
sanguinem pro alijs fusurum esse, vt Christum opere imi-
tetur, quem ministerio suo refert & annuntiat. Quia igi-
tur propria manu pugnare, indignius quiddam & abiectius
est, quàm vt Episcopi conditionem id facere deceat: pro-
pterea licet Episcopo ad bellum, quod ipse manu sua non
debet gerere, alios inuitare. Sed cum Christi sacramenta
populo dispensare indignum officio regis non sit (alioqui
Christus ipse rex regum Eucharistiam suis manibus non
ministraffet) relinquitur, vt rex ob id solùm Christi sacra-
menta ministrare non possit, quòd hoc spiritale ministeriũ
multo sit sublimius & diuinius, quàm vt rex terrenus id
exequi permittatur: sicut leuitici Sacerdotes olim ad regẽ
Iudæorum dixerunt, Non est tui officij Ozia, vt adoleas
incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aa-
ron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium. Mini-
strare enim Dei sacra, honoris maximi est. Vnde Paulus
ait, Nec quisquam sumet sibi honorem, sed qui vocatur à
Deo tamquam Aaron. Sic & Christus non semetipsum
clarificauit vt Pontifex fieret. Qua propter cum rex non
ideo prohibeatur ministrare sacramenta, quasi hoc officiũ
humilius sit & abiectius quàm vt regi conueniat, sed tan-
tum quia rex ad tantum honorem non sit assumptus & cõ-
secratus; cumque sacramenta Christi veteris legis cære-
monias infinito dignitatis interuallo superent; necesse est
Sf 2 regem

1. Cor.

11.

Luc. 22.

2. Para-
lip. 26.

Hebr. 5.

2. Cor. 3.

regem Christianum ex eo solo quòd rex Christianus sit, **D**
 non esse idoneum noui testamenti ministrum, & ideo nec
 Euangelizare, nec Baptismum & Eucharistiam ministrare
 posse. Quod cum ita sit, quāto minus potest ijs, qui ad eum
 honorem consecrantur, vt sacramenta Christi ritè admi-
 nistrent, in ea ipsa causa vi suę regię auctoritatis præesse,
 & imperare? Nam qui ad minus aliquod & inferius offi-
 cium gerendum idoneus non est, quanto magis ab altio-
 re & maiore eiusdem rationis officio arceri debet? Plus
 est sacris gerendis præesse, quàm sacra ex alterius præscri-
 pto gerere. Sed rex Christianus non potest quicquam Ec-
 clesiasticorum munerum administrare; quia ad huiusce-
 modi ministerium consecratus non est. Multo igitur mi-
 nus potest summi Gubernatoris, & supremi capitis mu-
 nus in rebus Ecclesiasticis moderandis obire, quia nec ad
 illud consecratus est. Nisi fortè cui non licet ostiarium
 agere, is ad summi Pontificatus apicem assequendum aspi-
 rabit. Atque ita quidem se veritas habet. Sed cum Aclerus
 aliter sentiat, regumq; Christianorum in sacris mode-
 randis summam potestatem tueatur & asserat; necesse est,
 vt ille statuatur ideo regem sacra non tractare, quoniam hoc
 plebeium quoddam & vulgare munus videatur: eundem
 verò sacris administrandis præesse, quia hoc sit regię cuius-
 dam, imò & diuinæ dignitatis. Nam eousque regibus ho-
 die nefarij homines adulantur, vt omnia diuina & humana **F**
 illorum pedibus subiecta esse confingant. Et cum ferre
 non possint, vt quidquam vllibi præterquam ex regis arbi-
 trio fiat, regem fecerunt non solùm Reipublicæ (vt verè
 est) verùm & Ecclesię summum caput proximè secundum
 Christū ipsum, quo nihil à vero alienius esse potest. Hinc
 tantus ministrorum Christi contemptus consecutus est, vt
 nihil in tota Anglia, Scotia, & Hibernia vilius clero aut
 abiectius habeatur, nec iniuria. Vbi enim omnes in regem
 sæcularem tamquam in summum caput, & ideo tamquam
 in typum, & formam Ecclesię intuentur, ad cuius mores
 & vitam reliqua membra sese conformare debeant; ibi ne-
 cesse

2. Paralip.
26.

Nota.

Mores
Ecclesię
schisma-
ticę.

A cesse est ita quemq; in maximo pretio esse, vt proximè ad
 sæcularis vitę summam vanitatem aspirat: Eos autem qui
 Clero ascribuntur, homines nihili & depresso mentis co-
 gitationisq; reputari. Ex quo etiam fit, vt contempto eo-
 rum ministerio, ipsa Christi sacramenta contemnantur; qui
 fructus est vbertimus regię in causis Ecclesiasticis præse-
 clura.

Ex perpetua Ecclesię Britannicę & Anglicanę
 historia conuincitur, antiquos Britannicę
 & Anglię reges Romani Pontificis pri-
B matum semper agnouisse: tantum ab-
 est, vt iidem reges omnium Eccle-
 siarum gubernationem in se
 susceperint.

Aclerus non est veritus affirmare, Lucium regem,
 qui primus ex regibus Britannicis fidem Christi confes-
 sus est, omnem Ecclesiarum gubernationem in se susce-
 pisse. & alibi: Reges Britannici, ait, supremam semper
 Ecclesiasticę disciplinę auctoritatem exercebant. Quod
 ipsum Anglorum etiam reges sibi sumpsisse non tam do-
C cet, quàm dicit. Res autem ita se habuit:

Cum salutare Dei à Iudæis repulsum per discipulos Do- **Act. 28.**
 mini ad gentes longinquas ferretur, antiqua Ecclesię Bri-
 tannicę traditio (quam nec tu Aclere negas) commemo-
 rat Iosephum ab Arimathia, eum qui Christum sepeliue-
 rat, vsque in Britannias nauigantem, docuisse illos popu-
 los paulò ante à Romanis domitos fidem Christi: extat vs-
 que in hodiernum diem Iosephi eiusdem in Britannia mo-
 numentum, & quamuis tacita (propter vestram Aclere ty-
 rannidem) tamen iusta veneratione à catholicis Britannis,
 & Anglis ad Cœnobium Glascouiense colitur, id quod ne-
 mo Anglorum ignorat. Crescente igitur in Britannia
 Chri-

Christianæ fidei semine, quod à Iosepho primùm spargi ce-
 prum est, tantum per Dei gratiam fructus redundauit, vt in
 ipso etiam regis prætório verbum Dei manifestaretur. Ita-
 que circiter annum incarnationis Domini centesimum &
 ferè octuagesimum Lucius Britannię rex, fide Christi su-
 scepta, misit ad Eleutherium Episcopum Romanum vt
 eius mandato Christianus fieret. Eleutherius verò Fuga-
 tium & Damianum ad regem ablegauit, qui cum ritè, at-
 que ordine baptizarent. Hęc neq; Pontificale Romanum
 tacet, neq; venerabilis Beda in historia gentis Anglorum
 omittit, neq; Aclerus negat.

Quero iam abste Aclere, vnde factum putes, vt rex Lu-
 cius potissimum ab Eleutherio Papa Christianę fidei aucto-
 ritatem sibi petendam iudicaret? Vtrum alij viciniore
 Episcopi non erant? aut si erant, obscuri & ignoti latita-
 bant? Hoc tu quidem insnuas, cum de hac re agis. Sed
 primùm ex Euangelio constat non potuisse latitare Chri-
 stianos Episcopos. Episcopi enim apud Ioannem appel-
 lantur Stellæ & Angeli, cum ait, Septem stellæ Angeli sunt
 septem Ecclesiarum, & candelabra septem, septem Ecclē-
 się sunt. Stellæ autem factę sunt vt non latitarent, sed vt
 lucerent supra terram: vnde Christus ipse Apostolos suos
 vocans lucem mundi, mox subiungit, Non potest ciuitas
 abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernā
 & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt lu-
 ceat omnibus qui in domo sunt, atque vt intrantes videant
 lumen. Si ergo Christus Apostolos & eorum successo-
 res Episcopos fecit lumen mundi, eosdemq; super cande-
 labrum, hoc est in loco alto & eminente constituit, tum
 vt Christiani omnes qui sunt in domo, tum vt catechume-
 ni omnes qui in domum intrant lumen doctrinæ fidei vi-
 deant & sequantur: Si probauero fuisse in locis vicini-
 oribus Ecclesias fideles & Christianas, vtique statim conui-
 ci latitare earundem Ecclesiarum Pastores non potuisse.

Irenæus igitur, qui eadem ætate qua rex Lucius floruit,
 & ipse fuit magnus Episcopus, & de aliarum gentium Ec-
 clesijs

A clesijs ita scribit. Hanc fidē Ecclesia in vniuersum mundū
 disseminata, diligenter custodit quasi unā domum inhabi-
 tans: Nam & si in modo loquele diffimiles sunt, sed tamen
 virtus traditionis vna & eadem est. Et neque hæc quę in
 Germania sunt fundatę Ecclesię, aliter credunt, neque hæc
 quę in Hiberis sunt, neque hæc quę in Celtis, neque hæc quę
 in Oriente, neque hæc quę in Aegypto, neque hæc quę in
 Libya, neque hæc quę in medio mundi sunt constitutę. Sed
 sicut sol creaturę Dei in vniuerso mundo vnus & idem
 est, sic & lumen, prædicatio veritatis vbique lucet, & illu-
 minat omnes homines qui volunt ad cognitionem verita-
 tis venire. hæc Irenæus. Ex cuius verbis constat Ecclē-
 sias iam tum fuisse & apud Celtas (qui sunt populi Gallia-
 rum) & apud Hiberos (qui sunt populi Hispaniarum) &
 apud Germanos, quorum patria omnibus nobis nota est.
 Porro isti tres populi multo sunt Britānis propinquiore,
 quàm Latini, aut Romani, quos trans alpes Britānis fuisse
 atque adhuc esse constat. Cum ergo in Hispanijs, in
 Gallijs, in Germania, Christianę Ecclesię fuerint, nec illis
 pastores atque Episcopi deesse potuerint, qui eos fegerent
 & docerent (nam & ipse Irenæus, qui hæc scripsit, erat Epi-
 scopus Lugdunensis) nec aut Ecclesia Taraconensis in Hi-
 spanijs, aut Arelatensis & Parisiorum in Gallijs, aut etiam
 Treuirensis Episcopali sede carebat; necesse est Lucium
 Britannię regem non ideò suscipiendi baptismi auctorita-
 tem ab Eleutherio Pōtifice Romano petisse, quod alium
 viciniorem Episcopum nullum sciret, quinimò verissimi-
 le est nec in Britannia defuisse Episcopum, aut saltem Pres-
 byterum, qui regem baptizaret. Neque verò credendum
 est, aut Iosephū ab Arimathia, aut pastores, qui eum secuti
 sunt, Christianam religionem in Britānijs ita fundasse, &
 stabiliuisse, vt neque Episcopum neque Presbyterum illis
 relinquerent, cum legamus Apostolos Paulum & Barna-
 bam singulis Ecclesijs per quas transierunt constituisse
 Presbyteros: itemq; Titum in Creta reliquisse, vt oppida-
 tim presbyteros cōstitueret: Et certè idem in Iosepho, qui
 & in

& in Paulo spiritus Dei erat, eiusdemq; Ecclesiæ membrā D
 eodem modo regebantur. Quid ergo est? utiq; pastores &
 doctores Ecclesiæ Britannicę cum viderent tantam Euan-
 gelij messem succrescere, & iā rex ipse in horreum Eccle-
 się intraturus esset, auctores eidem regi fuerunt, vt ab ipso
 visibilis Ecclesiæ primo pastore fidei Christianę rudimēta
 expeteret, quò fides maiore cum auctoritate in Britannijs
 propagaretur. Neq; enim antiqui Pastores Ecclesiarum se
 ipsos patiebantur magistros, atq; auctores doctrinę Chri-
 stianę haberi, sed ad Christum auctorem & ducem primū,
 Discipulosq; eius & Apostolos omnia referebant. Itaq; cū
 cathedra prima & singularis Romę à Iesu Christo per Apo-
 stolorum principem fixa esset, curarunt vt rex Lucius E
 inde potissimū suę initiationis robur acciperet.

Illud quidem luce meridiana clarius est, regem Lu-
 cium, qui non nisi ex mandato Romani Pontificis bap-
 tizari voluit, numquam existimasse se ipsum in Dei causis
 Romano Pontifice maiorem. Alioqui mandatum Papę
 baptismum solenni ritu accipiendum nequaquam implo-
 rasset. Qui verò ne baptizari quidem absque Pontificis
 iussu in animum induxit, quanto minus Episcopus Pāpa
 insciente aut inuito in regno suo auctoritate regia creas-
 set?

At enim Aclerus (qua est audacia) dicit, non Lucium mo-
 dō regem suscepisse in se omnem religionis curā, sed prę-
 terea Pontificem Eleutherium vt id faceret, ei auctorem
 extitisse. Itaque ipse Papę Eleutherij litteras hactenus
 inuisas & inauditas, nunc demum in lucem profert, quibus
 ait Pontificem his verbis Lucium Britannię regem salutaf-
 se. Suscepistis (inquit ad Lucium Eleutherius) nuper mi-
 seratione diuina in regno Britannię legem & fidem Chri-
 sti. habetis vos in regno vestro vtramque paginam: ex illis
 Dei gratia per cōsiliū regni vestri sume legem. Vicarius
 enim Dei estis in regno vestro, & quę sequuntur.

Primū quęro abste Aclere, vnde scias hanc esse Papę
 Eleutherij epistolam. Certē inter Pontificum decretales
 episto-

A Epistolas neq; ab Isidoro Hispalensi, neq; à Beda nostro,
 neq; à quoquam alio, qui Epistolas Pontificum collegerit,
 unquam relata fuit. Iam verò si tu etiam illas Epistolas, quę
 in tomis conciliorū extant, quę ab Isidoro & Beda laudan-
 tur, quę ab Iuone, Burchardo & Gratiano alijsq; scriptori-
 bus Ecclesiasticis passim celebrantur: tamen illorum Pon-
 tificum, quorum nomina præferunt, veras epistolas esse
 negare audes, quanto æquius est vt nos tibi negemus hanc
 esse Pontificis Eleutherij epistolam, cum ex maioribus
 aut nostris, aut tuis, nec vnum producere queas, qui eam
 audiuerit, aut legerit vnquam nedum approbarit? Dein-
 de quis tibi det eius ætatis, qua vixit Eleutherius, fuisse pul-
 chram illam numeri Enallogen, habetis vtramque pagi-
 nam, sume legem. Omitto similia quędam alia, quę in ea-
 dem epistola continentur. Id verò maximè omnium vr-
 geo: Etiam si hanc epistolam Pontificis Eleutherij esse
 concederem: non tamen inde apparet (vt tu dicebas) re-
 gem in se omnem religionis curam, omnemq; Ecclesiarū
 gubernationem suscepisse. Neque verò aut epistola hæc
 tale quippiam Lucio regi defert, aut si deferret, id regem
 suscepisse, vel ex eadem epistola, vel aliunde planum facis.
 Non enim omnia, quę nobis ab alio deferuntur, statim ne-
 cessariò nos accipimus. Nunc autem ne delatum quidem
 Lucio regi ab Eleutherio fuit quod tu eum suscepisse affir-
 mas. Nam quod Eleutherium scripsisse ais, Lucium regē
 C Vicarium Dei fuisse in regno suo; quid obsecro aliud tu pu-
 tas vicarium Dei, quàm Dei ministrum significare? Vica-
 rius enim Dei est, qui Dei vicem gerit, quam vtique gere-
 re est Dei ministrum esse. Nam siue res parua seu magna
 sit, quam in nomine Domini gerimus, eatenus quidem mi-
 nistros & vicarios Dei agimus, quatenus personam illius
 sustinemus. Minister autem Dei in regno suo etiam Ne-
 ro, etiam Diocletianus, etiam Iulianus Apostata fuit. De
 omnibus enim illis, atque etiam de ducibus quos illi mi-
 serunt Paulus dixit, Non frustra gladium portat, Dei enim
 minister est. Vt igitur Nero etiam si fuit Dei Vicarius in
 Rom. 13
 T t regno

regno suo; non tamen omnem religionis curam, non omnem Ecclesiarum gubernationem aut in se suscepit, aut etiam rectè atque ordine suscipere potuit. Sic ex eo quòd Papa Eleutherius regem Lucium Dei vicarium in regno suo vocasset, tu numquam rectè concluderis, quòd propterea Lucius omnem in se religionis curam, omnemque Ecclesiarum gubernationem rectè atque ordine suscepit. Præterea si Lucius rex, auctore Papa Eleutherio, curam omnem religionis in se suscepisset; nonne interim huius susceptionis auctoritas tota penès Pōtificem prius fuisset, quàm ille eam in Lucium regem transfuisset? Dices opinor Eleutherium Papam non tribuisse noui quicquam Lucio, sed tantum declarasse ea in causa iuris diuini veritatē. At ipsa illa declaratio si nullius auctoritatis est, quorsum à te profertur? Sin alicuius est roboris, vtique id saltem ex tua confessione ad Pontificis auctoritatem pertinet, vt declarat regibus Christianis quod illorum sit officium, quæ potestas. Rex igitur Lucius, qui hanc explicationem officij sui ab Eleutherio petijt, nec omnem religionis curam, nec omnem Ecclesiarum gubernationem in se suscepit. Nisi fortè declaratio sermonum Domini (vt rex Dauid ait) illuminat, & intellectum dat paruulis, nullo in numero abs te habeatur.

Psal. 118

Vide nunc Aclere quantum inter tuam & nostram assertionem interfit. Quicquid nos (quod ad rem gestam attinet) affirmamus, tu id ita gestum esse concedis, id solum negans quod ex eo nos illatum atque effectum cupimus. Cōcedis Lucium Britanniae regem cum alij viciniore Episcopi non deessent, petiuisse vt ex mandato Eleutherij Pontificis Romani Christianus fieret: Inde nos magna ratione adducti concludimus, Lucium regem agnouisse Pontificis Romani auctoritatem sua longè maiorem in rebus Ecclesiasticis. Quod posterius tu nobis non das. Tu verò ex altera parte dicis, Eleutherium Papam scripsisse regi Lucio, eum in regno suo esse Dei vicarium. Vnde colligis regem in suo regno etiam in rebus Ecclesiasticis quolibet

- A** bet Pontifice maiorem esse. Hic nos non solum dicimus te rectè nihil concludere, sed præterea id pro vero ante omnia ponere, quod nullo modo sciatur verum esse. An superiores in causa te ipso iudice non sumus? Nam & historia certa est, supra quam nos argumentationem nostram ædificamus, & ex eadē inferimus non modò probabilem, sed & claram & perspicuam conclusionem, quæ nobis etiã tacentibus se ipsam vltro patefacit. Quid enim certius quàm illud, qui auctoritatem rei gerendæ ab alio petit, maiorem se illum alium agnoscere & confiteri? Præterea tam fuit notum omnibus Christianis, atque ijs nominatim, qui Britanniam incolebant, Episcopos novos in locis nondum Christo subiectis, præcipuè ab Apostolica Sede Romana petendos & constituendos esse; vt venerabilis Beda refert S. Patritium à Domino missum quòd Euangelium in Hybernia prædicaret, venisse ad caput omnium Ecclesiarum Romam, vt accepta inde auctoritate prædicaret cum fiducia verbum Christi, quod etiam in Hybernia magno cum fructu fecit. hæc Beda. Nec multò postea Hyberniæ Episcopi ad Sedem Apostolicam scripserunt, quærentes quo pacto ij reconciliandi essent, qui Nestoriana hæresi fuerant infecti. Qua de causa Gregorius Magnus ad Quirinum & ceteros in Hyberniã Episcopos catholicos litteras dedit, quæ in registro ipsius adhuc extant lib. 9. indict. 4. ep. 61. Prosper etiam fidelissimus omnino historicus ait, Cælestinum Papam liberasse Britannias morbo hæresis Pelagianæ, quando quosdam inimicos gratiæ, solum suæ originis (idest regionem Britanniae vnde Pelagius ortus erat) occupantes etiam ab illo secreto exclusit Oceani, & ordinato Scotis Episcopo, dum Romanam insulam (idest Britanniam) studet seruare catholicam, fecit etiam Barbaram (idest Scotiam, nam Scoti paulò ante ex Hybernia in Britanniam transfuerant) Christianam. hæc Prosper. Ex cuius verbis perspicuè apparet Episcopum Romanum iam inde ab initio summam potestatem in Britannica Ecclesia exercuisse, siue priorem Ecclesiam oportebat in Britannia ser-

In e. lib.
rite sancti
Patri
tij.

In lib. cō
tra colla
torem.

uari catholicam, seu nouam apud Scotos erigi & fundari. **D**
 Non igitur (vt tu Aclere impudenter asseris) reges Britan-
 nici supremam semper Ecclesiasticæ disciplinæ auctorita-
 tem exercuerunt. Cum autem Saxones nondum Chri-
 stiani ad opem Britannis contra Pictos ferendam vocati
 Britāniam occupassent, Beatus Papa Gregorius (vt verbis
 Bedæ vtar in historia gentis Anglorum lib. 2. c. 1.) cum pri-
 mum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam
 dudum ad fidem veritatis esset Prælati Ecclesijs, Anglo-
 rum gentem eatenus Idolis mancipatam, Christi fecit Ec-
 clesiam. Gregorius verò cum Augustinum ad Anglos mi-
 sisset, isq; iam ab Ethelberto Cantij rege perbenignè acce-
 ptus Euangelij verbum disseminasset, adeo vt rex ipse fi- **E**
 dei sacramentum suscipere, num deinceps omnia regis
 arbitrio permisit? aut rex Ethelbertus (quod Aclerus as-
 serit) supremam Ecclesiasticę disciplinę auctoritatem exer-
 cuit? Nihil minus ipsum Gregorium huius rei locupletis-
 simum testem audiamus. Cum enim quid Augustinus fe-
 cerat, accepisset, ad eum scripsit in hæc verba: Per loca
 singula duodecim Episcopos ordines, quatenus Londinē-
 sis ciuitatis Episcopus honoris pallium ab hac Apostolica
 Sede percipiat. Eboracensis quoque Episcopus duode-
 cim Episcopos ordinet, & Metropolitanam honore perfrua-
 tur. Sed tua fraternitas Britannia sacerdotes habeat su- **F**
 biectos. hæc Gregorius. Vides iam supremam Ecclesia-
 sticę disciplinę auctoritatem in Britannia fuisse penès Au-
 gustinum Anglorum Apostolum, quem Pontifex Ro-
 manus etiam Archiepiscopis ipsis præfuit, & non penès re-
 gem Ethelbertum etiam si esset Christianus.

Li. 3. c. 25

Refert autem Beda contententibus de Paschæ referua-
 tione hinc Colmanno, inde Vuilfrido, cum ille Ioannis
 Apostoli, & patris Columbæ, hic autem Petri & Pauli
 traditionē vrgeret, dixisse Vuilfridū: Et si sanctus erat Co-
 lumba vester & Christi erat, nū præferri potuit Beatissimo
 Apostolorum Principi, cui Dominus ait, Tu es Petrus &
 super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ **inferi**

Mat. 16.

A inferi non præualebunt aduersus eam, & tibi dabo clauas
 regni Cælorum? Hęc perorante Vuilfrido, rex Saxonum
 Osiri dixit: An vtriq; vestrum in hoc cōsentiant, quòd hæc
 principaliter Petro dicta, & ei clauas regni cælorum sint
 datae à Domino? Responderunt etiam, vtriq;. At ille ita cō-
 cludit: Et ego vobis dico, quia hic est ostiarius ille, cui ego
 contradicere nolo. sed in quantum noui & valeo huius cu-
 pio in omnibus obedire statutis. Audi Aclere, Britānicus
 rex Petri & successorum eius (nam de his agebatur) statutis
 obedire cupit, idq; in omnibus tantum abest vt sibi supre-
 mam Ecclesiasticę disciplinę auctoritatē sumat. Beda uerò
 adiungit paulò post de eodem rege, Osiri veraciter intelle-
 xerat, quia Romana esset catholica & Apostolica Ecclesia. **B**
 Vnde tam ipse, q̄ Egbertus Cantianorū rex Vuigardū Ro-
 mā miserunt, vt accepto gradu Archiepiscopatus, Catholi-
 cis Anglorū Ecclesijs per omnē Britanniam ordinare pos-
 sit Antistites. hæc Beda. Quo etiam narrante didicimus
 quòd Vuilfridus Nordantrumborū Episcopus cum regnā-
 te Egfrido pulsus esset episcopatu, Romā iuit, vbi causa co-
 gnita dimissus est cum hoc elogio.

Vuilfridus Eboracensis Apostolicam Sedem de sua cau-
 sa appellans & absolutus, & cum alijs Episcopis centum
 viginti quinque in Synodo, in iudicij sede constitutus pro
 omni Aquilonari parte Britannia, & Hybernica insulis, fi-
 dem catholicam confessus est. Cumq; iterum à rege Al-
 frido pelleretur Episcopatu; scriptum est ab Apostolico
 Papa Ioanne ad reges Edilfredum & Alfridum, vt eum in
 Episcopatum suum facerent recipi. hæc Beda.

Cum igitur Episcopi Anglorum à regibus ipsis ad Pon-
 tificem Romanum appellationes interponerent, & causæ
 aliter Romæ quàm in Anglia decise nō secundum Angli-
 canæ, sed secundum Romanę Ecclesiæ sententiā, vim ob-
 tinerent; numquid tamen dices, Britannia reges supremā
 Ecclesiasticę disciplinę auctoritatem semper exercuisse?
 Ita ne? An supremam vocas auctoritatem, qua superior
 alia est? aut superior illa non est ad quā fit appellatio? Quid

hic

hic aliud dices Aclere? nisi te adulatum esse reginæ tuæ, vt dum malè de veritate Dei mereris, interim tibi benè à regina tua fieret?

Quid querimus? vtrū verisimile est illos reges Angliæ, qui regnum suum terrenum Pontifici Romano in honorè diui Petri vectigale fecerunt, spiritalem eiusdem regni gubernationem eidem Pontifici denegasse? Iuas occidentalium Saxonum rex singulos argenteos nūmos in singulas domos Pontifici Romano quotannis persoluendos primus regū Angliæ curauit, circiter annum Domini Septingentesimū & quadragesimū. quod tributum cum denarij S. Petri vocaretur, vsque ad memoriam nostram perseuerauit. Cum autem quo tempore Iuas occidentalium rex illud suum regnum sedi Romanæ tributarium fecit, septem aut octo regna in Anglia essent; miro Dei consilio factum est, vt illud regnum, quod Ecclesiæ Romanæ se ipsum primò subiecerat, cetera omnia in suam potestatem redigeret. Ac ne quis frustra hoc à me dictum existimet, is animaduertat Egbertum eiusdem occidentalis regni successorem, cum regna quatuor hoc est, Mercios, Cantianos, Northumbros, & orientales Saxones circiter annum Domini Octingentesimum & trigésimum subiugasset, primū imposuisse nomen Angliæ omnibus illis regionibus, quas Picti & Scoti non occupassent: deinde filium eius Ethenolphum cum voti causa Romam iuisset, eam quoque infulæ partem quam pater suus nuper ad regnum adiūxerat, vectigalem Pontifici Romano fecisse, vt ita & principium quo Iuas id inchoauit, & medium quo Egbertus in eodem opere progressus est, & finis quo Ethenolphus iam idem consūmat, fidem faciant, tum Angliæ regnū Ecclesiæ Romanæ tributarium à prima origine sua fuisse, tum id regnū quod se Romano Pontifici prius subiecit, præ ceteris omnibus vincere, stare, florere, & maximè diuturnū esse. Neque mirum. Quemadmodum enim benè homini est, si corpus suum spiritui pareat: sic & res corporeas, earumq; gubernatorem, optimo loco esse constat, quando ei subest, qui

A qui summam potestatem in animam tenet.

Ceterum vt eo redeamus vnde primū digressi sumus, si reges Angliæ etiam terrena sua bona in honorem B. Petri sacre Sedi Apostolicæ dedicarūt; quis dubitet, quin multo magis agnouerint Ecclesiam Romanam in omni iurisdictione spiritali, & Ecclesiastica se ipsis maiorem & superiorem existere? Sed quid argumentor? Nonne cum apud Anglos ob Episcoporum paucitatē, & incuriam Christiana pietas frigeret, Ioannes Papa decimus Edouardum regem tamquam ouem suam admonuit? Porro cum eius rei culpa non in rege tantum, sed etiam in Archiepiscopo Cantuariensi hæreret, Archiepiscopus cum Episcopos in synodo prouinciali substituisset, negligentiamque suam emendasset, postea non apud regem causam dixit, sed sui purgandi causa Romam est profectus, vt scias penès Romanum Pontificem tunc fuisse supremam Ecclesiasticę disciplinæ auctoritatem.

Præterea cum Presbyteri sæculares sub rege Edgardo parum castè in Ecclesijs suis viuerent, vtrum eius rei cognitio & emendatio à rege suscepta est? Imò rex Edgarus Papam Ioannem Decimū tertium rogauit, vt sanctissimis Episcopis Etheluardo Vintoniensi, Dumsano Vegoricensi, & Osualdo Eboracensi liceret eiectis ex Ecclesijs cathedralibus Canonicis sæcularibus monachos Apostolica auctoritate surrogare? Quomodo igitur penès regem suprema Ecclesiasticę disciplinæ auctoritas fuit, si is quod in moribus clericorum castigandis valde fieri cupiebat, non ipse facere ausus est, verum Pontifici Romano, vt id faceret, supplicauit.

Sanctus verò Edouardus Christi non minus vita quam fide cōfessor ad Nicolā Papam scripsit his verbis, vti Abredus & ipse multis ab hinc sæculis florens in vita eiusdem Edouardi attestatur. Summo vniuersalis Ecclesię Patri Nicolao, Edouardus gratia Dei Anglorum rex debitam & subiectionem & obedientiam. Iustum iudicamus apud vos velut ad solidam petram acuere, & probare omnes bonas

bonas actiones nostras, quatenus eas donationes & priuilegia quæ obtinimus apud prædecesorem vestrum, renouetis & augeatis nobis. Ego quoque pro modulo meo augeo & cōfirmo donationes & cōsuetudines pecuniarum, quas habet S. Petrus in Anglia, & quæ sequuntur. Mihi certè in hac causa ad audaciam Acleri contundendam satis iam dictum esse videretur, nisi quod ipse nescio quid falsi de his etiam regibus, qui ex gente Normannię in Anglia regnarunt, commentus videtur?

Cum ergo Guilielmus Normannię Dux Edouardo regi ad regnum Anglię recuperandum suppetias tulisset, ob eamque causam Edouardus Guilielmo fidem dedisset, si absq; liberis moreretur, Guilielmum ei esse in regno Anglię successurum: mortuoq; sine liberis Edouardo, Haraldus regnum occupasset, nec aut Guilielmo cederet, aut filiam eius in vxorem acciperet, aut post mortem suam Guilielmo succedendi potestatem faceret; Guilielmus Haroldo bellum inferens, victoriq; potitus, à Stigando Cantuarię Episcopo petijt, vt se inungeret, ac regio diadema te coronaret. Stigandus verò, qui eum velut tyrannum, & alieni iuris inuaforem habuit, id recusauit facere. Quis iam neget si Guilielmus rex putasset summam Ecclesię gubernandę auctoritatem penès se ipsum fuisse, quin Stigandum Archiepiscopum honore statim priuasset, præsertim cum ille non tantum esset homo sceleratus, verum etiam illegitimè sedem illam consecutus fuisset? At rex Catholicus probè sciens Episcopos in rebus diuinis minime sibi esse subiectos, inunctionem ab Alredo Eboracēsi Archiepiscopo adeptus, qui (vt Guilielmus Nubrigenis refert) religiosus pro conseruanda Republica, tuendaq; Ecclesiastica disciplina sacramentis regem astringit; non ita multo post ab Alexandro Pontifice Romano petijt, vt legatos in Angliam mitteret ad constituendum rei Ecclesiasticę statum. Missi duo Cardinales causa cognita Stigandum Cantauriensē Archiepiscopum honore illo deiecerunt, quod à Benedicto Decimo, qui legitimus Papa nõ fuerat,

A fuerat, pallium accepisset. An istud est regem Anglię supremam Ecclesiasticę disciplinę auctoritatem exercere, vt primas Anglię in regno Anglię non à rege irato & infenso, verum à Pontifice Romano de sede sua deturbetur? Est sanè & illud animaduersione dignum, quod cum Stigandus in petitione quadam sua repullam passus regi comminaretur, rex ad pedes Episcopi procidit, veniam petijt, satisfactionem sponndit. Cumq; optimates, qui aderant, suaderent vt regem prostratum erigeret; finite, inquit Episcopus, illum iacere ad pedes Petri. Quanta est iam Acleri, & quàm effrenis impudentia, qui hunc regem ait supremam Ecclesiasticę disciplinę auctoritatem exercuisse? Guilielmus Rufus Anglię rex cum & Ecclesias vastaret, & Anselmum Cantauriensē Archiepiscopum in exilium ageret, primùm Vrbanus, deinde Paschalis Pontifices Romani regem admonuerunt, vt vitam in melius cōmutaret; quod cū nõ faceret, Deus vicarij sui causam ita est vltus, vt Guilielmus in venatione subitò perierit. Sub Henrico autem primo Guilielmi fratre, Paschalis Papa nouum episcopatum in Eliensi Diocesi institutum, auctoritate sua comprobauit. Itemq; Honorius Papa secundus Cardinalem quendam in Angliã misit, qui synodum indixit, vbi de moribus sacerdotum tractabatur.

C Narrat præterea Polydorus, cum rex Henricus sua auctoritate Episcopos facere tentaret, Anselmum Cantuarię Archiepiscopum vsque eò se regi opposuisse, vt eius auctoritate commotus, rex spontè dixerit, se rem omnem controuersam ad Paschalem Romanum Pontificem relaturum, eiusq; decreto staturum, ac ad id maturè agendum missurum cum litteris legatos, qui primùm vt mos est, pollicerentur ipsum ferè ipsius Romani Pontificis dicto semper conuenienter audientem, deinde causam hanc agerēt. Similiter quo pro se quisque qui sacerdotia & dignitates cuiusmodi consecutus esset, res suas impigrè tueretur, omnibusq; qui ire vellent potestatem Romam pergendi se facturum promisit; quod & protinus fecit. Regij orato-

res profecti sunt, Herbetus Nordouicensis, & Robertus D
Lichefeldensis Episcopi, quos Henricus in consilio ha-
bebat: inde secutus est Anselmus, Girardus Eboracensis,
ac Guilielmus designatus Vintoniensis. Accepit eos Pa-
schalis Pontifex Romanus perbenignè, atque animo li-
benti audiuit; sed in primis summum habuit honorem An-
selmo, quippe cuius probitatem, modestiam, grauitatem
iam pridè nouerat. Legati functi primo legationis officio
proponūt causā ortæ cōtrouersię inter regē & Anselmū,
eāq; acriter defendūt. Cōtra Anselmus & ceteri æquis ra-
tionibus vt iniquā confutāt. Quare Pōtifex cū illud quoq;
Pōtificio iure cōstitutū sit, ratam non esse adepti sacerdotij
possessionē quā Episcopus nō dedisset, mandauit, vt in po- E
sterū tempus neq; rex, neq; quisquā alius, eiusmodi sibi
esse contenderet, sed Episcopos antea factos confirma-
uit, ne illud seminarium foret discordiarum si repudiasset.
Ita re peracta legatos dimisit, Girardum verò Archiepi-
scopum Eboracensem pallio donauit; qui paulò post in
Angliam reuersi Pontificis decretum regi renuntiauerūt.
Ille qui à malis sacerdotibus subornatus iudicauerat sacer-
dotalem ordinem esse debilitandum, nec libenter id audi-
uit, nec prius manum abstinuit, quàm multis Anselmi cū
precibus, tum rationibus victus, ad extremum grauatissi-
mè Apostolicum præscriptum admiserit. Vide iam Aclere, F
quantum Pontifici Romano rex Anglię detulerit, qui
& iudicem illum suę causę constituit, & sententię Pontifi-
cis quamuis grauatę, tamen paruit.

Nota.

Nota.

Polydo-
rus li. 12

Stephano autem primo ad Anglicani regni gubernacu-
la sedente, quamuis Guilielmus quidam & Stephani regis
propinquus fuisset, & Archiepiscopus Eboracensis electus
esset; tamen Henricus Murdanus etiam inuito rege ab Eu-
genio Papa episcopatum adeptus est; tanto superior fuit
Papę quàm regis in Ecclesiastica iurisdictione auctoritas.
Hoc eodem Principe regnante in solenni ciuium conuen-
tu apud Anglos constitutum est, vt qui sacris initiatos per-
cussisset, à solo Papa reconciliari posset. Vbi ergo iā erat
suprema

A suprema illa regis Anglicani in Ecclesiastica disciplina au-
ctoritas? Henricus autem rex eius nominis secundus, cū
Thomam Beckettum Cantuariensem Archiepiscopum à
suis occisum videret, legatos Romam misit, qui & facinus
purgarent, & iudices in reum dandos peterent.

Duo Cardinales causa cognita, eam regi pœnam indi-
xerunt, vt ducentos milites in Hierosolymitani belli præ-
sidium statim conscriberet. ipse autem intra trienniū vnā
cū reliquis Principibus Christianis exercitū eò duceret.
conditionem rex accepit. An adhuc tibi, Aclere, non vi-
detur Anglię rex Pontificem se ipso maiorem etiam in
suo regno agnouisse? Quinimò idem rex Henricus exer-

B citu in Hyberniam ducto, Regulisq; deditioem facienti-
bus, cum audisset illius insulæ Imperium iam inde ab ac-
pta primū Christi fide in primis penès Pontificem Ro-
manum fuisse; nec sibi sumpsit vt se regem Hybernix scri-
beret, & ipsum domini Hybernix titulum, quo ceteri de-
inceps utebantur, non nisi ab Alexandro Papa, vel vt qui-
dā ab Hadriano Quarto accepit; & postea cum inter Can-
tuariensem & Eboracensem Archiepiscopos controuer-
sia orta esset, non eam rex diiudicauit, sed ab Hugone Ro-
mani Pontificis legato eam decidi passus est. Richardus
verò Henrici filius, vt pœnitentiam à Romano Pontifice
patri suo indictam, pius filius impleret, exercitum Hiero-
C solymam duxit.

Ioannes autem rex, qui Arthuro fratris Ricardi filio eie-
cto, regnum Anglię occupauerat, quamuis molestissimè
ferret Stephanum Langtonum Cardinalem se inuito Cā-
tuariensem Archiepiscopum à Pontifice Romano creati:
tamen cum Philippus Gallix rex ad tuendam Pontificis
maiestatem cum exercitu in Angliam nauigaret, Ioannes
Anglię rex diadema capiti suo ademptum, Pandulpho Pa-
pæ legato tradit, seq; ad Stephani Cātuariensis pedes abij-
cit, facultates quas à monarchis abstulerat, reddit; deniq;
non ita multo post bello à suis petitus, & iureiurando se
abstringens quāsdam leges populo concessurum; ne id fa-

ceret Innocentio Papæ supplex fit, vt ea quæ velut metu D
coactus promississet, irrita esse iubeat; tam longè ab eo
aberat, vt sibi supremam Ecclesiasticę disciplinę auctori-
tatem arrogaret. Henrico autem tertio regnante Otho Car-
dinalis in Angliam ab Honorio tertio missus in Sacerdo-
tium conuentu decimas beneficiorum Ecclesiasticorum
ad bellum contra Saracenos gerendum, imperat.

Edouardus rex, vt à Clero pecuniam facilius obtineret,
sacerdotibus Anglicanis promittit se curaturum, vt quos
ipsi Episcopos delegissent, iisdē Pontifex Romanus assen-
tiretur: ceterum nisi Episcoporum confirmationem iure
ad Episcopum Romanum spectare cognouisset, satis erat
vt rex promississet, se ipsum electioni eorum assensurum. E

Nam quod obijcere nobis soletis, legem ab eodem Edo-
uardo rege latam, ne cui liceret à Romano Pontifice
sacerdotia impetrare, vel causas ad eum nisi per appella-
tionem deferre, facilis est responsio. Qui enim rex vltimā
appellationem ad Pontificem fieri permittit, Primatum
eius agnoscit & confitetur; tantum abest, vt se ipsum in
causis Ecclesiasticis Pontifice maiorem asseueret. De re-
liquo autem fuerit ne lex illa penitus iniusta, an non alte-
rius disputationis est locus. Certè (quod ad præsentem cau-
sam satis est) Romani Pontificis primatum non sustulit.

Richardus verò secundus in Urbani sexti defensionem
contra Clementis septimi Antipapæ tyrannidem equitū F
duo, peditum verò quindecim millia conscripsit.

Regnante autem Henrico sexto, cum eatenus Ebo-
racensis Archiepiscopus in Episcopos Scotië ius primatis
ex D. Gregorij Magni donatione & Alexandri tertij ap-
probatione, qui etiam Orchades eiusdem primatui subie-
cit, obtinuisset, Sixtus Papa quartus à Iacobo rege Scoto-
rum certior factus Episcopos Scotië Primatem suum Ebo-
racensem ob assidua inter Anglos & Scotos bella, consu-
lere non posse, Episcopū S. Andreæ Primatem constituit,
cui subiecit duodecim Scotië Episcopos.

De temporibus autem Henrici septimi quid dicā? Non

A ne tu ipse fateris Aclere, illum à Pontifice Romano veniā
Ecclesiasticę legis petiisse, quæ fratris demortui vxorem à
fratre superstite duci vetabat?

Henricus autem Octauus initio regni sui parum arbi-
tratus maiorum suorum vestigijs insistere, sedemq; Apo-
stolicam patrio atque auito more obseruare, etiam libro
in Lutherum hæresiarcham conscripto, his verbis, Pri-
matum sedis Apostolicę asserit: Negare Lutherus non
potest, quin omnino Ecclesia fidelium sacrosanctam se-
dem Romanam, velut matrem primatemq; recognoscat,
ac reueretur. Quin Græciam ipsam reperiemus, præter-
quam dum schismate laborabat, Ecclesię Romanæ ces-
sisse. hęc Henricus. Quæ cum ita sint, non insigniter
B frontem perfricisti Aclere, cum diceres Britannicos re-
ges supremam semper Ecclesiasticę disciplinę auctori-
tatem exercuisse?

Quod si dicas, Henricum Octauum suam de primatu
sententiam postea mutasse. Equidem concedo, sed mu-
tauit etiam fidem suam, imò & fidem maiorum suorum,
quam & illi iam inde à Lucio primo Christiano Britan-
norum rege semper tenuerunt, & ipse vsque ad vigesimū
tertium regni sui annum obseruauerat; quo anno vxorem
quoque mutauit, pro Catharina, Annam Bulenam; pro
prima & legitima adhuc viuente, secundam & eam illegi-
C timam; pro Catholica, hæreticam; pro casta, adulteram,
imò & incestam sibi assumens; adeò vt ipse Annam Bule-
nam ob adulterium & incestum, securi percusse-
rit. Hoc igitur anno si priorem suam de Prima-

tu sententiam mutauit, parum miror;

quin potius multum mirarer, si dere-

lictus à Deo, qui cathedram

Petri Romæ fixit, Dei

Vicarium non de-

reliquisset.

Henricus
in lib. de
septē sa-
cramen-
tis.

1990

1990

1990

Tam Romanus, quàm alij maiores Episcopi cum ampliore quadam potestate ad Ecclesias maiorum ciuitatum regendas missi sunt, non item ab eisdem ciuitatibus acceperunt ut solito maiores fierent.

Cap. V I I.

*Obiectio
Romana
narchia.
l. i. c. 12.*



X ciuili potestatis sublimitate, secundum locorum dignitates, inquit Aclerus, Patriarchæ, Metropolitæ, & Episcopatus fuerunt maiores inter se & illustiores. Vnde ex imperij, quod Romani ante Petrum acquisiissent, magnitudine sedis Romanæ primatus primùm exorsus est. hæc Aclerus.

Confutatio.

Luc. 1.

Ioan. 18.

Matt. 10.

Cyprianus.

*Obiectio
Dist. 80.*

Cap. 1.

Ab sit, Aclere, ut rerum Ecclesiasticarum ordo, & dignitas ab Imperio & statu sæculari aliquando pependisset. Hoc enim esset Ecclesiam Dei, quæ regnū Christi est, ciuili potestati & legibus mundi subijcere, cum tamen regnum Christi non sit de hoc mundo, sed de cælo. Nam si Petrus ideo primus Apostolorum fuit, quod Romæ, ubi caput Imperij erat, sedisset, primatum suum non Christo, sed Iulio Cæsari acceptum tulisset. Sin Petrus à Christo primus Apostolorum factus est; Episcopi autem Romani non nisi Petrum auctorem & verè habent & præferunt, quomodo Romanæ sedis primatus ex Imperij Romani magnitudine primùm exorsus dicitur. Cum vacaret sedes Romana propter mortem Fabiani Pontificis Romani; Cyprianus dixit Petri locum & gradum cathedræ sacerdotalis vacasse. Nec aliud doctissima vniuersalis Ecclesiæ antiquitas vnquam sensit.

At Gratianus, inquit Aclerus, ex Pontificum Romanorum præscriptis demonstrat, Patriarchas primùm in nobilioribus ciuitatibus, deinde in aliis Metropolitos, ac demùm in minoribus Episcopos fuisse collocatos: ac simile quid in synodo Taurinensi constitutum est optimè. Quis hæc negat?

A negat? Sed non ne vides, Aclere, aliud esse iuxta locorum dignitates (ut tu falsò dicis) maiores illustioresq; fuisse Episcopos; & aliud maiores atque illustiores Episcopos (ut Gratianus rectè dicit) in maioribus ciuitatibus esse collocatos? Tu enim Episcoporum maiorem auctoritatem locis, quibus præfunt, accepto fers: tamquam locus sæculi maior Episcopum efficiat maiorem.

At Gratianus docet Episcopum maioris auctoritatis ita datum esse loco maiori, ut interim Episcopi maioritas non à loco, sed à mittente fuerit, qui eum collocauit in loco maiore, ut non ex loco dignitatem acciperet, sed ut cum dignitate maiore ad locum maiorem accederet. Elias non ideo fuit maior propheta, quòd in Samaria decem tribuum metropoli prædicaret; sed ideo cum factus est à Deo tantus propheta, in Samariam missus est, ut maiore cum auctoritate in ipsa regis aula Dei verbum intonaret. Nec Petrum Roma fecit primum Apostolorum, sed Christus ideo Petrum iam ante principem Apostolorum factum, ad urbem Romam misit; ut prima in sæculo ciuitas à primo Christianæ Ecclesiæ Apostolo, citius ad fidem adduceretur. Christus enim cuius potestas à sæculo nulla ex parte pendebat, ita res suas moderabatur, ut statum sæculi à se ipso conditum non dissolueret, sed suauius ad suæ legis iugum accipiendum alliceret, atque inuitaret. Hinc persæpe accidit, ut maiores Episcopi darentur maioribus ciuitatibus; quorum tamen dignitas non debet amplitudini ciuitatum accepto referri. Nam & ipse Christus ad populum in toto terrarum orbe dignissimum missus est ad semen Abraham, ad oues, quæ perierant domus Israel, cuius erant eloquia Dei, & testamentum, & circumcisio, & sacrificia. Non tamen idem Christus ab illo Dei populo suam accepit auctoritatem, sed eam de cælo secum tulit.

Erras igitur toto cælo, Aclere, cum ais, primatum Romanæ Sedis ab Imperij Romani magnitudine exorsum esse. Tu sæcularis cum sis, omnem Ecclesiæ dignitatem à sæculo

ſæculo primùm exortam putas, vt videlicet tuę ſæcularis reginę cum quem falſò ſibi in Eccleſiam Chriſti vendicat, principatum, grauiter tutari videaris. Verùm Chriſtus nos docuit poteſtatem ſuam de cælo eſſe, non de hoc mundo. & quẽmadmodum ipſe à Patre miſſus eſt cum cæleſti poteſtate, ſic & Apoſtolos cum cæleſti poteſtate miſit in orbem terrarum, vt legatione fungeretur nõ pro Cęſare, ſed pro Chriſto, tamquam Deo exhortante per ipſos. Apoſtoli ſucceſſerunt Epiſcopi, quibuſcum docentibus & baptizantibus omnes gentes Chriſtus eſt omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.

Tam hi Epiſcopi mittuntur à Chriſto, & Chriſti miniſtris, non item à politicis magiſtratibus aut ciuitatibus. Preſunt illi quidem ciuitatibus, quæ Chriſtum colunt, ſed non fiunt in exercenda iuriſdictione ob id potentiores, quod magnarum ciuitatum Eccleſias adminiſtrant. Alioquin primas Anglię non Cantuarię, ſed Lõdini ſederet; Primas Scotię non apud S. Andream, ſed Edimburgi: Primas Hybernię non apud Armach, ſed Dublini: Primas Galliarum non Remis, ſed Pariſijs: Primas Germaniæ non Maguntię, ſed Viennæ: Primas Poloniæ non Gneſnæ, ſed Cracouię: Primas Luſitaniæ non Bracaræ, ſed Viſſiponię: Primas denique Hiſpaniarum non Toleti, ſed Madriti ſederet. Nunc autem cum tot regnorum tam illuſtria exempla tuam inſanam opinionem reſellant; quid tandem ſenſus in hac tua inepta enunciatione habuiſſe putandus eſt?

Obieſſio At in Synodo Conſtantinopolitana prima actum eſt, inquit Aclerus, vt illius ciuitatis Epiſcopus, poſt Romanũ Pontificem, proximo loco honoreque haberetur, quia Conſtantinopolis eſſet inſtar nouę Romę. hæc ille. An potuiſti, Aclere, quidquam in medium afferre, quod tuam ineptiam magis redargueret? Perpende primùm quòd inanis fuit tunc ille Conſtantinopolitani Epiſcopi conatus, eo quòd Epiſcopus Romanus (quod nec tu negas) ſuã illi decreto auctoritatem opponeret. Vnde etiam appa-

*Inepta
Acleri
colleſſio
in fine ca-
pituli ma-
niſeſtè ap-
parebit.*

ret

A ret quanta in illis adhuc antiquis ſæculis Romani Epiſcopi auctoritas fuerit, cum nihil eorum, quæ in Concilijs Oecumenicis gerebantur, firmum ratumue eſſet, cui Pontifex Romanus contradixiſſet. Nam & acta concilij Arimienſis propterea ſunt in irritum reuocata, quòd Liberius Pontifex Romanus ijs non aſſenſiſſet, cuius ſententia præ ceteris omnibus expectanda erat; Vt ſynodus nonaginta Epiſcoporum Romæ collecta ſcripſit ad Epiſcopos, qui erant in Illyrico. Et cum Iulius Papa intellexiſſet pseudoſynodum Antiochiæ contra Athanaſium fuiſſe celebratam, ſcripſit eos contra Eccleſiæ canones egiſſe, quòd illum ad concilium non vocaſſent, quippe cum canon Eccleſiaſticus (vt refert Socrates) vetet præter ſententiam Epiſcopi Romani concilia celebrari. Vnde & Leo Pontifex (qui poſt centum annos & amplius à ſecunda ſynodo celebrata floruit) de hoc Epiſcopi Conſtantinopolitani conatu ſcripſit in hæc verba: Fruſtra quorundam Epiſcoporum profertur cõſenſus, cui tot annorum ſeries negauit effectum. hæc Leo. Non igitur obtinuerat illis ſæculis Epiſcopus Conſtantinopolitanus, vt primas poſt Põtificem Romanum obtineret, etiam ſi quidam Epiſcopi in ſecunda Oecumenica ſynodo eum honorem illi detuliſſent. Itaque idem ipſum in ſynodo Chalcedonenſi iterum tentatum fuit, ſed fruſtra, cum Leo Pontifex refragaretur.

At Leonem, inquit Aclerus, qui ſuo loco Romæ integer, ac illeſus manebat, non aliud mouere potuit, quàm ambitio. hæc ille.

Obſecro te, quomodo cohæret hæc tua oratio? locus ſecundus Conſtantinopolitano poſt Romanum Pontificẽ oblatuſ, nihil nocuit Romani Pontificis primatui. Ergo cum Romanus Pontifex non aſſenſerit, vt ſecundus honoris locus Conſtantinopolitano daretur, ambitionis reus fuit. Illam enim ambitionis cauſam poſuiſti, quę maximè omnium Leonem Papam à crimine ambitionis immunitatem declarat. Si prima Synodus Conſtantinopolitana

X x

dediſſet

*Theodori
lib. 2.
c. 22.*

*Socrat.
li. 2. c. 11.
& 13.
Leo ad
Pulcher.
Auguſt.*

Cap. 12.

dedisset non secundum, sed primum honoris locum Episcopo Constantinopolitano; tunc si Pontifex Romanus ei decreto restitisset, poterat tibi, ac tui similibus videri ambitionis causa id fecisse, eo quod primus locus ipsi ablatu fuisset: at nunc Pontifex Romanus suo loco integer ac illæsus manebat. Nominatim enim cautum est, vt Episcopus Romanus omnium Episcoporum primus perseueraret, secundæ autem deferrentur Episcopo Constantinopolis. Nunc ergo cum Romanus Pontifex contradixerit ei decreto, quod honorem ipsius minimè lædebat, veritatis nō ambitionis causa cōtradixisse putari debet. Audi Aclere, cuius veritatis causa contradixit. Ipse enim Leo ita scribit: Consensiones Episcoporum, canonum apud Nicæam conditorū regulis repugnantes, vnita nobis cum vestræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apostoli generalis prorsus definitione casamus. Idem Leo ad ipsum Martianum Augustum scribens de eadem re, ait: Habeat, sicut optamus, Constantino politana ciuitas gloriam suam. Alia tamen ratio est rerum sæcularium, alia diuinarum: nec præter illam petram quam Dominus in fundamento posuit, stabilis erit vlla constructio. Satis sit prædicto Episcopo Constantinopolis Anatolio] quod vestræ pietatis auxilio, & mei fauoris assensu, Episcopatum tantæ vrbs obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem. hæc Leo. Duas igitur attulit rationes, ob quas noluit pati, vt Episcopus Constantinopolitanus secundo loco præsideret. Vnam, quod ea res Nicenæ synodi canonibus repugnaret: alteram, quod Ecclesia Constantinopolitana numquam hætenus fuisset sedibus Apostolicis ascripta, ne dum illis, quæ prius ita habitæ fuerāt, præferri debuit. Et nunc tu, Aclere, totum hoc ambitioni Leonis Papæ ascribis? Quo spiritu, quod in Christi nomine fiebat, tu ambitioni deputas, nisi quia ex illis es, qui opera Dei bona principi Dæmoniorum accepta ferētes in Spiritum sanctum peccabant?

At

A At videbat, inquis, Leo Constantinopolitanum Patriarcham contentum secundo loco non futurum, sed de primatu cum Pontifice Romano tandem aperte pugnaturū. In quo eum non fefellit opinio. Nam paulò post Ioannes Constantinopolitanus vniuersalem se Patriarcham edixit, cui summa contentione Gregorius Pius sanè Romanus Pontifex restitit. hæc Aclerus.

Quomodo euidebat Leo id futurum, quod & repugnabat ipsius decreti verbis (in quibus primæ Romani Pōtifici concedebantur, secundæ autem Constantinopolitano) nec vnquam postea secutum est? Nam Ioannes Constantinopolitanus Episcopus, qui se vniuersalem Patriarcham scripsit, vt cumque ambierit quod non licuit, numquam

B tamen ausus est de primatu palàm cum Romano Pontifice contendere; quinimò non solùm coram Deo protestatus est, se nihil vnquam proteruè contra Apostolicam Sedem agere, nec de illius, aut aliorum priuilegijs quicquam vsurpare. Hæc enim Ioannis verba in Pelagij Pontificis epistola extant. Et quilibet sanè Constantinopolitanus Episcopus primas concedebat Romano Episcopo, quod ipsum B. Gregorius attestatur his verbis: De Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt, quis eam dubitet Sedi Apostolicæ esse subiectam? Quod & Dominus pijsimus Imperator, & frater noster Eusebius eiusdem ciuitatis Episcopus assiduè profitentur. Et epistola sequente: In quodam crimine Byzantenus primas fuerat accusatus. Nam

C quod idem primas se dicit Sedi Apostolicæ subijci, si qua culpa in Episcopis inuenitur, nescio quis ei Episcopus subiectus non sit. hæc Gregorius. Nec enim rectè concluderis omnem qui se vniuersalem Patriarcham scribit, continuò velle Episcopo Romano equari, ac neque ipse Constantinopolitanus hoc præ se ferebat. Ille quidem volebat nemini præterquam primo Episcopo subesse, cū Romanus Pontifex etiam secundo ac tertio eum subijci voluisset. Nam secundum synodi Nicenæ regulas, secunda sedes fuit Alexadrina, tertia verò Antiochena. Tu dicis

Obiectio

Responsio.

In epist. Pelagij.

Greg. II. 7. ep. 63.

Li. 7. ep. 64.

Dicit se subiectum.

Can. 6.

c. 12.

D Constantinopolitanum Patriarchā voluisse episcopatus sui fines cum Imperij finibus dilatare. Quod quamquam verum fortè non fuerit, tamen demus ita se habuisse. An hoc est cum Pontifice Romano de primatu contendere? Nihil minus. Latius enim semper Pontificis Romani potestas, quàm Imperij fines patuerunt. Nihil tunc erat negotij Augusto Mauritio cum Anglis, nihil cum Scotis, nihil cum Hybernis, nihil cum Hispanis: at Gregorius Pontifex Romanus, qui eodem tempore vixit, Augustinum constituit Anglis nuper ad fidem conuersis Episcopum, imò primatem his verbis: Augustino Episcopo Anglo-

E Lib. 12. ep. 15. Eboracē
 hanc Apostolica Sede percipiat. Eboracensis quoq; Episcopus duodecim Episcopos ordinet, & Metropolitanus honore pefruatur; sed tua fraternitas omnes Britanniae sacerdotes habeat subditos. Hæc Gregorius de Britannis omnibus, hoc est tam de Anglis, quàm Scotis scripsit. Nā Scoti quibus (vt Prosper ait) Cælestinus Pontifex Romanus Palladium ordinauerat Episcopum, suberant adhuc Eboracensi Episcopo tamquam primati suo. Præterea cōstat Hispanias iam fuisse ab Imperatoris Mauritij potestate immunes, cum Gothis tunc paruerint; & tamen Gregorius Pontifex Romanus Ioannem defensorem in Hispanias misit, qui scribit se (vt in registro B. Gregorij habetur) ex deputatione & iussione Beatissimi atque Apostolici Domini sui Gregorij cognitorem inter Episcopos resedis-

Prosper
 in chron.

Lib. 11.
 ep. 13.

F Lib. 1. ep. 50. In custo-
 dia. qui superstitite Episcopo Innocente, contra canones in Ecclesia eius ordinari præsumpsit, ab omni Ecclesiastico ministerio repellatur, qui etiam in custodia habeatur, vel ad nos transmittatur. Episcopi verò, qui cum ordinauerunt, sex mēsis Dominici corporis & sanguinis communione priuati, agere pænitentiam decernantur in monasterio. hæc Gregorius. Ioannes autem defensor causa cognita sententiam in Episcopos reos tulit, in hæc verba: Me-

moratos

A moratos Episcopos in monasterium recipiendos ad agendam in tempus pænitentiam decerno. hæc ibi. Ep. 53.

Quid multis? Prosper in vniuersum scribit, Roma per Apostolici sacerdotij principatum, amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis. Quod idem carmine etiam cecinit: De voca-
 tione gen-
 tium lib.
 2. c. 16.

*Pestem subeuntem [vtiq; Pelagij] prima recidit
 Sedes Roma Petri: quæ Pastoralis honoris
 Facta caput mundo: quidquid non possidet armis,
 Religione tenet.*

B Cum igitur Episcopi Romani auctoritas, non Imperij Romani finibus contineretur, sed multò latius se extendere, etiam si Episcopus Constantinopolitanus voluisset cū Imperij finibus, sui episcopatus fines dilatare, ne sic quidem Romani Pontificis gloriam adæquasset.

At Gregorius Pius Romanus Pontifex Ioannis Constantinopolitani ambitioni restitit. Meritò sanè: Quia supra mensuram suam sese extendebat, qui ex alieno damno crescere optabat.

Obiectio
 Concessio

Verùm Gregorius, inquis, non eam sibi auctoritatem vendicabat, sed tãquam impiam & scelestam, à quocumq; vsurpari prohibebat. Quam dicis auctoritatem? Aclere?

Obiectio

C Certum est Gregorium non sibi vendicasse vniuersalis Episcopi appellationem: quia ipse per vniuersalem nihil aliud intellexit, quàm eum qui solus in vniuerso mundo Episcopus esset. Nam vnus (Ruffino auctore) vel numero dicitur, vt vnus homo inter multos; vel vniuersitate, vt vnus sol, vel vnus Deus, tamquam vnus in vniuerso, qui propterea vnus dicitur, quod alius non sit. Iam cum vniuersalis ab vniuersitate appellationem sumpserit, rectè potuit D. Gregorius dicere, illum qui se vniuersalem Patriarcham scribebat, vi nominis ipsius dixisse quòd solus in tota rerum vniuersitate Episcopus, vel Patriarcha esset; qualem sanè auctoritatem Gregorius numquam sibi vendicauit. Ceterum si dicis, Aclere, Gregorium non sibi vendicasse

Quis sit
 vniuersa
 lis.

In Sym-
 bolo ad
 Laurent.

Lib. 11. dicasse primatum in tota militante Ecclesia, egregiè mentis: Ipse enim scribit in hæc verba: Sedes Apostolica caput omnium Ecclesiarum est. Et iterum: Sedem Apostolicam Deo auctore, cunctis prælatam constat Ecclesijs. **ep. 55.**
Lib. 2. c. 30. Et alibi: Omnes Episcopi sedi Apostolicæ subiecti sunt, si qua in eis culpa inuenitur. Denique: Romana, inquit, Ecclesia caput est omnium Ecclesiarum. hæc Gregorius. **ep. 64.**
In Psal. Penitential. 4. Quem si tu, Aclere, pium esse concedis, necesse est te impium agnoscas, qui quod ille scribit, oppugnas. Illam enim Apostolicam sedem, quam Gregorius vocat omnium Ecclesiarum caput, tu vocas Antichristi sedem, negasque omnium Ecclesiarum caput esse, & tamen tibi pius est Gregorius? Ergo tu tibi & impius.

Ad propositum primum. Ut autem ad id, quod huius disputationis caput fuit, redeamus; nulla ratione probas Episcoporum dignitatem ex Imperij aut politici status amplitudine exortam esse.

Nam quod in eius rei argumentum protulisti vel ex Gratiano, vel ex prima synodo Constantinopolitana, totum in contrarium valet: quia Gratianus dicit maiores Episcopos, in maioribus ciuitatibus collocatos, non autem ab eisdem urbibus accepisse ut maiores fierent: sicuti & maiores Angeli mittuntur ad maiores Prouincias tuendas, ad populum autem Dei propugnandum Michael Archangelus destinatur, neque tamen idcirco à prouinciis, quas custodiunt, ut maiores sint accipiant.

Dan. 19. Deinde synodi Constantinopolitanæ constitutio de Episcopi Constantinopolitani honore augendo irrita fuit ob auctoritatem Romani Pontificis Nicænæ synodi canonem propugnantis.

Tum autem in eadem Constantinopolitana synodo nominatim definitum est. Primatum penes Romanum Pontificem esse. Verum si episcopatus secundum locorum dignitates facti fuissent illustriores, iam oportebat primas non Romano Pontifici, sed Constantinopolitano tribui. Iam enim Constantinus Roma Byzantium discesserat: iam sedem Imperij aliò transtulerat: iam condiderat no-

uam

A uam Romam, in qua ipse & posterius eius regnarent. Vetus ergo Roma iam propè interitum erat. Quod cum ita esset, qui factum est, ut Constantinopolitanus nouæ Romæ Episcopus non etiam Episcopo veteris Romæ anteponeretur, si verum est quod Aclerus dicit, secundum locorum dignitatem episcopatus fieri maiores? Ibi enim Roma est ubi Cæsar agit. Cum verò contra videamus euenisse; ac ne ipsum quidem Constantinopolitanum episcopatum petere ausum esse, ut Romano Episcopo vel anteponeretur, vel etiam adæquaretur; non ne hinc necessariò efficitur, ut omnes omnino Patres agnouerint Romani Episcopi primatum non ex magnitudine Imperij exortum fuisse (alioqui eo Byzantium translato, etiam primatus ipse Byzantium translatus fuisset) verum ex iure diuino traxisse originem, in persona B. Petri ex Dei voluntate successorum suæ singularis cathedræ in Ecclesia Romana constituentis.

C Præterea si Episcoporum dignitas pendebat à loco; cur in concilio Episcoporum actum est, ut Constantinopolitanus secundas obtineret? Nam si ea res Concilij decreto indigebat, utique loci dignitas ad honorem & potestatem maiorem concedendam satis virium non habuit; idque re ipsa comprobatum est, cum Alexandrinus Episcopus locum secundum, & Antiochenus tertium multis postea sæculis conseruarint.

Postremò si Episcopus Romanus impediuit ne synodi Oecumenicæ decretum vim fortiretur, non ne maior fuit Episcopi Romani quam synodi generalis auctoritas etiam in illo antiquo sæculo, dum adhuc Basilius & Ambrosius florent? Pulchrè igitur causam tuam probasti nobis Aclere: tam pulchrè, ut non aliis mihi auctoritatibus ad te referendum opus fuerit, quam quas tu ipse protulisti. Nam quod dicis in Concilio Taurinensi constitutum, ut quæ in ciuili gubernatione primæ essent vrbes, in eis primatum ac Metropolitanarum locarentur sedes: etiam si omnia tibi vera esse concedam; non ne tamen vides primatum, & Me-

tropo-

Heb. 8.

Vide
 Ambro.
 in orat.
 de trad.
 basilicis.

6. Cap. 1

Apoc. 1. **t**ropolitarum sedes auctoritatem capere ab Episcopis & Conciliis, quæ eos locant, & non à locis in quibus locantur? loca ciuitatum velut candelabra quædam sunt, apta quidem in quibus candelæ cõstituantur. sed Episcopi sunt candelæ, quas candelabra neque collocant, neque accendunt, sed recipiunt & sustinent. Qui autem candelam in candelabro collocat, & accendit, Deus est per Pontifices ministros suos auctoritatem cuiq; pro mensura sua tribuens.

Matt. 5.

Matt. 24



E

DE CLAVE DAVID

LIBER SEXTVS.

Legi nature penitus aduersari, vt femina viris in rebus Ecclesiasticis præficiatur. Cap. I.

B



Tsi ex iis, quæ in superiori libro diximus, facile perspicitur, non reges tantum, sed etiam reginas nihil omnino iuris in causas Ecclesiasticas accepisse, tamen cum Angliæ regina Elizabetha, summam se Anglicanæ Ecclesiæ in omnibus causis Ecclesiasticis gubernatricem audacter inscribat, & vo-

C

cet; imò Catholicos omnes, qui hoc iurato affirmare noluerint, fortunis omnibus spoliet, in vincula ducat vita, & sepultura priuet, filiosq; eorum omni hæreditate exuat: operæ pretium me facturum putauit, si de horrendo isto feminarum in Ecclesijs dominatu ad infirmorum fratrum maiorem aut ædificationem, aut consolationem aliquanto diligentius disputarem.

Ac reges quidem à spiritualium rerum moderatione arcentur, quoniam ad hoc munus obeundum licet potuissent consecrari, tamen re ipsa consecrati non sunt.

Reginæ verò neque sunt ad eam rem consecratæ, neque etiam possunt consecrari. Nam ad res Dei moderandas consecrari, nihil est aliud quàm diuina electione & vocatione à ceteris hominibus segregari, & in ijs, quæ Dei sunt, velut mediatorem inter Deum & homines constitui, sicut scriptum est, legem ordinatam esse per Angelos in manu mediatoris, utiq; Moysis in figuram Christi.

nam verò mulieres ad hunc honorem, vt inter Deum & viros

2. Para. 26.

Heb. 5.

Act. 13.

Gal. 3.

Heb. 3.

& viros in Dei causis mediatrices fiant, assumi non possunt, propterea quod viri per immutabilem Dei legem in ipsa prima & intima hominum natura congenitam inter Deum & mulieres, velut mediatores interiecti sunt. Non solum enim Adam primum creatus est, deinde Eua, sed etiam mulier ex viro est & propter virum & gloria viri, sicut vir gloria Dei. Siue ergo initium conditæ, seu finem condendæ mulieris spectemus, utrobique vir inter Deum & ipsum interponitur. Ex Deo per virum processit, ad Deum adiuuando virum tendit. Quo igitur tempore Deus effecit, ut vir tam materiale quoddam initium formandæ mulieris, quam finis quidam medius esset, ob cuius adiutorium mulier crearetur; eodem ipso tempore hanc legem, quæ nunquam retractaretur in hominis natura constituit, ut inter Deum & mulierem vir in æternum velut sequester & mediator interponeretur; tantum labest, ut mulier nunquam possit proximè secundum ipsum Deum caput & gubernatrix virorum in causis Dei ab ipso Deo constitui: Hoc enim esset effecta suis causis, media suo tum principio tum fini, membra suo capiti, subditos suo regi, virum Christo, Christum Deo antepone. Sicut enim Deus Christi, sic & vir mulieris caput est, idque per diuinam legem, & eam non post creationem hominum disciplinæ causa adiectam & propositam, sed vnà cum ipsis hominibus congenitam & concreatam; ea videlicet conditione, ut quamdiu homines in rerum natura existerent, tamdiu vir & caput mulieris, & Deo propinquior esset, quam mulier: aliàs cum mulier per naturam gloria viri à Deo sit facta, si eadem caput viri ab eodem Deo immediatè in Dei causis constitueretur, iam mulier caput viri, & vir fieret gloria mulieris: membrorum enim est gloriam omnem capiti suo deferre. Vnde etiam si manus hostem prosterнат, tamen non manui, sed capiti corona imponitur. Ordo autem nature, quem summa Dei potentia & sapientia semel creauit, & eo consilio creauit, ut in æternum maneret, mutari ab eodem Deo in causis ipsius nunquam solet.

Non

A Non enim is est Deus, qui mutetur ut homo, aut qui dicatur aliquando sit, non putaram. Quod enim stabile ac firmum esse nollit, nunquam illud in hominum natura fixisset, verum ab eadem separasset, quod facillè factu Deo fuit: nunc autem quod naturale fecit, immutabile declarauit. Hinc David ait: Verbum Dei in cælo, id est mandatū illud, quo Deus cælum constituit, & disposuit, in æternum permanere. & mox; Fundasti, inquit, terram, & permanet. Ordinatione tua perseverat dies, quoniam omnia seruiunt tibi. Quin & apud Ieremiam Dominus ait, pactum quod ipse cum die & nocte iniit, non posse irritum fieri, quin sit dies & nox in tempore suo. Atque etiam cum Christus ipse in Euangelio quærit, nunquid homines de spinis colligant vvas, aut de tribulis ficus? Quid aliud significat, quam non mutari proprias arborum naturas, ut videlicet eadem arbor hoc anno producat vvas, alio ficus; sed vnàquamque secundum naturam ipsi ab initio constitutam, aut bonos fructus, aut malos producere, aut etiam sterilem esse? Nec idem fons, inquit Iacobus, aquam dulcem & amaram simul emittit. Si ergo per naturam ipsam, quæ vsque ad consummationem sæculi permanet, vir caput est mulieris; capitis autem sit reliquis membris præesse, & antecedere: nec fieri possit, ut pedibus capitis regendi potestas vsquam à Deo committatur, quin prius ipsa creatoris fabrica necessariò dissoluenda sit; profectò cum æterna Dei lege pugnat, ut mulier, cuius caput vir ab ipso Deo constitutus est, eidem viro in iis quæ Dei sunt, ab eodem Deo immediatè præponatur. Deus se ipsum negare, aut sibi ipsi in opere suo contradicere non potest, omnis homo poterit esse mendax: Deus autem verax est, atque adeo ipsa veritas. Ille autem quo tempore fecit virum per naturam caput mulieris, visus est dicere: Ego nunquam à me ipso immediatè constitutam mulierem viri caput.

Hic statim opponet se quispiam, & quæret: si hæc ita se habent, quo tadem iure mulier sæculi causas summa cum potestate administrat? Nam si vir per naturam caput est mu-

Yy 2

lieris

Psal. 118

Mat. 7.

Rom. 3.
Ioan. 14

Obiectio

lieris, vtique & semper & in omnibus causis, atque ideo **D**
etiam in sæculi causis caput mulieris est.

At inter catholicos omnes constat, mulierem in sæculi
causis uiro legitimè alicubi præesse. poterit igitur modus
Respõsio. aliquis excogitari, vt etiam in Dei causis mulier viro legi-
timè præsit? Ego sanè concedo secundum naturam virum
esse caput mulieris, etiam in sæculi causis; sed in illis qui-
dem caput liberum esse, non necessarium. Et ideo cogi nõ
posse, vt vel mulieris imperio in vlla re inuitus subijcia-
tur, vel Rem. publicam ipse administret, si non vult. Nam
vbicumque mulieres legitimè regnant, non nisi virorum
permisso regnant, adeo vt tã olim Romani & maxima Græ-
corum pars, quàm nuper Galli à toto regnandi iure mulie-
res in suis prouincijs excluderint. Nec in alijs ferè vllis
gentibus officia ciuilia & annuos magistratus aut olim
gesserunt, aut adhuc gerunt. Regiam verò dignitatem ob-
discordias & tumultus ciuiles euitandos, virorum consen-
su alicubi obtinent: ea tamen exceptione, vt si masculus
hæres extet, quamquam is natu minor fuerit, ferè in hære-
ditate adeunda feminis vbique præferatur. Quæ omnia
inducunt totum illum principatum, quem femine vllibi
administrent, non suo illas iure, verùm spontanea viro-
rum concessione adeptas esse; ac propterea alibi aliter, &
alicubi nõ omnino, & nullibi ferè præterquam ad maius
Gen. 1. malum euitandum regnare. Vir autem ab initio creatio-
nis suæ potestatem dominandi omnibus, quæ in terra sunt,
accepit, & eam non coactam, sed ad imaginem & simili-
tudinem Dei spontaneam & liberam, vt videlicet pro eo
ac ipsi liberet, huius sæculi rebus dominari posset, tantùm
vt ne violaret Dei legem. Deus autem non tulit legem
Mat. 19. vllam, quæ virum prohiberet se ipsum in sæculi causis mu-
lieri subijcere; nam si vir potest laudabiliter toti sæculo,
& omnibus quæ in eo sunt, ob amorē Dei renūtiare; quã-
to magis potest iuri suo in causis sæculi moderandis cedere?
Cum autem mulier ex virorum consensu in ijs rebus,
quæ virorum potestati subiectæ sunt, viris ipsis præficatur;

tunc

A tunc nec immediatè à Deo, nec in ijs, quæ Dei sunt, mu-
lier viris præficatur; & ideo nihil fit cõtra naturæ legem.
Manet enim adhuc vir caput mulieris, sed caput liberum,
quod per liberam potestatem suam tum rectè potuit in re-
bus humanis administrandis, tum re ipsa cessit iuri suo. Ce-
terum causæ Dei tum iuris aut potestatis humanæ nõ sunt
(alioqui non dicerentur causæ Dei) tum à solo Deo im-
mediatè instituuntur & ordinantur. Quæ autem à Deo per
interiectam virorum liberam potestatem ordinantur; ea
possunt aliter atque aliter disponi secundum naturam liberi ar-
bitrij, cui ea subiecit Deus. Verùm vbi nulla est humani ar-
bitrij potestas, ibi solus Dei ordo relinquitur obseruandus.

B Ille autem maximè omnium est Dei ordo, quem Deus
ab initio vnà cum ipsa hominis natura creauit & condidit.
Nam et si alium quoties voluerit instituere Deus possit,
non tamen alium eiusmodi (stante præsertim natura homi-
nis) qui primum ordinem in natura fundatum subuertat,
& destruat. Quamquam enim Deus liberè omnia, quæ ad
nos pertinent instituerit; tamen cum ijs, quæ semel crea-
uit, pactum quoddam (auctore Ieremia) inijt, vt naturam *Ier. 33.*
eorum numquam postea mutaret. Tot homines ab initio
mundi vsque ad hanc horam fecit Deus, & cuius eorum
pedes capiti suo vnquam præfecit? Si ergo res Dei perso-
lum Deum ordinantur, Dei autem ordo & certus & fir-
miter fundatus ac stabilitus sit, vt videlicet per naturam
C caput mulieris, mulier autem viri gloria existat: certum est *1. Cor. 11.*
in ijs, quæ solius Dei sunt, ordinem hunc Dei numquam
fore mutandum, sed virum semper mulieri præfuturum;
Nam in sæculi rebus si aliter aliquando accidit, hoc fit
non per immediatam Dei ordinationem, sed per virorum
spontaneam concessionem, quam in ijs, quæ hominum
sunt, Deus approbat & confirmat. Sed cum vnicus mo-
dus, quo mulier sæculi causas iure administrat, ille sit,
vt ex virorum consensu id faciat; ille autem modus
mulieri ad causas Dei administrandas minimè suffrage-
tur, quia Dei causæ non sunt omninò viris subiectæ, nec

per

D per eorum liberam voluntatem, sed solius Dei mandato disponuntur: nullus omnino modus superest quo mulier summam rerum diuinarum iurē administret. Non Dei ordo, quia is virum mulieri præfecit. Non hominū, quia in rebus Dei homines nihil pro suo arbitratu possunt cōstituire. Quæ autem causā magis Dei est, quā natura ipsa, quam ex nihilo creauit Deus? Illud enim verissimè negotium est Dei, quod solus potest facere Deus. Nam & si nihil omnino sine Deo fiat, tamen vbi ex voluntate Dei multę medię causę adhibentur, videtur etiam aliquid eisdem causis tribuendum. Sed in creatione rerum quid fuit quod Deo cooperaretur, aut subministraret? Itaque rerum creatio propriissimè opus & causa Dei est. **E** Cum ergo tam perspicuè constet Deum in ea causā, quæ maximè ipsius propria est, hunc ordinem instituisse, vt vir caput esset mulieris; nec eum ordinem immutabili decreto fixum Deus in suis negotijs vnquam mutet; quis dubitet, quin vir in omnibus Dei causis in æternum maneat caput mulieris, nec mulier vnquam possit viri caput in diuinis rebus administrandis fieri? Nam si hæc enuntiatio apud Deū certa est, ex mea institutione vir caput est mulieris; profecto ista numquam simul poterit vera esse, Non vir mulieris, sed mulier ex mea institutione caput est viri. Ambæ enim istę enuntiationes, cum simul verę esse non possint, ex eoque altera earum necessariò sit falsa; Deus verò qui **F** est ipsa veritas non possit auctor mendacij existere; efficitur vt propter ipsarum rerum inter se pugnam & contradictionem, numquam fieri queat, vt mulier in ijs, quę immediatè ab ipso Deo instituuntur (cuiusmodi sunt quę ad fidem Christi & cultum Dei pertinent) caput viri sit, aut summa gubernatrix.

Quòd si quis dicat, Deū posse viris saltem permittere, vt non minus in sacris, quā in profanis negotijs feminam sibi ipsis præficient; iste nihil dicit, nisi & illud addat, Deum posse etiam facere, vt viri non minus rerum sacram quā ciuiliū domini & moderatores liberi atque

A que absoluti sint. At hoc si fieret, illæ res sacrę non amplius essent sacrę, sed profanę. Sacrum enim est quod ad cultum Dei segregatum est, & hominum commercio exemptum. Ceterum si Deus res sacras hominum liberę voluntati & dominationi submitteret, iam non res Dei sed hominum, non segregatę sed cōmixtę, non sacrę sed profanę fierent. Quapropter si quis totam rem accuratè perspiciat & examinet, videbit vndique aditum administrandi res sacras feminis interclusum, vt nisi opus Dei negetur, tota que rerum vniuersitas dissoluatur, & nō solū nouus, verū & contrarius huic qui nunc est mundus instituat, nullo vnquam modo fieri possit, vt femine rerum Ecclesiasticarum summam ritè atque ordine administrent.

Mulieris in Ecclesiasticis rebus Primatum, non aliundè quā à Diabolo esse.

Ostendimus muliebrem in diuinis rebus primatum à Deo esse non posse. Vnde igitur esset nisi à Diabolo? Demon ille pessimus, qui ex eo quòd Deo aduersetur, Satan, hoc est aduersarius in scripturis appellatur, cum videret Deum distinxisse naturam humanā in masculum & feminam; masculum verò femine caput constituisse; non solū ipsam Dei creaturam, sed etiam ordinem creationis oppugnandum sibi statuens, id consilij ante omnia sumpsit, vt virum, quem Deus constituerat in caput, illum Diabolus in caudam conuerteret. Mulierem verò, quā Deus viro adiutricem & sociam dederat, Diabolus ei faceret magistrā. Itaque vt Deus primū formauit Adamum, deinde Euam; sic è contrario Diabolus primū Euam aggressus est, deinde Adamum. Vt Deus ex latere Adami produxit materiā carnis Euę; sic Diabolus velut ex latere peccantis Euę, produxit materiā peccati Adę. Occasio enim & velut materia, in qua peccatum Adę fundatū est, fuit latus, hoc est societas Euę. Noluit enim contrista-

re so-

Mat. 16.

Gen. 1.

Ephes. 5.

Genes. 2.

Gen. 3.

1. Tim. 2.

Gen. 3.

re sociam suam, & ideo de ligno prohibito vnā cum illa **D**
 comedit. Deus per costam Adami dedit Euę vnde esset;
 & Diabolus per costam Euę suppeditauit Adamo vnde
 peccaret. Cum Eua debuisset virum tamquam caput suū
 consuluisse antequam serpenti aurem præberet, Serpens
 fecit, vt vir antequam Deum caput suum consuleret, mu-
 lieris tentationi obediret. Ita factum est, vt cum ex lege
1. Cor. 11. Dei, Deus viri, vir autem mulieris caput existeret; ex Dia-
 boli fraude, mulier viri, Diabolus autem mulieris caput
 fieret. Atque hæc est prima origo muliebris primatus in
 causis diuinis. Cum enim Deus prohibuisset, ne ex ligno
 scientię boni & mali comederent, & propterea lignum
 illud, de quo Deus legem sanxerat, ad Dei causas iam per-
 tineret: mulier verò non solùm ipsa ex eo contra Dei legē
 comederit, sed & viro pomum porrexerit, vt ille etiam co-
 mederet; certū est mulierē in hac diuina causa primatum
Gen. 3. quēdam in virum sibi arrogasse, idq; ex Diaboli suggestio-
 ne fuisse. Meritò igitur dicimus muliebrem in diuinis cau-
 sis primatum à Diabolo institutum esse, vt certò sciant om-
 nes, qui sacris in causis feminam sibi ducem, & governa-
 tricem constituunt, se non Dei, sed Diaboli consilia sequi.
1. Tim. 2. Serpens enim astutia sua seduxit mulierem, & virum, qui
 adhæsit mulieri, captiuum simul adduxit. Etenim Adam
 potius est à muliere victus, quàm à serpente seductus. Mu-
 lier autem seducta in præuaricatione fuit. Muliebris ergo
 in causis diuinis primatus nihil est aliud, quàm legis diui-
 nę transgressio & præuaricatio.

Ex peccati originalis propagatione per vnum
 Adam facta, & vnum Christum expiata,
 constare, quòd mulier nec in ijs quę
 naturæ, nec in ijs quę gratiæ
 sunt principatum obti-
 nere possit.

Gen. 3. Quamquam Eua & prior peccasset, & occasionem pec-
 can-

A candi viro prior suggestisset, non tamen per illam, **Rom. 5.**
 sed per vnum Adam peccatum in hunc mundum in- **Act. 17.**
 trauit, & per peccatum mors, & in Adam (ait alibi Pau-
 lus) omnes moriuntur: idq; quia totum genus humanum
 in illo vno tamquam in capite & radice comprehendeba-
 tur. Nam radice infecta, necesse est omnes etiam ramos, **Rom. 11.**
 qui de radice participant, infici. Eua enim fuit ramus
 de radice, non ipsa generis humani radix. Adam verò
 fuit typus & forma Christi, vt Paulus ait. Hoc igitur est **Rom. 5.**
 Christus ex dono Dei in gratia in filios adoptionis diffun-
 denda, quod Adam fuit in peccato ad suos posteros trans-
 mittendo. Adam fuit vir vnus, & Christus est vir vnus.

B Adam peccatum transfudit seminando corruptionem in
 carne; & Christus gratiam communicauit seminando ius-
 titiam in spiritu. In peccato Adæ propagando soli viri
 principatum necessariò tenent: quia in illis solis princi-
 pium generandi existit. Eodem modo & in gratia Christi
 ministranda, soli viri tenent principatum, quia illis com-
 missum est, vt per Euangelium spirituales filios gignant. **1. Cor. 4.**
 Mulieres & in peccati & in gratiæ subministratione subij-
 ciuntur viris, tamquam terra, quæ semen seminantis agri-
 colæ fouet & conseruat. Nec vllò modo possunt semi-
 nantis locum obtinere, nisi naturæ ordo nefariè violetur,
 ac peruertatur. Ceterum si proximè secundum Deum ip-
 sū capita Ecclesiæ in eo regno essent, vbi sæculare imperiū
C administrant, etiam ibi principatum regenerandi tenerēt:
 quia dū ceteris, omnibus qui per Euāgelium filios Christo
 gignūt, in Christi personā imperāt, magis sibi sumūt, vt eo-
 dē filios Christo regenerēt, quàm illi ipsi viri, qui hoc opus
 tamquā subditi iam & instrumenta mulierum exequūtur.
 Quodlibet enim opus magis capiti præcipiēti, quàm mani-
 bus quæ id tractant meritò ascribitur. Si per vnū virum pec-
 cantem sexus virilis id dedecoris per corruptæ naturę pro-
 pagationem accepit, vt ad genus humanum peccato infi-
 ciendum solus dominaretur & potens foret; nonne mul-
 to magis per vnum peccati expiatorem Christum Iesum

sexus virilis id honoris accepisse credetur, vt ad genus humanum Deo reconciliandum solus præfesset ac præfideret? Nonne vt Adam ab initio in solo virili sexu totam naturam humanā & suscepit à Deo, & infecit à se ipso: sic etiam Christus in solo virili sexu totam naturam humanā & suscepit de Virgine & redemit in cruce? An mulier pro nobis, aut nata est de Spiritu sancto, aut semetipsam obtulit pro vita mundi?

Certè si femina sola vel ab initio peccasset, vel ad nos redimendos in carnem missa esset, tota natura humana nec peccato fuisset infecta, nec à peccato purgata: quoniam sexus posterior & imperfectior sexum perfectiorē & priorem in se minimè comprehendisset. Nunc autem vt mulier in viro continebatur, cū solus vir primū formaretur; sic & sexus muliebris in virili comprehensus intelligitur, cum solus vir nos redemit.

De latere viri dormientis sumpta est mulier, & inde virago dicta, quoniam de viro accepta est; & de latere Christi in cruce dormientis defluxit Ecclesia, cū latere eius aperto exiuit sanguis & aqua, vnde tam viri quàm mulieres in Christo regenerantur. Nam in Christo quo ad salutem suscipiendam non est masculus neque femina, secus verò quo ad salutis æternæ semen alijs administrandum. Solis enim viris dictū est, Sicut me misit pater, & ego mitto vos, ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Quorum peccata remiseritis, remittuntur eis.

Præterea si sola femina rebus Ecclesiasticis sub Christo alicubi præficeretur, maximū Christo dedecus ea res afferret; propterea quòd cum sponsa ipsius ex viris & mulieribus constet, sponsę suę latus eiusdem capiti præferretur. Mulier enim de latere viri est, vir autem caput mulieris. Deinde si Christo auctore id fieret, Christus sexum suum hoc est virilem & perfectum, imperfectiori sexui subiecisset, adeo vt verè dici posset non humanam naturam (quæ in solo viro integra exhibetur) sed vnā naturę humanę parti-

A particulam, & illam minus dignam perfectę atque integrę naturę humanę præfecisse. Quasi verò qui per solum digniorem virilem sexum nos redemit, iam redemptionis suę merita per alium quàm eundem virilem sexum nobis dispenset. Tum autem patris sui, atque adeo sui ipsius ordinem prius immobiliter fixum violasset. Nam per naturam vnā cum patre suo sexum virilem fecerat muliebris sexus caput. At Christus in Euangelio ait, Amen amen dico vobis, non potest filius à se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem. Quęcunque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quę ipse facit. Constat verò Patrem in homine fabricando ita virū mulieri prætulisse, vt mulier nec viri caput, nec ijs quę iuris naturę sunt, nec generandę proliis principium esse posset. Christus igitur, qui nihil nisi ad exemplum paterni operis facere potest, ita redemit & gubernat Ecclesiā, vt mulier nec virorum in rebus Ecclesiasticis caput, nec regeneratorem; fideiū suprema gubernatrix esse queat. Perfectior est & perfectius nos regit & propagat secundus homo cælestis, quam primus homo terrenus.

Filium Dei Christum Iesum iam inde ab initio instaurandi generis humani, legem ad nouum Testamentum propriè spectantem expressis verbis tulisse, Vt mulier in Ecclesia nunquam dominaretur; sed sub viri potestate ageret, ac Paulum Apostolum ita eam legem interpretari.

Deus videns totum genus humanum in vno Adamo cōprehendi, & ideo totum in vno illo perire, nec id aliam magis de causa, quàm quòd ordine Dei violato mulierem in adiutorium ipsius creatam, ille tamquam ducem sibi & magistrā constitutam secutus fuisset, atque hoc totum Diaboli astutia confectum esse: pro ineffabili misericordia &

Gal. 3.

Ioan. 20.

Mat. 28.

Gen. 2.

Ioan. 5.

Rom. 5.

Gen. 2.

iustitia sua huic morbo medicinam adhibuit salutarem, vt videlicet ordine quem ab initio constituerat, in integrum restituto, astutiam Diaboli sua sapientia confunderet.

Gen. 3. Diabolo igitur sub forma serpentis in verbo mendacij per suggestionem foris quidem, fructus pulchri, arboris pulchræ; intus autem superbix & inanis glorię, mulierem incautam & inobedientem supplantanti, opposuit filium suum vnigenitum, qui sub forma carnis humanę, in verbo veritatis Euangelicę, per susceptionem spontaneam foris quidem, mortis ignominiosissimę in arbore crucis ignominiosissima, intus autem solidissimę humilitatis & patientiæ, Ecclesiam suam fidei prudentia instructam, & charitatis obedientia confirmatam ad æternę vitę coronam certissimę perduceret. Atque hæc quidem est summa rei, quæ hoc ordine, quem nunc exponam, à Deo est inchoata.

Gen. 3. Primi parentes peccati sui iam conscij audiuerunt vocē Domini Dei deambulantis in Paradiso ad auram post meridiem. Quis est hic Domiuus Deus & sonum edens, & deambulans in Paradiso, & post meridiem deambulans? nisi filius Dei Christus Iesus sub finem sæculorum in terris visus, & cum hominibus conuersatus?

Christus autem non vt Diabolus fecerat, mulierem primum alloquutus est; sed Adam caput mulieris vocauit, dicens; Vbi es? Vt quē ordinem in creandis hominibus instituerat, eundem in iudicandis & redimendis obseruaret.

Gen. 3. Postquam autem Adam in mulierem; illa verò in serpentem culpæ originem contulisset, vbi Dominus caput serpentis per semen mulieris conterendum prædixisset, ad mulierem inter cetera Sub potestate, inquit, viri eris, & ipse dominator tui. Quam Domini sententiam ad statum redemptionis nostrę pertinere, & omnem sexum muliebrem à causis fidei & religionis Christianę moderandis in eternū repellere nunc ostendam. Principio certum est hanc sententiam ab ipso Dei filio, qui nos redemit, ferri. Quę enim alia ex sanctissimę Trinitatis personis in terra post meridiē ambulauit? Præterea pater non iudicat quemquam, sed

omne

A omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. Cum ergo genus quoddam iudicij hoc sit, vt mulier sub potestate viri agat, non patris sed filij iudicium est, cui pater omne iudicium dedit. Cum autem in hoc apparuerit filius Dei, vt dissoluat opera Diaboli; certum verò sit Diabolum id maximē contendisse, vt mulier in Dei causis minimē omnium sub viri potestate esset; relinquitur, vt cum Christus ad mulierem dixit, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui, de nulla re magis hanc legem tulerit, quàm de causis Dei. Vt hæc iam sit vera interpretatio verborum Christi, Tu ò mulier in ijs, quæ Dei sunt, maximē omnium sub viri potestate eris. Nam siue ista lex ad imbecillitatem mulieris adiuuandam, seu ad temeritatem puniendam feratur, vtroque modo ad religionis causas maximē spectat. Etenim si propterea iubetur sub viri potestate esse, quod prius suæ prudentiæ nimium confisa, inconsulto viro seducta fuit, nec deinceps in vlla re magis, quàm in fidei negotio cauere debeat, ne iterum seducatur; etiam in nulla magis quàm in religionis causa iubetur sub viri potestate esse. Nam in sæculi negotijs si errauerit, parui hoc momenti est, nec de bobus cura est Deo. At in Dei rebus omnis error perniciosus censerī debet.

C Quòd si per hanc sententiam poena tantum infertur mulieri; cum poena delicto respondeat, sicut mulier in Dei causa deliquit, cum legem eius absque viri consilio violauit; sic nunc in eo iustissimē punitur, vt in Dei causis nihil sponte sua, sed omnia ex viri præscripto facere iubeatur. Egregia scilicet & digna Domino sententia, vt cum mulier suo ingenio nitens non in aliqua sæculi, sed tantum in diuina causa deliquisset, nec in hominem, sed in Deum ipsum peccasset, nunc Deus censeatur eam viro subijcere in ijs tantum quæ sæculi sunt, & non multo magis in ijs quæ Dei. Quid querimus? Ipse Spiritus sanctus per os Apostoli, hanc legem ad Ecclesiam Christi referri debere indicauit. Mulieres, inquit, in Ecclesijs taceant. Non enim

per-

permittitur eis loqui, sed subditas esse sicut & lex dicit. Lex **D**
 verò quæ mulierem iubet subditam esse, hæc ipsa est, quam
 Christus in Paradiso tulit cū ad mulierem diceret, Sub po-
Gen. 3. testate viri eris, & ipse dominabitur tui. Quam legem Pau-
 lus non tam de rebus domesticis, quàm Ecclesiasticis latam
 esse docet. Nam sequitur apud Apostolum: Si quid volunt
1. Cor. 14 dicere, domi viros suos interrogent: Turpe est enim mu-
 lieri loqui in Ecclesia. Quòd si lex Christi, quæ iubet mu-
 lierem viro subditam esse, permittat mulieri virum suum
 domi interrogare; in Ecclesia verò idem non permittat,
 quia turpe est vt mulier in Ecclesia loquatur; sine contro-
 uersia lex illa Domini, qua mulier sub viri potestate iube-
 tur esse, auctore Apostolo, sic est ad litteram & secundum **E**
 historiam intelligenda, in rebus Ecclesiasticis potissimùm
Gen. 3. sub viri potestate eris, & in ijs quæ Dei sunt ipse tui maxi-
 mè dominabitur. Nam licèt etiam domi vir in omni re sit
 Dominus mulieris, tamen maior est dominatio, qua vir in
 mulierem in rebus Ecclesiasticis exercet; quia domi licet
 mulieri non obstante viri dominatione ipsum de rebus di-
 uinis interrogare, at in Ecclesijs non licet id facere, quia ibi
 audire tantùm, non etiam loqui debet. Quinimò in Ec-
 clesia debet in silentio audire cum omni subiectione, vt ali-
3. Tim. 2 bi Apostolus ait: Domi mulier est cum aliqua; sed in Ec-
 clesijs cum omni subiectione. Quid multis? Negotia hu-
 ius vitæ sunt ferè trium generum, naturalia, politica, diui-
F na. In ijs quæ iuris naturæ & diuina sunt, mulier sub viri po-
 testate cum omni subiectione degit, & ita degit, vt vir eam
 sibi præponere nullo modo possit. Neque verò potest vir
 facere vt mulier sit principium generandi, vel caput viri,
 vel dux verbi, vel moderatrix Ecclesiæ: quia hæc sunt à
 Deo statuta & fixa, nec viri arbitrio permessa. Verùm in
 ijs quæ politica sunt, cuius generis est domi quidem cibū
 feruis & ancillis pro arbitrato suo præbere, pecuniæ dispen-
 saticem, & œconomam esse, mercaturæ præfici, familiã
 duplicibus vestire; in regno autem quæ belli & pacis sunt
 moderari, in his inquam rebus quæ totæ sunt positæ in viri
 manu,

manu & potestate, licet viro aut vxorem in sollicitudinis
 partem vocare, aut omnia ista eius potestati concedere.
 Hæc enim sunt negotia humana, quæ licèt plerumque à fe-
 minis minus rectè gerantur, geri tamen possunt, si viris
 hoc videbitur. Nec Christus in mundum venit ad ista cõ-
 stituenda, & reformanda; vnde nec à fame, siti, & morte
 corporis nos adhuc liberauit. Sed is venit ad spiritalia ne-
 gotia instauranda & componenda. Corpus enim mortuū **Rom. 8.**
 est propter peccatum, spiritus verò viuut propter iustifica-
 tionem. Itaque cum Christus in Paradiso ambularet, cum
 serpentis caput per femem mulieris conterendum promit-
 teret, hoc est cum spiritale salutis nostræ negotium ageret,
B iam tunc dixit ad mulierem, Sub viri potestate eris, & ipse **Gen. 3.**
 tui dominabitur, vt certissimum sit tam ex eo quod tunc
 agebatur, quàm ex subsecuta Beati Pauli interpretatione,
 quòd lex illa de spiritalibus causis potissimùm accipienda
 sit. Si ergo mulier in nulla re magis sub viri potestate esse
 debet, quàm in Ecclesiasticis & spiritalibus causis, illæ au-
 tē cū Dei res sint, arbitrio humano institui aut geri num-
 quam debeant; Quis est iam qui videns mulierem à cau-
 sis Ecclesiasticis moderandis, diuino iure arceri, ac pote-
 stati virorum omnino subijci, tamen in eisdem causis eam
 viris ipsis præficiat, nisi Antichristus?
C Nam quod nescio qui dicunt per virum, non nisi mari-
 tum, per mulierem verò non nisi vxorem intelligi, atque
 ideo mulieres innuptas in his rebus iuris non subijci, sed
 liberam non minus in diuinis, quàm humanis rebus pote-
 statem habere: ne isti nimium sibi sapere videntur, si quod
 vxoribus negant, innuptis tribuant. Nullus enim gradus
 in muliebri sexu ad gubernationem suscipiendam aptior
 est, quàm vxoris. An natura ipsa non docet nos? Habet
 enim mater familias liberos, quibus educandis vnà cum
 viro iure naturali præsit, ab ijsq; honorari debet. An quic-
 quam simile innuptis conceditur? Si vxor propter quam
 homo relinquit patrem & matrem vt ei adhæreat: si vxor
 quam Deus homini sociam dedit, tamen in ijs quæ iuris na-
 turalis

turalis ac diuini sunt sine omni exceptione viro subijci. D
 tur: poterit innupta mulier aut virgo, quæ neq; socia viri,
 neque caro eius est, eidem viro in ijs quæ naturæ aut fidei
 sunt præfici? Turpe est vxori in Ecclesijs loqui, & non est
 turpius virgini aut innuptæ? Vxores permittuntur domi
 saltem viros suos interrogare: at innuptis vix etiam hoc
 permitteretur nisi ex necessaria causa: nam illas etiam do-
 mi conuenit audire cum omni subiectione. Quid multis?
 Paulus alibi hoc quod de muliere lex dicit, ad omnem se-
 xum muliebre[m] pertinere declarat, dicens: Omnis mulier
 orans aut prophetas non velato capite, deturpat caput suū:
 Nec contentus omnem mulierem nominasse vt nullam
 putes exclusam, præterea talem subijcit rationem, quæ non
 minus ad innuptas, quàm nuptas, naturæ ipsius vi exten-
 ditur. ait enim; Capilli pro velamine mulieri dati sunt. An
 virginibus & innuptis perinde non sunt dati capilli pro ve-
 lamine, ac viduis & vxoribus? Omnis ergo mulier, quæ ca-
 pillos pro velamine gerit, in orando & prophetando, hoc
 est in spiritalibus & Ecclesiasticis causis, debet sub viri po-
 testate esse, & in eius rei signum, debet velato capite orare
 publicè & prophetare, tamquam si hoc palam verbo ipso
 diceret, quod velo capitis significat. Ego non possum quid-
 quam Ecclesiasticum pro meo iure agere, ac propterea ex
 permisso virorum oro iã aut propheto, illos interim agno-
 scens meos dominos & superiores in causis diuinis. Nam
 quod velum capitis muliebris potestatem virilem sub qua
 degit significet, ex ipsius Pauli verbis apertissimum est, qui-
 bus ait: Ideo debet mulier potestatem habere supra caput
 suum. Quod antea velum vocauit, nunc vocat potestatem,
 & quæ obsecro est hæc potestas, quam mulier supra caput
 suum habere debet, nisi illa Christi lex, Sub potestate viri
 eris, & ipse dominabitur tui? Constat ergo quamlibet in
 mundo mulierem tum naturæ lege, quæ omnibus mulie-
 ribus ex æquo est communis, tum ex Christi præscripto
 eandem naturæ legem peccato Eue violatam in integrum
 restituentis, in causis naturæ & gratiæ seu Ecclesiæ ita sub
 viri

- A viri potestate agere debere, vt numquam possint vllis rebus
 Ecclesiasticis salua Christi fide & religione præfici aut do-
 minari: adeo vt Apostolus expressè dicat; Docere mulie-
 ri non permitto, neque dominari in virum. Vbi hoc non
 permittis o Paule? Vtrum in domibus priuatis, an in Eccle-
 sijs? Certè in Ecclesijs, inquit, non permitto. De ijs enim
 egit, sicut antea ex ipsius verbis planum fecimus. Et qua-
 re non permittis mulierem in virum in Ecclesijs domina-
 ri? Sequitur apud Apostolum; Adam enim primùm for-
 matus est, deinde Eua, & Adam non est seductus, mulier
 autem seducta in præuicatione fuit. Quasi dicat, ob du-
 plicem causam non permitto vt mulier in Ecclesijs seu in
 rebus Ecclesiasticis (nam hoc idem prorsus est) dominetur
 in virum. Primùm quia per naturam mulier fuit viro su-
 biecta: deinde quia per culpam merebatur in æternum
 ab omni primatu reijci, etiam si per naturam ab eodem re-
 iecta non fuisset. Quæ enim fuit dux & magistra ad com-
 mittendum peccatum, par est vt omni primatu Ecclesiasti-
 co in æternum priuetur. Cum autem Apostolus ait; Non
 permitto mulierem in viro dominari, significat legem, quæ
 mulierem viro in rebus Ecclesiasticis subijcit, immutabi-
 lem esse, nec ob vllam causam vllò vnquam tempore dispẽ-
 satione quadam posse relaxari.
- B rebus Ecclesiasticis (nam hoc idem prorsus est) dominetur
 in virum. Primùm quia per naturam mulier fuit viro su-
 biecta: deinde quia per culpam merebatur in æternum
 ab omni primatu reijci, etiam si per naturam ab eodem re-
 iecta non fuisset. Quæ enim fuit dux & magistra ad com-
 mittendum peccatum, par est vt omni primatu Ecclesiasti-
 co in æternum priuetur. Cum autem Apostolus ait; Non
 permitto mulierem in viro dominari, significat legem, quæ
 mulierem viro in rebus Ecclesiasticis subijcit, immutabi-
 lem esse, nec ob vllam causam vllò vnquam tempore dispẽ-
 satione quadam posse relaxari.
- C Beatam Virginem Dei matrem, ne à filio qui-
 dem suo, qui ei per legem naturæ subiectus
 fuit, rebus Ecclesiasticis, vel ad vllum tempo-
 ris momentum præfectam fuisse; ne dum aliã
 vllam aut matrem, aut virginem ab alio quo-
 piam viro ijsdem rebus præfici posse.

Qui nouit & considerat quid sit vel Mariam simul Virgi-
 nem, simul Dei matrem fuisse: vel Dei filium in forma
 Dei eterno Patri suo æqualem, etiam in forma serui, beatę
 Virginis filium extitisse; numquam putabit vel tali matre

Exod. 2. vllam feminam in Dei causis maiorem esse posse; vel talē **D**
Matt. 3. filium, qui & ab omnibus filijs parentes honorandos de-
 creuit, & totam legem, omnemque iustitiam ipse imple-
 uit, quicquam veri & spiritualis honoris, cuius quidem ma-
 ter sua capax fuerit, prætermisisse, quin id ei detulerit sum-
 mo in gradu. Si enim legem de honorandis parentibus
 natura duce nobis insitam, Christus omnium perfectissimè
 adimplesse creditur; quid solidi honoris matri suæ exhibe-
 re potuit, quod ei non exhibuit? Est autem honoris veri
 & solidi non parua pars diuinis rebus administrandis præ-
 fici. Alioqui Christus, qui nec vllū de hoc mundo regnum
 ab hominibus oblatum accipere, nec illud quod à Patre
 accepit, politico & temporali ritu administrare voluit, **E**
 vnquam res sacras in hoc mundo vel visibili modo (etiam
 prædicans se omnium dominum & magistrum) admini-
 strasset: vel easdem intimis amicis suis fratribusque admi-
 nistrandas commisisset. Nunc autem & Christus Eccle-
 siam visibili ritu rexit atque administrauit, & eandem Apo-
 stolis, non tamen matri gubernandam commisit. Matrem
 igitur Christi meritò dicimus non fuisse capacem huius ve-
 ri & solidi honoris, vt rerum Ecclesiasticarum gubernatio-
 nem susciperet. Quòd si capax huius dignitatis tanta ma-
 ter & virgo non fuit; quæ vnquam femina, seu mater, seu
 virgo sit, eiusdem honoris capax erit?

F
 Nā quid, obsecro, vlli femine vnquam concessum est, cu-
 ius vi ad Ecclesiam Dei regendam instructior accederet,
 quod idem Mariæ non affuerit? Vtrum enim id in Maria
 desideratur, quòd regina huius sæculi minimè fuit?
 quasi verò Christus ipse huius sæculi, rex fuerit. Si ergo
 Christus quamuis non fuerit huius sæculi rex, tamen Ec-
 clesiam optimo iure gubernauit, potuit & mater Christi
 Ecclesiam rexisse, quamquam nullum huius sæculi regnum
 administrauerit. Nunc autem cum Ecclesia Christi sit
 spiritualis quædam societas, & ciuitas sancta, quò san-
 ctior & spiritalior quæque persona est, eò etiam est aptior
 ad Ecclesiam Dei gubernandam: sed quæ vnquam per-
 sona

A sona sanctior Maria? Si Dominus fidelem & prudentem *Mat. 24.*
 seruū supra familiā suā constituit, vt det illis in tempore
 tritici mensuram; quis fidelior Maria, quis prudentior? fi-
 dem eius Elizabetha Prophetis laudauit dicens, Beata quæ *Luc. 2.*
 credidisti, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt tibi à
 Domino.

De prudentia verò B. Lucas attestatur his verbis: Maria *Luc. 2.*
 conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.

Si oportet eum, qui Ecclesiam administrabit, rerum à *Ioan. 10.*
 Christo gestarum valde peritum esse, vt boni pastoris exē-
 plum in ouibus pascendis imitetur; quis res à Christo ge-
 stas accuratius nouit, quàm Maria, quæ iam inde ab infan-
 tia & testis fuit omnium quæ gessit, & omnia quæ conspe-
 xit & audiuit in corde suo seruauit? Si eum qui Ecclesiæ *Heb. 2.*
 præfuturus est & tentari, ac pati oportet, vt potens sit & eis
 qui tentantur auxiliari; quis magis tentatus aut grauiora *Luc. 2.*
 passus quàm Maria, ad quam Symeon Propheta dixit, Et
 tuam ipsius animam pertransibit gladius? Si plus ceteris
 diligere Christum debet, cui oues Christi commendantur; *Ioan. 2. 1.*
 quis vnquam mortalium perinde Christum dilexit ac Ma-
 ria? nisi fortè mater filium non dilexit, ac præsertim talem
 filium, qui non ex virili semine, sed ex purissimo Virginis
 sanguine per Spiritus sancti operationem conceptus est;
 quod si Ecclesia, quæ vni viro Christo, velut incorrupta *2. Cor. 11.*

B Virgo desponsanda exhibetur, aptissimè regitur à Virgi-
 ne; vllus ne vnquam perinde Virgo ac Maria, quæ etiam *Luc. 2.*
 filium paritura virum non cognouit? Sin Ecclesia quæ ma-
 ter nostra est, & Christo nos parit etiam decentissimè à *Gal. 4.*
 matre quapiam gubernatur; vlla ne maior est mater, quam
 de qua Elizabeth dixit, Et vnde hoc mihi vt veniat mater *Luc. 2.*
 Domini mei ad me? Quin & ipse Christus per vnus Ioan-
 nis personam omnes Christianos Beatæ Mariæ velut filios
 commendauit, dicens, Ecce mater tua. Præterea si cum *Ioan. 19.*
 Dei Ecclesia per lauacrum aquæ exhibeatur Christo glo-
 riosa, non habens maculam neque rugam, ob eam rem ab
 integerrima & immaculata persona regi & administrari

*Li. de na
tura &
gratia c.
36.* Debeat, quid integrius aut ab omni macula immunius Maria? De qua B. Augustinus non dubitauit scribere, De sancta Virgine Maria propter honorem Domini, nullā prorsus cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem; unde etiam scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. hæc Augustinus.

Si personam, quæ in Christi nomine Christianos reget coniunctissimam Christo esse decet; quæ persona Christo coniunctior vel carne quàm filio mater; vel spiritu, quàm benedicta inter mulieres, benedicto inter viros?

Mat. 6. Postremò si dignitas arboris ex fructu quem producit aprius cognoscitur: nec vllius arboris vllus vnquam fructus adeo excellens extitit quàm Christus ventris Mariæ fructus: Vnde Elizabeth meritò exclamauit; Benedictus ventris Mariæ fructus; profectò nulla vnquam arbor similis Mariæ fuit.

Luc. 2. Angeli quidem filij Dei incarnationem velut mente ac votis conceperunt, Deum pro salute humani generis ab initio interpellantes. Idem sanctum desiderium omnibus Patriarchis, Prophetis, & iustis vnà cum Angelis commune fuit: omnes enim expectabant salutare Dei. Ceterum in sola Beatissima Virgine Maria Deus hoc mysteriū perfectè operatus est, eam Spiritu suo sancto obumbrans, vt & fidei mente, & casto uentre creatorem suum conciperet, gestaret, pareret, educaret. Et quia nullum opus vnquam diuinius, nec id ipsum absque expresso Mariæ consensu Deus operari voluit, nulla etiam persona post sanctissimam Trinitatem cum Maria est vllò modo conferenda. Hæc enim singularem inuenit gratiam apud Deū, vt illius admirandi operis cooperatrix, & velut adiutrix fieret, quo instaurantur omnia in cælo & in terra. Hæc suppeditauit Christo sanguinē quo redempti sumus. Hæc vberibus suis lactauit eum, qui verbo veritatis suæ portat omnia.

Si

A Si hæc fidelis, prudens, diuinitus edocta, patiens, Christi amantissima, & immaculata Virgo, eademq; Dei mater, denique omnium creaturarū dignissima, tamen ob id solum quod vir non erat; Ecclesiæ Christi præfecta non est; putabimus ne præfecturam Ecclesiæ à Christo hæreticæ mulieri concedi, quæ fidei matri non est concessa? foeditimo prostibulo honorem tributum, qui castissimæ Virgini est negatus? Neque verò tantum dicimus Mariam Ecclesiasticis non fuisse præfectā, sed præterea ex Euangelio manifestissima testimonia proferimus, quæ ostēdunt nihil rei Mariæ esse potuisse cum Ecclesiasticis causis.

B Itaq; cum in nuptijs apud Canam Galilææ vinum deesset, eiusque rei filium, vt is per omnipotentiam suam vinū illis exhiberet Dei genitrix admonuisset, Christus vt conuiuis ac toti deinceps Ecclesiæ ostenderet, eam licet matrē suam, nihil iuris in illum in ea causa, quæ ad spiritualia Dei negotiā spectabat, obtinere: Quid, inquit, mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea. Quibus verbis significat se in Dei negotijs non esse matri subdium, sed matris suæ dominum, & ideo pro sua libertate acturum in ea re. Cui eius verbo Maria pro humilitate sua obediens; ait ad ministros, Quodcumque dixerit vobis, facite, quasi dicat, non meum quæ sum mulier, sed viri verbum fiat, qui mihi in Ecclesiasticis rebus dominatur. Potestas enim exhibēdi vini per miraculum est spiritualis potestas, & ad Ecclesiā Dei non ad ius gentium ciuile aut naturale spectat. Neq; hoc solum tempore, sed aliàs præterea cum Beata Virgo filium triduò quæsitum interrogasset, Fili quid fecisti nobis sic? Christus agnouit potestatem suam in Dei causis longè supra maternam potestatem, & ideo liberè ait, Quid est quod me querebatis? nesciebatis quia in ijs quæ Patris mei sunt, oportet me esse? & ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Aliud est dicere, non intellexerunt; & aliud, non crediderunt. Illi quidem crediderunt, imò & meditati sunt in hoc Christi responso, mater præfertim, de qua scriptum est, Et mater eius conseruabat omnia

omnia verba hæc in corde suo.

Attende mihi iam paululum, Aclere, si filius etiã adhuc impubes, vt potè duodecim annorum, tamen in causis Dei non subijcitur matri; quis vnquam vir vlli mulieri potest in iisdem Dei causis subijci? Maior est potestas matris in filium, quàm reginẽ in subditum suum, quia filius per ius naturẽ subijcitur matri, at subditus non nisi per ius gentiũ aut ciuile subijcitur suo principi. Adde his, quòd talis mater fuit Beata Virgo, vt esset plena gratiã, benediãta inter mulieres, & omnium gentium testimonio beata. Si iam illa in Dei causis nihil iuris habet in eum, qui de vtero eius prodijt, quem & fidẽ cordis, & auditu auris, & operatione Spiritus sancti sine peccato concepit; quam mihi dabis in mundo mulierem, quẽ in Dei causis cuiquam viroũ præsit filio mater in Ecclesiasticis rebus nõ præest; & præerit regina subdito?

Cui præterea obscurum est Christum nihil Ecclesiasticæ potestatis matri suã dedisse. Non eam fecit verbi Dei nuntiam, non sacramentorum administram, non chori Apostolici principem. Imò cum vltimam cẽnam celebraret, in qua veterem hostiam Paschalem in suẽ carnis mysteria transferens, & calicem vini legalis in suum sanguinem transfundens, agnoq; Aegyptiaco agnum Dei viuum & verum substituens, noui testamenti nouum Sacerdotiũ instituebat, quia nihil rei cum sacerdotio Ecclesiastico matri suẽ futurum erat, ne adhibuit quidem illam omnino ad eam cẽnam, sed cum solis duodecim Apostolis, quos in suam commemorationem hoc facere iussit, Sacerdos in æternum secũdum ordinem Melchiscdech, discubuit. Eodem modo cum Christus in cẽlum ascendisset, Maria non sibi sumpsit vt chorum Apostolicum regeret, sed vnã cum illo in oratione perseuerauit, tanto sublimius iam in cẽlo supra omnes choros Angelorum exaltata, quanto humilius in terra se ipsam infra omnes viros, quod ad rerum Ecclesiasticarum administrationem attinet, submisit.

Reginam

A Reginam, quã se ipsam vocat summam Ecclesiã gubernatricem, quãq; Pontificibus in rebus diuinis imperat eiusdem Ecclesiã Põtificem ac Sacerdotem rectè appellari, multo quẽ verius sacra quàm ipsos sacerdotes ministrare. Ita est Acleri sententia.

Anglicani Protestantes tam reginas, quàm reges suos suprema Ecclesiã Anglicanã capita proximè secundum Christum in omnibus Ecclesiasticis rebus & causis constituunt. Hoc ego in monarchia mea dixi nihil esse aliud, quàm si easdem personas constituerent Episcopos & Pontifices Ecclesiã Anglicanã, ex eoq; intuli & Henricum Octauum non aliter Angliã quàm Iulianum Apostatam Græcorum Pontificem dicendum, nec aliter Elizabethã apud Anglos, quàm alias feminas apud Pepuzianos & Collyridianos sacerdotio fungi. Tulit hoc meum verbum indignissimè Aclerus, meq; qui hoc dixerim, audacissimum Iabulam vocat. Quoniam igitur hæc res aliquanto plenius explicata, & me ab infami conuictorum tuorum nota liberare, & vel te ipsum, vel nonnullos ex tuis, detecto vestro grauissimo errore facilius ad penitentiam adducere potest. age ostendamus principes tuos, qui superbum illum supremi capitis Ecclesiẽ titulum sibi arrogant, eo ipso Pontificatum Ecclesiã inuadere. Nam inter Ecclesiasticas dignitates cum nullus gradus Pontificatu maior sit, tu verò tuis principibus atque adeo Reginẽ tuẽ, maximam in rebus Ecclesiã moderandis auctoritatem tribuas, necessariò efficitur, vt regina tua sit Pontifex & Sacerdos. Quod autem in rebus diuinis moderandis nullus gradus Pontificatu maior sit, quàm perspicuè apparet? Humiliauit semetipsum Iesus Christus vsque ad mortem Crucis, propter quod Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod est super omne nomen; per nomen verò in scriptu-

ris

D ris significatur potestas, sicut cum Christus iubet nos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizari; & Petrus ait, non esse aliud nomen per quod saluemur, nisi nomen Iesu Christi. Quod ergo est nomen quod Deus pater Christo ob humilitatem passionis suæ contulit? hoc idem *Heb. 5.* Paulus optimè explicat, cum de eodem Christo scribit, Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ, appellatus à Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Talem habemus Pontificem, qui consedit in dextera sedis magnitudinis in cælis, Sanctorum minister, & tabernaculi veri, quod fixit Deus & non homo. Si ergo nomen & potestas Pontificis maxima omnium est secundum humanam Christi naturam, & ea, quæ in Ecclesia geruntur imago sunt rerum cælestium; utiq; nulla potestas in Ecclesia moderanda Pontificatu maior esse potest. *Heb. 10.* Hinc Augustinus cum de Pontificatu Moysis ageret: Si sacerdos, inquit, Moyses non erat, quid erat? numquid sacerdote maior esse poterat? quasi dicat, nihil in mundo maius esse sacerdote. Est autem sacerdos idem qui & Pontifex.

Vnde quem David appellat sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, cum Paulus modò sacerdotem, modò Pontificem iuxta eundem ordinem appellat. Cum ergo reginam tuam dicas summum Ecclesiæ Anglicanæ caput esse, ac summam potestatem habere, nihil verò in rebus Dei gubernandis Pontificia potestate maius esse queat; necessariò dicis eam esse Pontificem & Sacerdotem.

Hebr. 1. Deinde concedes mihi Christum esse verum caput & Pontificem Ecclesiæ, cõcedes etiam in regno Angliæ Pontifices quosdam & Episcopos reginæ tuæ subiectos agere, qui præesse deberent regi Domini in sollicitudine, & vigilare quasi rationem pro animabus fidelium Deo reddituri. Et isti quoque suo modo sunt quædam capita & gubernatores Ecclesiæ. Iam inter Christum & horum Pontifi-

A ces medium constituis reginam tuam inferiorem Christo, Pontificum verò non tantum in ciuilibus, verum & in sacris rebus moderandis caput & gubernatricem. Nunc dico potestatem illam reginæ tuæ sacram, & sacris præsidem (ut tu statuis) quæ inter duas Pontificias dignitates media interijcitur, quæq; alteri, nempe Christo, proximè adiungitur & patet: alteri videlicet Episcopis Anglicanis in rebus sacris, quæ ad Pontifices propriè spectant, præest & imperat, necessariò aut nihil nisi Pontificiam dignitatem esse, aut certè Pontificiam dignitatem in se ipsa complecti. Nam & certum est Christum per æternam Pontificiam dignitatem suam, Episcopos Ecclesiæ suæ tum instituere, tum *Heb. 5.* regere, & tu ais proximè secundum Christum ipsum, tuos principes Christianos Episcopis suis etiam in rebus sacris præesse, nec ab alio ut id faciant quàm à Christo ipso principes tuos vnquam dices accepisse. Re igitur ipsa dicis, Christum Pontificem æternum per interiectam principum tuorum, atque adeo reginæ tuæ regiam potestatem, Pontifices & Episcopos Ecclesiasticos instituere, gubernare, & moderari. Ex quo efficitur, ut potestas Ecclesiastica, quæ à Christo capite primo & æterno per tuam reginam caput secundum & proximum, in Episcopos Ecclesiæ, caput tertium & vltimum defluit ac deriuatur in Regina tua (quam non ad momentum, sed iure perpetuo sacris præsidere dicis ex parte aliqua in perpetuum confederit, maioremque illam in secundo gradu Episcopam & Pontificem, quam Episcopos alios quibus illa præsidet in tertio gradu crearit. Media enim extremis semper congruunt, & quatenus fieri potest cum vtriusque extremi natura communicant, ut ne dissonum aliquid, aut indecorum in Dei operibus interueniat. Neque hæc mea disputatio Philosophorum institutis, aut humano ingenio, sed diuina auctoritate nititur, & confidit. Cū enim Deo Patri visum esset multos ad *Heb. 2.* prionis filios in gloriam adducere, idq; per filium suum naturalem efficere & operari; homines autem, qui erant redimendi, ex Dei iustissimo iudicio tentationi & morti

subijcere, Paulus non dubitauit dicere, de cuius Deum propter quem & per quem sunt omnia, consummare Pontificē & auctorem salutis humanę per passionem. Cum enim qui sanctificat Christus, & homines, qui sanctificantur, ex vno Deo sint omnes, quia pueri (quorum mediator frater & caput etiam secundum naturam hominis assumptam Christus esse voluit) communicauerunt carni & sanguini (vtique passibili & mortali) etiam ipse Christus similiter participauit ijsdem, vt liberaret eos, qui timore mortis per totā uitam obnoxij erant seruituti: Vnde (ait Paulus) Debit per omnia fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis Pontifex ad Deum, vt repropitiaret delicta populi. In eo enim in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur auxiliari. Ita Christus & Deus per omnia erat cum Deo, & cum hominibus per omnia homo, & cum mortalibus mortalis, & cum tentatis etiam ipse tentatus, vt perfectus Dei & hominum mediator fieret. Si ergo Dei lex res medias cum extremis conectens tam est fixa & immobilis, vt neque in ipso Christo ea debuerit violari, quāto certius est eum regem Christianum, qui mediū inter Pontificem Christum & Pontifices Ecclesiasticos à te constituitur, quique ipsis Pontificibus in Ecclesiasticis causis imperare dicitur communicare cum dignitate Pontificia, quę vtrinque existit, & propterea etiam esse Pontificem? Non satis erat Christum esse hominem, vt homines redimeret, nisi & mortalis homo fieret, vt homines morti obnoxios redimeret. Nec igitur satis est regem qualecumque; caput esse, vt Ecclesiasticos Pontifices in causis Ecclesiasticis regat, nisi & caput Ecclesiasticum atque adeo Pontificium ob eandem causam fiat. Itaque cum tu Aclere dicas, Reginam tuam in rebus diuinis etiam Pontificibus & Sacerdotibus Ecclesiasticis imperare, non ego, sed tu facis illam & Pontificem & Sacerdotem, vt meritò mihi iā liceat dicere illā cū Pepuzianorū, & Collyridianorū feminis Pontificatum adeptā & sacerdotio esse honoratā. Præterea si tu ipse Pontificem nobis definires, vtrum aliter

A ter id faceres, quā olim sanctus ille rex Iosaphat fecit? Amarias, inquit, Sacerdos & Pontifex vester in his, quę ad Deū pertinent præsidebit. Porrò Zabadias filius Ismael, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quę ad regis officium pertinent, regis officium hoc in loco discernitur à Pontificis officio: vt regis officium sit circa opera ciuilia, & humana, Pontificis verò circa res diuinas & Ecclesiasticas. Nam si Zabadias erit super opera, quę ad regis officium pertinent, & tamen super opera, quę ad Deum pertinent non erit (quia in his Amarias Pontifex præsidere dicitur) omnino regis officium non est in his quę ad Deum pertinent præsidere, & hoc est catholice fidei, atque Evangelij veritas. Sed cum tu dicas reginam tuam in his, quę ad Deum pertinent præsidere, an Pontificem & Sacerdotem esse illam non dicis? Das ei rem ipsam, & nomen auferre velles? Paulus etiam definit nobis Pontificem ad hunc modum: Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quę sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Tua regina ex hominibus assumitur; & secundum te pro hominibus constituitur in ijs, quę ad Deum pertinent; constituitur enim caput seu gubernatrix Ecclesię in rebus & causis diuinis, vt tu, ac tui omnes in Anglia non tantum dicunt, sed & iurant. Si ergo tamquam Ecclesię caput in ijs, quę diuina sunt, constituitur, vtique pro hominibus constituitur. non enim sua, verum Christianę plebis causa caput Ecclesię constituitur. Quod autem ad aliorum vtilitatem fit, pro alijs factum rectè dicitur. In eo iam omnis controuersia erit: Vtrū regina tua offerat dona & sacrificia pro peccatis. Primū dico illā non minus offerre dona & sacrificia pro peccatis, quā ceteri Pontifices, & Sacerdotes, qui iā in Anglia res diuinas administrant. Nam cum illi omnes dicant se nulla externa dona & sacrificia pro peccatis offerre, præter gratam mortis Domini recordationem, pluramque preces, gratiarum actiones & laudis sacrificia, quę etiam regina tua non pro se tantum, sed & pro tota plebe sua, imò

D etiam pro Pontificibus & Sacerdotibus ipsi subiectis, vel offert, vel offerre debet, vt nō in brachio carnis suę, verūm in Dei auxilio cōfidat, & populū suū per Dei gratiam in re cōta fide cōtineat & gubernet; profecō nō minus in donis & sacrificijs offerēdis Pontifex est regina tua, q̄ aut Cantauricēsis, aut Londinēsis Pōtifex, qui negāt se alia vlla dona & sacrificia pro peccatis aut suis aut aliorū offerre Deo.

E At Eucharistiā, inquires, non administrabat regina mea: Quid ergo? An Eucharistiam fateris donum & sacrificiū esse, quod pro peccatis offertur? Si hoc fateris; tunc quidem cum reginam tuam administrare Eucharistiā negas, aliquem saltem actum Pontificalem ei adimis. Sin Eucharistiam neges tale donum ac sacrificium esse, quamuis non administret Eucharistiam, tamen ob dona & sacrificia laudis & gratiarum actionis, quę vt caput Ecclesię pro se atq; alijs Deo quotidie offert, Pōtifex & Sacerdos est omnium in illo regno prima & maxima.

F Quid multis? & Baptismum & Eucharistiam secundum tuam ipsius doctrinam administrat regina tua, & manus imponit, & Euangeliū annuntiat, & omnia Pontificū, ac Sacerdotum officia multo verius gerit, tractat, exequitur, quā ipsi sacerdotes, qui ore & manibus ista dispensant. Cum enim dicas regem auctoritate regia hęc fieri iubere, vtique Episcopos & Presbyteros, qui hęc iussu reginę tuę gerunt, facis instrumenta reginę tuę: operis autem alicuius cōsecō nō tam instrumento adscribitur, quā opifici; nec tā opifici infimo, quā architecto; nec tā huic ipsi, q̄ Deo. Nam quo prior quaq; causa, eo est & vniuersalior & maior tamquam origo & caput ceterarum deinceps causarum. Magis ergo administrat Eucharistiam Christus, quā regina tua: & magis regina tua, quę iubet Episcopum id facere, quā Episcopus. Itaque non solūm Christus verius Pontifex est, quā inferior ille Episcopus, verūm regina tua secundum tuam doctrinam magis est Pontifex & Episcopa, quā Episcopus, qui reginę tuę (vt tuais) in eo ipso quod Pontifex est, subijcitur. Certē cum David

A David Vriam iuberet à Ioab in ea prælij parte collocari, qua facillimè ab hostibus occideretur, nō tam his, qui Vriā manu occidit, quā Ioab, nec tam Ioab quā David, cui Ioab ea in re paruit, homicida fuit. Vnde etiam David supra omnes alios pœnas de illo homicidio dedit Domino ad illum dicente: Vriam Hethęum percussisti gladio, & vxorem illius accepisti in vxorem tibi. Non est dubium, Aclere, quin Deus non sit mentitus, cum diceret Davidē gladio percussisse Vriam Hethęum, & tamen gladius ille, quo percussit Vriam, non manu Davidis, non manu Ioab, sed Ammonitę alicuius manu vibratus est: sed quia David homicidium illud & mente conceperat, & lingua præceperat, rei executio Davidi maximè omnium adscribitur. Nec igitur ego mentior Aclere, cum dico, regem, qui præcipit Pontifici, qui Pontifex est, vt ea quę Pontificis sunt gerat, eo ipso Pontificem esse, & ea quę Pontifex gerit, simul gerere atque administrare. Cum ergo regina tua Episcopo Carliolensi ad altare iam constituto præcepit, vt nouo more sacrum faceret, illa potius illud sacrum, quā ille Episcopus peregit: nisi quod tum Episcopus feminę recusauit parere, tunc non ipse, verūm illa sola sacri huius peragendi rea fuit. Sed cum iam per vniuersum Anglię regnum omnes Episcopi & ministri eam precandi & Deū colendi formam obseruent, quā regina secundum comitia publica illis præscripsit; certē quidquid aut in hoc genere, aut in alio quopiam isti faciunt, id multo magis facit regina; quę id auctoritate regia fieri iubet, quā illi ipsi ministri, qui reginę iussum exequantur. Illa igitur per illos omnia sacra verè gerit & administrat. Nam si Christus est qui baptizat, quando ministri eius baptizant, si Christus ipse in ministris suis loquitur; si Moysis cathedra dicta est, in qua Moyses per annos mille & amplius minimè cōfederat; sed ideo illi adscribebatur, quoniam eius auctoritate & ministerio in populo Dei collocata fuit: si tum Centurio amicos suos ad Christum misisset rogans, vt sanaret seruum ipsius, tamē Matthæus non dubitauit dicere, Cen.

2. Reg. 12

Ioan. 10
& 4.
2. Cor. 13
Matt. 23

Luc. 7.

Mat. 8.

Centurionem ad Christum accessisse, & cum eo collocatū esse: quia videlicet quod per alios faciebat, hoc ipse magis faciebat, quā illi: profectō etiā regina tua magis baptizat, magis concionatur & magis Eucharistiam administrat, quā illi sacerdotes, quibus hoc peragendū auctoritate regia indicit & imperat; & tāto magis hæc Anglicana baptizādi & Eucharistiā dispensandi ratio & forma reginæ tuæ adscribenda est; quoniam eius demum auctoritate per comitia publica de nouo nunc primū constituta est & præscripta. Frustra igitur Aclere vel Pontificatum, vel Sacerdotium à reginæ tuæ ceruicibus repellere conaris, cum illam caput Ecclesiæ Anglicanæ, & summam rerum Ecclesiasticarum gubernatricem constituas. Si hæc fatis perspicua non sunt, dicam adhuc planius.

Reginam Elizabetham Pontificalem docendi & Euangelizandi actum non minore potestate, quā vel Moyfes vel Christus ipse unquam fecerat, in Anglia exercere.

Adeo verum est, Aclere, mulierem apud vos sacerdotio honorari, & Episcopam agere; vt præ illo quod in Anglia fit, somnia videri debeant quæ de Pepuzianorum, & Collyridianorum sacerdotalibus feminis traduntur. Ille in angulo quodam placentas Marię immolabant, perinde ac si feminas femine cultum exhibere decuisset. Quod quidem licet impiè facerent, tamen cum offerre externum sacrificium sit presbyteris cum Episcopis cōmune, potius dici possunt in ea re presbyteras quā Episcopas egisse. At verò tua regina palam in regno florentissimo degens, & virorum omnium caput in diuinis rebus moderandis se ipsam constituens, non presbyteram, sed Episcopam, imò etiam Episcoporum Episcopam agit; neque placentas domi suæ factas, sed viuum & efficax Dei verbum, quod de

caelo

A caelo descendit, offerre Deo & sacrificare in summo auctoritatis gradu audet. Nam Dei verbum populo edicere & sacrificij quoddam genus est, & cum per modum legis edicitur tale sacrificium est, quod Episcopis potius, quā presbyteris, atque adeo Pōtifici maximo propriissimè tribuitur, & referuatur. Gratia, inquit Paulus, data est mihi à Deo, vt sim minister Christi Iesu in gentibus sanctificans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta & sanctificata in Spiritu sancto. Quibus verbis Apostolus docet, eum qui prædicat Euangelium, Sacerdotale quoddam opus peragere, & sacrum Dei facere. Nam quod Latina editio vertit sanctificās Euangelium, Græcè est *ἱεραποποιεῖν* quod verti etiam posset, sacrificare seu consecrare Euangelium. Nam cum Dei verbum sit res quædam sacra, sacerdotali officio præditus sit oportet, qui eam contrectabit. Imò cum Paulus neget se missum ad baptizandum, sed ad euangelizandum, significat munus euangelizandi Episcopale, atq; Apostolicum esse.

B At regina mea, inquit Aclerus, verbum Dei minimè annuntiat; neque hoc Sacerdotale aut Episcopale opus peragit. Erras, Aclere, cum id putas. Quid enim est annuntiare Dei verbum? aut quid est Ecclesiastem, atque Euangelistam agere? Vtrum è solo suggestu concionem ad populum habere? Quasi verò Christus non & à nauicula Petri, & in monte, & in deserto verbum Dei annuntiarit: locus igitur parum ad rem pertinet, ac ne modus quidem loquendi. Nam Salomon propheta cum Ecclesiasten suum scripsit, concionatorem egit, quamquam nihil eorum quæ in scriptum retulit, ore suo pronuntiaffet. Non ergo, vel rostra, vel oris elocutio ad hoc necessaria sunt, vt quis populo euangelizasse dicatur. Nā Matthæus, Marcus, Lucas & Ioannes in hodiernum diem euangelizant, etiam si iam nec os aperiant, nec officio lingue ad eam rē vtantur. Quid ergo est euangelizare? vtiq; verbum Dei populo in persona Christi quoquo modo proponere.

C Modi autem verbi proponendi sunt plures, lingua, calamus

mus

Act. 10. mus, nomen & ministerium. Quando enim Petrus Centurionem baptizari iussit, tunc licet nondum verbo, saltem opere suo mirabilem illam & eatenus ignotam orbi doctrinam prædicauit, posse videlicet eum qui circumcissus non esset, si in Christum crederet, Christi mysterijs initiari, & membrum Ecclesiæ fieri. Quo audito vniuersa Ecclesia obstupuit. Quapropter euangelizandi veritas nec in modo consistit, sed in his duobus, vt & verbum Dei esse dicatur quod proponitur, & cum auctoritate velut in persona Christi proponatur. Iam dico reginam tuam hoc sibi sumere, quod verbum Dei populo cum auctoritate maxima in persona ipsius Christi proponat. Dicit enim se ob id quod regina sit, diuinitus missam ad hoc, vt Ecclesiam proximè secundum Christum gubernet. Auctoritatē igitur summam in rebus diuinis sibi vendicat. Præterea dicit illud esse verbum Dei, quod in legibus suis, quas de fide & religione in publicis comitijs tulit, populo proponit. Hoc autem docendi genus, quod per leges fit, omnium est maximum & supremum. Nam ceteri concionatores hortantur, suadent, rogant, monent, ad summum arguunt, & increpant. Ceterum legislator & hæc omnia facit, & præterea decernit, imperat, sancit; hoc est pœnam apponit. Quale docendi genus proprium fuit in veteri testamento Moyses, in nouo autem Christi. Vnde Moyses de Christo prædixit: Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies, & ponam verba mea, inquit Dominus, in ore eius. Qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, non audierit, ego ultor existam. Quæ verba de Christo dicta esse tam B. Petrus, quam Stephanus protomartyr attestati sunt. Si ergo Moyses cum legem veterem tulit, prædicauit Dei verbum; si Christus Dei filius in nomine patris sui Euangelium Dei prædicauit; si vterque istorum sacerdos & Pontifex fuit, Moyses quidem vt famulus, vnà cum Aaron in sacerdotibus Domini vt Dauid ait, Christus autem vt Dominus in domo sua; profectò cum etiam tua regi-

A regina sacram legem de causis fidei tulerit; eamq; non modò credendam suadeat, vt prædicatores pleriq; solent, verum vt pœnam apponat nisi ea impleatur, quod solùm maximis Prophetis, & legislatoribus permissum erat, omnino Pontificatum non vulgarem, sed planè præceptum, & præcellentem sibi arrogat. Non iam disputo, quàm rectè id faciat, sed quòd ita faciat dico. Nam alioqui scimus Apostolum dixisse, Mulieres in Ecclesia taceant. Ista non tacet, verum per omnes plateas tuba præcinente clamat, Si quis ausus fuerit sacrificio Missæ interesse, prima vice fisco meo ducentos aureos, secunda quadringentos pendat, tertia fortunas omnes amittat, & perpetuo carceri tradatur. Si quis autem tertio postulatus recusauerit Pontificis Romani primatum abiurare, vita priuetur. Apostolus ait, Non permittitur mulieribus in Ecclesijs loqui: At ista primum loquendi locum in Ecclesia sibi sumens, omnibus presbyteris & Episcopis Catholicis loqui non permisit, sed silentium illis indixit. Apostolus ait; Mulieres oportere subditas esse sicut lex dicit: At ista dominatur in omnes viros, in omnes, sui regni Ecclesias, in omnia postremò sacra, & tamen Pontificatum non administrat? Turpe est, inquit Apostolus, mulieri loqui in Ecclesia Dei: At ista cum loquatur & auctoritate summa loquatur omnibus Episcopis auctoritate regia, quid in sacris rebus fieri velit præcipiens, vtiq; necesse est illam ecclesiam in qua loquitur, non Dei sed Diaboli Ecclesiam esse. Docere mulieri non permitto ait Apostolus: At ista docet non instar prophetæ aut doctoris, verum instar legislatoris. De causis enim fidei legem fert, ac nisi verbo suo pareatur, pœnas in eos, qui contradicunt, experit. Si qua controuersia de fide in regno Angliæ oritur, ad domum Elizabethæ ascenditur, tamquam illa sit Angela Domini.

Cum ante annos sexdecim comitia publica in Anglia ob eam causam celebrarentur, vt quæ fides & religio sectanda esset planum fieret; nonne concedis, Aclere, conuentum illum solennem constituendæ religionis causa indictum

Ccc Eccle-

Ecclesiā fuisse? quo iure alioqui statuit de fide Christi? **A**
 qua potestate communem Ecclesię Dei causam tractan-
 dam suscepit? sin illud parlamentum iuxta fidem tuam
 fuit Christi Ecclesia, non ne iuxta eandem tuam fidem
 mulier in Ecclesia & locuta est, & docuit, & in viros do-
 minatum exercuit? Mulier illam Synodum conuocauit,
 vtiq; non absq; vocis suę ministerio: Mulier conuocatā
 adiuit, & pro auctoritate sua docuit qua de causa conuenif
 sent. Neq; verò si Cancellarius aut sigilli publici custos
 orationem tunc habuit, idcirco mulier nō est locuta, cum
 ille vir omnia & nomine, & nutu reginę dixerit. Porrò
 cum iam in illis comitijs de incruento corporis Christi sa-
 crificio, deq; eiusdem corporis in Eucharistia veritate, de **E**
 cęlibatu sacerdotum, votis religiosorum, & omnibus Chri-
 sti sacramentis iniretur disputatio, cum Episcopi ad vnum
 omnes fidem catholicam tuerentur, alij autem qui neq;
 sensus in scripturis exercitatos ad discretionem boni &
 mali habebant; neq; potestatem inter sanctum & pollutū
 discernendi à Domino acceperant, Episcopis contradice-
 rent, ac non modica dissensio fieret; mulier adhibuit non
 modò auctoritatem, sed & artem suam ad persuadendum
 certis principibus viris, vt à Catholicis ad Protestantes de-
 ficerent. Postremò cum vix tandem rudes & ignari Lai-
 ci Episcopos rerum diuinarum peritissimos numero supe-
 rassent, res tota ex more ad reginam delata est, in cuius po-
 testate adhuc erat, nihil in fide innouandum decernere. **M**
 Quidquid enim comitia proponunt, tractant, decernunt,
 semper in potestate principis positum est, vtrum id velit
 confirmare nec ne. Si nolit confirmare, in legis vigorem
 nō transit. Tunc igitur omnes Theologi, Presbyteri, Dia-
 cono tam Anglię, quàm Hybèrnię, omnes vtriusq; regni
 principes & populi suspensis animis ab ore aut calamo
 vnus mulierculę pendebant, expectantes quid illa deinceps
 in articulis fidei nō opinandū, sed credendū præscri-
 beret. Illa verò rāquam dux verbi, Angelus Domini, ora-
 culum Dei fuisset, tamquam sacerdos, cuius labia diuinā
 scientiam

Heb. 5.

A scientiam custodirent, tamq̃ Pontifex, qui Vrim & Thū-
 mim, hoc est doctrinam & veritatem in pectore portaret,
 postremò tamquam summum Ecclesię caput & governa-
 trix (qui titulus in iisdem comitijs illi addicebatur) vltimā
 sententiam tulit, vt abijceretur Catholica fides, & noua
 Caluini doctrina dominaretur. Cum ergo hæc fecerit mu-
 lier, tamen ne in Ecclesia non est locuta, non docuit, non
 sacerdotalem potestatem exercuit? Parlamentum illud
 secundum te fuit Ecclesia, in eo præfedit, & dominata est
 regina tua, & in causis fidei præfedit, & definitiuam senten-
 tiam tulit. Igitur in Ecclesia non tantū interrogandi (quod
 tamen Apostolus non permittit) verū & docendi causa
B locuta est; velut si Deus ei potestatem sacerdotalem inter
 mundum & immundum discernendi contulisset. Imò nul-
 lus vnq̃ Pastor Episcopus, Sacerdos, Pontifex (Moysen &
 Christum excipio) nullus Propheta, Euangelista, Aposto-
 lus tanta cum auctoritate in causis Dei à condito sæculo
 docuit, & locutus est. Illi enim fidem Christi suadebant vo-
 lentibus, ista hæreses Antichristi etiam inuitis populis im-
 posuit, illi obsecrabant & hortabantur, ista sub pericu-
 lo vitę cogit, vt quod illa eis proponit id credant. Illi fidē
 antiquam tradebant, ista nouam obrudit. Illi congrega-
 bant omnes in ouile vnum, ista rapit, dispergit & ma-
 ctat. Illi verabant mulierem in Ecclesia loqui, ista solam
C mulierem in omnibus Anglię & Hybèrnię Ecclesijs audi-
 reiubet. Nam neq; minimum verbum à quoquam in vllō
 suggestu præterquam ex Elizabethę summi capitis Eccle-
 się nutu præferri potest. Secus si factū sit, aut quispiam de-
 prehendatur, qui summę sacerdotis imperio non obediue-
 rit, vincula, carceres fortunarum detrimenta: deniq; si se
 non emendauerit, mortem ex decreto summi capitis Ec-
 clesię patietur, sicut nuper Felton, & Storęo laicis, &
 Vuoddo presbytero euenit, qui sūt nobiles in martyribus.

63.1

Omnes Anglicanos Protestantes virilis sexus, & maximè pseudoepiscopos, & alios Calviniani verbi ministros, qui Elizabetham feminam summum Ecclesiæ suæ caput etiam in rebus diuinis agnoscunt, sexus sui dignitatem negare, & se ipsos velut in muliebrem sexum transformare.

Psal. 82 Cum scirem scriptum esse: Imple facies eorum ignominia, & quærent nomē tuum Domine; eò libentius feci, vt crimen hoc turpissimum Protestantibus Anglicanis arguēdi & conuertendi eos causa obijcerē. Dico enim illos nō obediētię solū erga veram Dei Ecclesiam, verū & naturę ipsius, & sexus sui virilis, & mysterij per Christum exhibiti oblitos esse, cum Ecclesię suę caput summum in rebus etiam sacris & spiritualibus feminam constituere nō erubuerunt. Et hoc dico non ex mea, sed ex Pauli Apostoli auctoritate: Omnis vir orans aut prophetās velato capite, deturpat caput suum: Omnis autem mulier orās aut prophetans non velato capite, deturpat caput suum. Vnum enim est ac si decaluetur; nam si non velatur mulier, tondeatur. Si verò turpe est mulieri tonderi aut decaluari, velet caput suum; quorsum tendit hęc oratio de capite viri cum orat, vel prophetat non velando, mulieris autem cum aliquid horum facit velando? Quid significat velum hoc de quo agitur? Hoc ipsum Paulus paulò inferius declarans, Debet, inquit, mulier, ἐξουσίαν, idest potestatem habere supra caput suum. Velum ergo capiti mulieris cum orat, vel prophetat impositum, ostendit illam in orando & prophetando, idest in rebus diuinis administrandis sub potestate esse. Nam ex antiquo ritu mulier cum in vxorem accipitur, velari seu tegi, & nubi solet; vnde & nuptiæ à nubendo seu tegendo appellatæ sunt; eo quòd mulier in viri domum velata ducebatur, velut quę deinceps non sui iuris maneat, verū in mariti potestatem

A testatem transeat. Hinc Rebecca conspecto Isaac viro suo, tollens cito pallium suum, operuit se. Agnouit enim se iam sub viro velut sub tegmine quodā & protectore acturam. Quo etiam aspexit Elaias cum ait, Septē mulieres apprehendent virum vnum, dicentes, Inuocetur nomen tuū super nos, aufer opprobrium nostrum. Hinc Ruth ad Booz quem in virum petebat, ait, Extende pallium tuum super famulam tuam. Quin etiam sacre Virgines, cum solenne castitatis votum emitterent, iam inde ab initio velari solebant tamquam Christo nubentes, qui curam earum susciperet, nec amplius iam aut procorum ambitioni, aut suę libertati locum reliquum facientes. Itaq; cum Donatistæ olim, sicut nunc Protestantes capita Virginum velata denuò nudarent, vt priorem professionem velut nō ritè à Catholicis sacerdotibus factam emendarent. Optatus ante annos mille & penè ducentos contra illos in hæc verba scripsit: In nuptias sponsi Virgines iam venerant voluntate & professione sua. Et vt secularibus nuptijs se renuntiasse monstrarent, spiritali sponso soluebant crines. Nudastis denuò capita iam velata, de quibus professionis detraxistis indicia, & quę sequuntur. Cum igitur velum demonstrat mulierem, quę velatur, sub alterius potestate & patrocinio iam constitui, quando Apostolus dicit; Mulierem orantem aut prophetantem debere caput suū velare, virum verò non debere id facere, vtique dicit, virū in orando & prophetando velut dominum agere, mulierem verò velut subiectam esse. Cur ita ò Paule? Vir quidem, ait, non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria Dei est: mulier autem gloria viri est. Non est hæc inanis aut superuacanea cæremonia, quę ad gloriam Dei confitentam pertinet. Cum ergo vir sit imago & gloria Dei, quia Deus eum non ad Angelorum, sed ad suam ipsius imaginem condidit: quemadmodum Deus nemini subiectus est, nec habere quicquam potest supra caput suū, quod gloriam eius tegat & deprimat: Ita nec vir debet vlli creaturæ ne Angelicæ quidem in rebus diuinis administran-

Gen. 24.

Esaiæ 4.

Ruth. 3.

Nota antiquum professionis virginis morem.

ministrandis subijci, verum absque velo in conspectu Dei stare. Christus enim, qui omnibus Angelis infinitis partibus dignior est, quiq; non Angelos, sed semen Abrahamæ apprehendit, solis viris mysteriorum suorum dispensationem credens, Angelis eos hac in re adæquauit, sicut in Apocalypsi Angelus ad Ioannem dicit, Vide ne adoraue-
ris me, seruus enim tuus sum, & fratrum tuorum Prophetarum, hoc est eorum, qui prædicant verbum Christi. Ceterum si mulier totius Ecclesiæ Anglicanæ, in qua innumera-
biles viri existunt, summa in rebus & causis Ecclesiasticis gubernatrix esset, (vt tu Aclere & tui omnes credunt) iam in orando & prophetando, ceterisq; Ecclesiasticis causis mulier esset caput virorum, non vir mulierum; iam velum à suo capite reiectum in caput virorum iniecissent, iã muliebrem sexum sexui virili præfecissent, iã turpe esset viris capite non velato; contraq; mulieribus turpe esset velato capite orare aut prophetare, iam tondendę mulieres, viris autem capilli essent promittendi: iam non mulier ex viro aut propter virum, sed vir ex muliere & propter mulierem, iam denique institutio Dei accusaretur, & institutio Diaboli diuinæ institutioni anteferreretur. Sed pergamus in Apostoli verbis explicandis. Cum is dixisset mulierem ex viro & propter virum esse, ita priorem argumentationem concludit, vt nouam continuam adijceret. Ideo, inquit, debet mulier velamen habere supra caput suum, & propter Angelos. B. Ambrosius hoc in loco Angelos intelligit vocari, sacerdotes Dei, Episcopos & Presbyteros. Illi enim iam in Ecclesia Christi voluntatis diuinæ interpretes, & nuntij sunt, perinde ac Angeli cælestes. Itaque secundum Ambrosij mentē mulieres, si non propter alios viros, at saltem propter ministros Christi & mysteriorum eius dispensatores velato capite orare & prophetare debent. Nam vtrumque maritis fortè carent, sub quibus domi agant, certè Angelis & sacerdotibus sub quorum potestate in Ecclesijs agant, numquam carent. Nam Philippo Diacono erant quatuor filię Virgines prophetantes.

1. Cor. 4

tes.

A tes. An putamus istas quia viros non habebant, nudo capite prophetasse? nihil minus. Nam Apostolus ait; omnis mulier orans aut prophetans non uelato capite, deturpat caput suum. Qui omnem mulierem comprehendit, nullam excipit, siue illa sit vxor, seu virgo. Lex enim hæc, vt mulier velato capite oret, ac prophetet, tam virginibus quàm nuptis posita est, quia ratio legis ex natura muliebri, quæ omnibus ex æquo est communis, desumitur. Non enim vir ex muliere, sed mulier ex viro. & iterum Adam primùm formatus est, deinde Eua. Totus ergo sexus muliebris toti virili sexui per naturam est subiectus, & ideo tam propter naturæ conditionem, quàm propter Angelos à Christo in Ecclesia rebus sacris præpositos velari debet.

1. Tim. 2

Alij Angelos hic dici putant spiritus cælestes, tum qui semper in Ecclesijs adsunt, tum quibus singulorum custodia deputatur. Cum enim & Angelis gratum sit videre omnia ritè atque ordine in Ecclesijs constituta, ingratum verò Dei ordinem violatum conspiceret: saltem propter Angelos, qui Deo in cælis ministrant, deberent mulieres caput suum velare, & eo signo subiectionem suam in Ecclesia, non gubernationem patefacere.

Atque hic animaduertendum est, spiritus beatos, licèt naturaliter tam viris, quàm feminis digniores fuerint, tamen in ministerio Ecclesiæ obeundo, atq; in sacrarum rerum administratione feminis adhuc manere digniores, viris non item: propterea quòd Christus, qui semen Abrahamæ apprehendens primatum in omnibus tenet. Viros constituit mysteriorum suorum dispensatores, non item feminas. Itaq; viri orant & prophetant nudo atq; etiam raso capite, velut inter quos & Christum nullus alius ordo interfit: verum inter Christum & feminas tum Angeli, tum homines interponuntur, non tamen velut duo diuersi ordines, verum tamq̃ vnus ordo ex viris & Angelis compositus. Hinc feminę tam propter viros, quàm propter Angelos velari debent. Et si enim neq; vir sine muliere, neq; mu-

1. Cor. 11

lier

392

De clauē David

lier sine viro in Domino, sed vterque sexus ex æquo per fidem & obedientiam saluari potest: tamen ipsa natura docet minimè decere, vt mulier non velata oret Deū; quoniam vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi; mulier verò si comam nutriat, gloria est illi, quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Itaque non solum intima mulieris origo & prima creationis causa (in eo quod de viro & propter virum condita est) verum etiam forma corporis exterior, & vsus capillorum testantur illa velari debere cum orat, aut negotium aliquod Ecclesiasticum peragit. Si quis autem videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei, hoc est neque habemus consuetudinem contendendi, neque permittendi vt mulieres non velato capite orent. Tot modis Apostolus in hoc argumento desudauit, vt ostēderet mulieres in Ecclesijs non nisi velatas adesse debere. Ille quidem de summa rerum Ecclesiasticarum præfectura per mulierem inuadenda numquam cogitauit: sed Spiritus sanctus, qui præuidit futuram aliquando mulierem, quæ pudoris omni velo proiecto, se ipsam nominaret non modò caput viro- rum, sed & caput sacerdotum, & summum Ecclesiæ caput; idq; in causis & rebus diuinis; hic inquam Spiritus sanctus in Apostoli mentem immisit, vt tam seriò de mulierum in Ecclesia & velo & taciturnitate & subiectione loqueretur. Scriptum est in lege Dei, Non induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste feminea. Abominabilis enim apud Deum est, qui facit hæc: non quòd de vestibus sit cura Deo, sed vt sexum quisque suum velut Dei opus tueatur, nec alienum mentiri conetur. Virilis sexus est præesse & dominari, muliebris parere & subijci.

Impiè quidem Ethnici Iouem & Iunonem homines nefarios & sceleratos pro Dijs colebant. Sed tamen in Idololatria sua non Iunonē Ioui, non mulierem viro, sed virum mulieri prætulerunt, primas Ioui adscribentes, Iunonem in secundis collocantes. At nunc Christiani atque adeo (si ipsis credimus) Euangelici, lecta Genesi, cognita

rerum

A rerum creatione, audito Christi Euangelio, dicunt, contendunt, iurant, sub periculo vitæ iurandum alijs imponunt, vt profiteantur se credere mulierem non in sæculo tantum, sed & in Ecclesia Dei, virorum atque etiam ministrorum Christi caput esse in causis & rebus Ecclesiasticis omnibus. Taurus præ vaccis cognouit dignitatem suam. Aper præ suis. Aries dux gregis præ ouibus. Soli Protestantes præter naturæ lumen, & liberalium disciplinarum scientiam, perlecta lege, Prophetis & Euangelio, tantum denique profecerunt, vt mulierem viris, imò & Episcopis omnibus in ipsa rerum diuinarum moderatione antepo- nant. Nec tantum hoc dicunt qui ex illis plebei sunt aut de fece vulgi, sed etiam eorum Doctores, & Prophetæ, Presbyteri & Episcopi.

Tribus autem quasi gradibus feminam altius euexerunt, quam Deus illam constituit. Nam primùm in Dei causis moderandis prætulerunt illam viris priuatis, atque etiam omnibus politicis magistratibus; cum tamen nullus sit magistratus, nullus de plebe vir infimus, nullus puer, nullus postremò seruus virili sexu præditus, quin longè fuerint feminæ in hac quidem re anteponendus; propterea quòd dignior sexus in illo dominetur, ob quem potuerit saltem Christi mysteria dispensare, etiam si numquam id fecerit, facturus sit. Nam mulier ne potest quidem vnquam ad ministerium Euangelij per impositionem manuum segregari. Deinde prætulerunt mulierem omnibus Diaconis, Presbyteris, Episcopis, quamquam isti à Deo tamquam Aaron ad tam sublime officium vocati sint, quod est crimen multo detestabilius. Tertio prætulerunt illam spiritibus beatis, qui licet post gratiam dispensandi Euangelij vitis commissam dignius ministerium quam viri non exerceant; adhuc tamen manent in natura digniore, ob quam feminis ad ministerium Euangelij non vocatis, superiores existunt. At Protestantes dicunt Elizabetham Ecclesiæ Anglicanæ summam gubernatricem existere proximè secundum Christum ipsum. Ita & viros omnes, &

Ddd

ministros

ministros Christi, & Angelos ipsos de medio tollunt, vt **D** feminam in summo gradu indignissimè constituent: cuius tantæ cæcitatē non alia est origo & causā, quàm quòd ob immania flagitia sua in reprobū sensum dati sunt, vt contumelijs afficiant & sexum suum & Angelos Dei. Cum enim eò vsque in amorem feminarum exardent, vt quāquam voto castitatis per sacrorum ordinum susceptionē **Mat. 19.** palam emisso, se ipsos propter regnum cælorum castrasse viderentur, tamen priorem fidem irritam facientes, non solum vellent atq; optarent coniugari (quod ipsum damnable fuisse) verum etiam re ipsa coniuges, & eas quidē Christo publicè velatas, & desponsatas domum ducerent. Nec ista impudentia contenti etiam dicerent & contende **E** rent votum castitatis (ad quos Christus electos suos hortatur dicens. Qui potest capere capiat) nec suscipi debere nec præstari posse: quinimò violandum esse, atque adeo qui id seruarent, è cœnobis suis immani quadam feritate exterminarent: propterea tradidit illos Deus in reprobū sensum, vt contra naturam sexum suum virilem muliebri sexui subijcerent, feminaq; non solum in sæculi, sed & in Dei causis in capita sibi præficerent, homines corrupti, **2. Pet. 2.** mente reprobī circa fidem; oculos habentes plenos adulterij & incessabilis delicti. Et sicut dignitatis virilis in rebus Dei administrandis præstantiam meretricibus suis prostituendam iudicarunt; sic Deus opprobrio quodam **F** externo percussit illos, vt Ecclesiasticam crinium tonsuram odio habentes, non tonso aut raso vertice, quod virilis est dignitatis, verum capillati semper & criniti, quod muliebris est subiectionis, in conspectu Dei orarent, & prophetarent. Cum enim Deus virum caput mulieris per naturam constituisset, & ideo vir proximè omnium Christo adhæresceret, inter viros autem Deus quosdam sibi segregaret, qui populo suo res sacras ministrarent, in signum huius sacerdotalis excellentiæ Apostoli & alij patres nostri spirituales instituerunt, vt qui ex viris in hoc præcipuum Dei ministerium segregati essent,

verti-

A verticem capitis nudum gestarent, eo ipso profitentes nō modò nullum velamen, verum ne capillum quidem vnū inter Christum & ipsos constitutum esse, verum ex ipsis viris eos primatum tenere in Dei sacris administrandis. Magna enim dignitas est diuinę vocationis munere in cōspectu Dei raso capite apparere, quam ob causam qui votum habebant & hoc sanctificationi suę deputabant, vt raderent capita sua: Quod Paulus post fidem Christi susceptam bis fecisse legitur. Qui etiam cum scribit perinde **Num. 6.** esse mulierem non velari ac tonderi & decaluari, vtique significat viros, qui inter orandum & prophetandum non velabantur, etiam tonderi solitos esse. Porro Protestantes **Aff. 18.** **B** cum non modò ministros Dei reliquę plebi adæquassent, verum etiā totū virilē sexū femineo sexui in sacris moderandis subiecissent, meritò desierunt raderē capita sua, vt sicut dignitatem ipsam, ita & signum dignitatis proijcerēt, seq; ipsos in perpetua feminarum mancipia deuouerent: nec aliud iam restat, quàm vt mulier, quæ primatum Ecclesiasticum sibi arrogauit, tum caput suum radat, vt signū exterius, interiori arrogantię respondeat, tum ministros Caluini cogat capillis promissis, & capite velato in Ecclesiam prodire, testatū omnibus faciant se oblitos dignitatis & dominationis, in qua Deus illos creauit, oblitos mysterij, quo Christus viri non mulieris sexū assumpsit, oblitos vocationis Ecclesiasticę, cui Christus solos viros nō etiā mulieres præfecit, ita nūc degenerasse, vt mulierē, nō dico qualē, sed mulierē in omnibus causis & rebus diuinis caput sibi proximè secūdū Christū ipsū cōstituerint, nomē illius supra se inuocātes, sub illius vmbra in Ecclesia degētes, illius veste caput suū obtegentes, vt ne nudi, sed obnupri, & capite obuelato appareāt in conspectu Dei. Benedictus Deus, qui iudicauit causam opprobrij sui, & malitiā Protestantium reddidit in caput ipsorum. Benedictus Dominus noster Iesus Christus, qui hostes Vicarij sui, hostes Ecclesię Romanę tam insigniter vltus est, ut in suis ipsi cogitationibus euauerint, & dum altiora se querentes, **Ecclesię**

Num. 6. Aff. 18. 21.

Ecclesię Christi mysteria tot seculis constituta conuelle. **D**
 re nitebantur, cæci, stulti, atque adeo dementes
 effecti, non viderent ne sexum quidem suum,
 sed feminas se ipsis etiam in Ecclesia gu-
 bernanda digniores iudicarent.

F I N I S.

R E G E S T V M.

*** ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ. **E**

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
 Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz.

▲aa Bbb Ccc Ddd.

Omnia sunt folia, Ddd dimidium folij.



F

ROMÆ, In Aedibus Populi Romani,
 Apud Georgium Ferrarium, M D LXXXVIII.